



# Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>



This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.






2977 e. 21








DECIMI JUNII  
JUVENALIS  
SATIRAE.









*Lafitte delinavit.*

*Grange apres 1870*

*Termes par Sigot*

et tua servatum consume in secula Rhombum.

DECIMI JUNII  
JUVENALIS  
SATIRAE

AD CODICES PARISINOS RECENSITAE

LECTIONUM VARIETATE ET COMMENTARIO PERPETUO

ILLUSTRATAE

A NIC. LUD. ACHARENTRE.

ACCEDUNT

HADR. ET C. VALESIIORUM NOTAE ADHUC INEDITAE.

PARS PRIMA.



PARISIIS

SUMPTIBUS ET TYPIS FIRMINI DIDOT.

MDCCCX.

2977. e. 21



---

## AD LECTOREM.

---

POSTQUAM, LECTOR, QUINTI HORATII FLACCI Opera cum scholiis Jō. BOND, ann. 1806, in lucem edidi, apud veterum litterarum studiosos laudem aliquantulam judicii et diligentiae merui. Quodquidem praemium satis amplum mihi fuit incitamento, ut majora aggrederer. Id autem gratum fore duxi, si, post Horatium, excuderentur PERSIUS et JUVENALIS, sed denuo recensiti, et commentario illustrati. Nec me deterruit a consilio, quod doctissimus vir GEORGIUS ALEXANDER RUPERTI, Gymnasii Stadensis Rector, idem opus paulo ante me susceperit, et scientissime perfecit. Mihi enim consideranti commentarium ejus compertum fuit, scilicet, in eo persaepe brevitatem, et aliquando perspicuitatem desiderari; formam et usum voluminis parum aptos esse, praesertim nostratibus, quibus semper displicuit moles tanta notarum, et ad satietatem usque exstructa. Etsi igitur eundem facundia sua, eruditione, et linguae Latinae usu superiorem, ac mihi magistrum candido animo agnoscerem, nihilominus spatium idem decurrere decrevi, ea mente, ut auctores supra memoratos interpretarer, non dico plenius ac copiosius, sed planius atque forsitan civibus meis utilius. Tria proposito meo potissimum faverunt: voluptas primum, quam in PERSIO et JUVENALE saepius pervolvendis antea perceperam; copia deinde codicum manuscriptorum, editionum optimarum, et librorum criticorum omnis generis, quibus abundat Parisiorum urbs inclytissima; denique, quod

est pretii nonnullius, amicorum quorundam consilia, quibus constanter usus sum. His instructus armis, et opibus adjutus, ad hoc exercitium me accinxi.

Neque tamen ignorabam, jam inde a superiori sæculo, genus istud laboris in Gallia non solum fuisse neglectum, sed etiam a multis, qui ingenii laudem affectabant, despectum et risui sæpe traditum. Ex quo enim LUDOVICI MAGNI jussu collectio classicorum scriptorum, quæ vocatur *ad usum DELPHINI*, confecta est, critici quidam editiones pulcherrimas, et notis aliquot illustratas emisere; sed paucissimi in commentarios operam suam contulere: unde factum est, ut priorum criticorum in bibliothecarum pulvere defossæ lucubrationes ab aliis veluti monumentum religiose servarentur, ab aliis misere dilacerarentur, ab iis, certe, præsertim juvenibus, ad quorum usum susceptæ fuerant, vel ignorarentur, vel respuerentur. Quodquidem fastidium, quàm sit injustum, evincunt decimi quinti, et sequentis ævi in ea parte successus. Si enim, apud nos, *Cornelius, Moliærius, Racinius, Bolæus, Fenelo, Bossuetius*, et alii permulti scriptis suis veterum laudem adæquârunt, aliquando etiam vicerunt; id primum debuerunt præstantissimis ingeniis, quæ sibi proposuerant imitanda, deinde eruditissimis eorum interpretibus, quorum observationibus et notis libenter usi sunt. Nemo autem diffitetur sæculum decimum sextum fuisse imprimis doctrina, eruditione, philosophia, et arte grammatices et philologiæ notissimum; quippe quod in tenebras antiquitatis acuti lumen ingenii afferens, quidquid in auctoribus arduum explanavit, quidquid subtile detexuit, quidquid denique pulchrum et memoria dignum ob oculos omnium clarissima in luce posuit; uno verbo, sæculum idem terræ ad illud

tempus ingratae semina mandavit, quorum fructus recepit posterior aetas. Injusti ergo animi et fatui prorsus ingenii sunt, qui ad veterum intelligentiam sine ulla criticorum ope se accessuros esse credunt, et vanam futilemque scholiastarum scientiam appellant. Illos ad versiones Gallicas tum metricas, tum prosaicas mitto, quarum nunc nimius est, quam par fuit unquam, numerus nimiaque fama.

Et multum abest, ut versiones veterum scriptorum in recentiores linguas commentariorum vicem impleant. Praeter interpretationes falsas, dubias aut contortas, quae vel in optimis passim reperiuntur, multa sunt praecclare, eleganter et salse dicta, quae saepe interpretem, et saepius lectorem fugiunt. His adde antiquitatis sanae oblivium in iis qui istius modi operibus delectantur, contemptum hujus et fastidium, quibus persaepe imbuuntur illi, qui linguarum veterum expertes notitiam earum in versionibus quaerunt; desidiam et sui negligentiam, quas juvenibus suggerunt, et alia mala multa; atque inde colliges, quantum studiis et litteris offecerit imprudens ista quaelibet vertendi cupiditas, qua nunc omnes, apud nos, immo, professores quidam, caeteroquin docti et sapientes, flagrant (a). Veteres in ipsorum lingua legamus: in iis

(a) Neque tamen diffiteor historicorum ac philosophorum versiones utilitatem aliquantulam praese ferre: quidquid enim ad sapientiae civilis notitiam, et ad vitae privatae normam attinet utile est, quocumque de fonte surgat, quibusquolibet verbis edatur. Nonnullae quoque versiones metricae excipiendae videntur, tum propter majestatem carminis, tum propter elegantiam nostris linguis propriam; at illae perpaucae sunt, neque argumenti vim elevant, neque impediunt quin versiones prosa oratione confictae sint rejiciendae, praesertim oratorum et poetarum, quorum praecipua laus in rhythmo, ordine, figuris, verborum delectu, et elocutionis floribus sita est? In iis videas, argumentum simplex, dis-

quæramus quidquid elatum, jucundum, memorabile sit et utile ad mores et animum informandos aut emendandos; et, si quando abstrusiores, aut acutiores illi nobis videantur, inter criticos eligamus, qui in eadem lingua, sed stylo simpliciore, nobis exponant fideliter quidquid intelligentiæ nostræ mensuram supergreditur. Id est autem commentariorum scriptoris officium, ut omnia, modo parcius, modo copiosius, cum res requirit, explicet; nihil memoria dignum prætereat; loca facilia leviter indicet, ardua et aspera paraphrasi et verborum circuitu, aliquando sapientibus discursibus ita explanet, ut lector ipse quid lateat eruere possit, et sensum sin omnino certum, at saltem admittat probabiliorem; flores

positionem sapientissimam, descriptiones ornatas, melodiam dulcisonam, atque lepores a recentioribus linguis aut prorsus alienos, aut saltem omnino discrepantes. Quid igitur in nostra præsertim, ne alias commemorem, paulo rudiori, parum flexibili, parumque canora, etsi vim habeat majestatemque in maximis operibus, simplicitatem in mediis, et festivitatem in minimis, quid superest de tot, tam præclaris, tamque luculentis versibus in Homero et Virgilio sparsis naturam ipsam pingentibus? Tunc omnes *cadunt a crinibus eorum hydri*: neque jam Cyclopa video, neque *equos faciesve Deorum*. Homerus tædiosam ephemeridem mihi offert, cui certe prætulero Dictys Cretensis Historiam; Virgilius heroæ piæ, sed lacrymabundum et insulsum, quem longe prætergrediuntur Ariosti, Torquatique Tassi heroes: et Merlini spelunca, et Melusinæ sagæ artes multo magis me delectant, quam Achillis puerilis furor, Didonisque ridiculus amor. Horatius demum mihi in versionibus blatero videtur, Ovidius nugator, Lucanus buccinator, Persius ænigmatum confictor, Seneca declamator, etc. Desinant ergo ipsi magistri nostri veteres, quibus omnia debent, deformare, traducere; ne artis suæ eversores jure vocentur. Præterquamquod enim genus istud laboris vanum parumque mansurum ingenii ariditatem arguit, antiquitatis præterea studiosis, ut jam dixi, nocet, imperitis minime prodest; istis nempe recentiorum optima scripta se offerunt, quibus animum suum oblectare et exercere queant. Hæc satis sint: cætera litteratorum hominum meditationibus permitto.

interdum sobriæ eruditionis spargat; aliorum scriptorum loca memorando ad suum propositum aptissima juvenum memoriam adjuvet; temporum, locorum, morum, factorum cujusque populi rationem reddat; denique, ante oculos ejus adeo versetur lectoris commodum, ut nihil a se factum ducat, nisi hunc terminum fuerit assecutus. Hac via si pergat, utilissimus index erit opus ejus, et ampla, ut ita dicam, penus fiet, ad quam concurrere omnes omni tempore gestient. Quòd si interpretis mentem et munus recte cepi, non in vanum abiturum laborem meum sperare fas est. Multos præterea me visurum existimo, inter cives meos, qui post me, et certe elegantius, in alios auctores commentabuntur: unde Gallia, quæ tot ac tantis in arte critica viris gloriatur, Stephanis scilicet, Muretis, Pithoeis, Turnebis, Casaubonis, Salmasiis, Valesiis, etc. veterem a Germanis, Batavis, Anglis usurpatam laudem suam eruditionis ac philologiæ repetet, et posteris sæculum haud illustre minus quàm LUDOVICI MAGNI sæculum parabit.

PERSII et JUVENALIS laudes aliàs fusius persequar, cùm de satira Romanorum edisseram. De Juvenale vero id mihi tantum observare liceat. Nullus unquam, nisi barbarus et ignarus, illi sedem inter præcipuos linguæ Latinæ scriptores denegavit, sive pretium materiæ quam tractavit, sive gravitatem sententiarum, sive vim et majestatem carminis attendas. Præterea, stylus ejus et jocosus, et elegans, et purus eos admittit lepores, ut ad Virgiliti ipsius, cùm res poscit, grandiloquium, vocemque canoram videatur assurgere; unde, per decimum quintum et decimum sextum sæculum, docti fere omnes Horatio ipsi in satira superiorem eum proclamare non dubitarunt. Detrectatores nonnullos postea nactus est poëta



noster. Non defuere enim, qui eum inflatum, morosum et hyperbolicum vocarent; quæ censura profecto magis injusta, quàm præcedentium criticorum admiratio ad nos usque pervenit, et plus valuit apud Sybaritas quosdam nuperos, quàm Muretorum, Scaligerorum, Lipsiorum, aliorumque eruditorum limatissimum iudicium. Sæculo autem decimo septimo, tempore LUDOVICI MAGNI, quo tempore pietas sincera cum doctrina conjuncta, magnæque virtutes florere; quo cives Deo servientes, legibus obsequentes, et regi libenter, nec serviliter obediens sui in patriam amoris tot tamque præclara specimina dedere; quo quisque contentus conditione vivendi, quam sors vel sua virtus ipsi obtulerat, non majora per fas nefasque aggredi tentavisset; quis enim ruiturum regnum adeo sævis oculis aspicere ausus esset, dummodo honoribus, cæde civium, sacrilegio, perjurio partis gloriaretur, et in divitum spolia fraude, furto atque incendio subrepta se ingurgitaret? quo cupiditates, nam natura hominis aliquot semper tulit, modicæ essent, religione, institutione prima temperatæ, eæ demum quæ facile vinci possent; quo voluptates elegantia, urbanitate et modestia conditæ vitam civilem ornarent, non fœdarent; quo denique Turenii, Colberti, Montauserii, Fenelones, Bossuetii in aula plurimum valerent, in civitatibus concordia, labor et industria, in agris simplicitas et innocentia vigerent; hoc, inquam, præstantissimo sæculo, nil mirum, si hyperbolicus visus est Juvenalis, quippe qui horrendos mores avis nostris incognitos, sed, heu nimium veros! tartareaque vitia notavit, necnon indignatione justa, sermonisque fulminibus persecutus est. At nunc, quid de Juvenale sentiendum, quid dicendum? contemnendusne est sanctissimus ille vir, qui duode-

viginti abhinc sæculis Neronēs, Tigellinos, Marios, Virrones futuros posteris signavit, qui ne Pegasis quidem pepercit, hominibus ignavis, huc illuc in tempestate publica fluitantibus, et tyrannis silentium etiam suum vendentibus; quique nos omnes docet, præter sollicitudines et angores, quos in animum improborum incutit malis artibus parta potestas, præter pœnas improbis a Deo justo et irato post mortem irrogatas, fore olim vindices publicæ honestatis probitatisque violatæ, qui scelera eorum ad posteritatem ferent. Hoc unico nomine, ut alias dotes commendandas omittam, legendus proponeretur Juvenalis; et certe hoc præclaro simplicitate suâ Ammiani Marcellini encomio dignus est: *Quidam detestantes, ut venena, doctrinas, Juvenalem et Marium Maximum curatiore studio legunt, nulla volumina, præter hæc, in profundo otio contrectantes.*

De meo nunc labore loquar, et eorum quæ mihi curæ fuerunt rationem reddam. Duo mihi ante omnia reputanda erant. Primum, ut auctoris contextum certissimis fundamentis et codicum manuscriptorum, quorum ingens numerus exstat in Bibliotheca Parisiensi *Imperiali*, indubitata stabilirem fide; deinde, ut notis opus illustrarem; et, quantum in me esset, e tenebris eruerem veterum criticorum operam injuria temporum prope deletam. Cùm XXXVI codices haberem (Vide Elenchum codicum, nostræ editionis T. II, p. 33), omnes fere integros et sat bene conservatos, eos ab initio ad finem usque relegi, atque cum vulgata lectione contuli; ita ut nostra editio auctoritatis talem præ se ferret speciem, qualem nec subtilitates postea sciolorum, neque etiam eruditorum virorum conjectanea, temeraria sæpe, et quasi aleatoria possent eam debilitare. Hunc ad

scopum constanter animum intendi. Vulgatam lectionem, scilicet veteris scholiastæ Pithoei recepi, si quando menti auctoris consentanea videretur, si parum apta aut falsa, rejeci: utcumque res fuerit, lectionem rejectam infra paginam restitui, ut lector ipse judicaret, an recte, an perperam selegissem. Numerum variarum lectionum, quæ sunt fere innumerabiles, si pro variis lectionibus accipiuntur menda librariorum, verborum inversiones, corruptiones nominum propriorum, et alia id genus, ad justam mensuram contraxi: parvi enim refert, utrum legerit librarius quilibet, sat. I, v. 23, *figit* pro *figat*, sat. II, v. 142, *nec potest* pro *nec prodest*, sat. XIV, v. 212, *festinare facit* pro *festinare jubet*; utrum dixerit, sat. III, v. 142, *magna multaque paropside*, an *multa magnaue paropside*, sat. VII, v. 234, *patriam nomenque*, an *nomen patriamque*, sat. XIV, v. 224, *impunitum fore quondam*, an *impunitum quondam fore*; utrum scripserit, sat. IV, v. 141, *Rutupinove*, *Ritipinove*, *Ruptutinove*, sat. VI, *Psecas*, seu *Fecas*, seu *Phecax*, et alia permulta, quæ mendose aut falso posita in scriptis libris reperire est. Nostrum est certiora et rationi historicæ ac philologicæ accommodatiora, aut saltem, si rei certa cognitio desit, probabiliora accipere. Id, uno verbo, curavi, ut codicum priorum lectiones referret contextus auctoris, et esset omnino mendorum expers; quod est, et esse debet præcipuum editoris officium.

Post textum emendatum, ad interpretationem accessi. In hac autem parte, non tam nova, quàm bona et utilia cuivis ut offerrem studui; semper enim putavi scholiastæ laudem fere nullam esse, eamque, quantulumcumque, par esse scriptoris laudi, necnon legentis utilitati cedere. Porro, multi ante me interpretandi Juvenalem

et Persium provinciam susceperant, eamque melius pejusve rexerant, atque ideo pauca admodum reliquerant dicenda: praeterea, abs re mihi visum est, immo periculosum, bona ab aliis suppeditata respuere, et in locum eorum alia suo Marte sufficere, quæ sin omnino mala, *saltem* aut non meliora, aut inferiora fuissent. Quæ quidem gloriola eruditos sæpe viros in vastam conjectaneorum et probabilitatum regionem transversos egit, et arti plus nocuit, quàm illa, quæ potissimum interpretem decet, simplicitas et sui ipsius abnegatio. Esto: in heroïcis, dramaticis, lyricis carminibus, in orationibus et aliis scriptis, a communi via deflectat, et totas auctor ingenio suo effundat habenas: at explodenda in critico et insana est ista ab aliis seorsum sentiendi et loquendi affectatio. Quapropter igitur, quæ ad propositum meum ~~con~~ducerent, ab aliis mutuo accepi; quorum notas excerpti et in novum ordinem digessi, modo contractis, modo protensis, prout res posceret, eorum observationibus, donec interpretatione perpetua omnem fere textum, a verbo ad verbum, explicarem, ex quo major floresceret utilitas. Nihil arduum aut difficile reliqui; ea mente, ut ad commentarium meum quisque confugeret, vel in levissimis rebus, ubi mens hæere potest, aut illud *omitteret* in iis quæ sibi faciliora essent, vel jam inde cognita. His autem præmissis, parum distat ab aliis commentarius meus; cui forsitan objicient quidam loquacitatem eandem, eandem dissertationum, testimoniorum, aliarumque rerum diversarum molem congestam: at, dummodo nexus et perspicuitas non desint, dummodo auctores mihi recte dilucidentur, et testimonia discursusque non sint injucundi aut inepti, dummodo, quod maximum reor, labori meo sua sit utilitas, satis ampla merces eveniet

mihi. Sed, ne ipse alios solum transcripsisse, et librarii munere functus viderer, locos quàm plurimos, qui ab illis aut præteriti, aut male explicati fuerant, emendavi, ad mentem auctoris reduxi, vel planius exposui; prævjos mihi criticos interdum confutavi, atque morales sententias, aliquando anecdotæ et testimonia nova immiscendo, laborem per se ingratum, quantum potui, jucundiores effeci. Quæ omnia littera initiali nominis mei (A) signavi, ne, si quis error esset, iste in alios redundaret. Porro ex iis, qui in Juvenalem commentati sunt, libentius secutus sum Calderinum, Britannicum, Grangæum, Lubinum, Farnabium, Prateum, Henninum, Juvencium, Dusaulx, et imprimis Ge. Alex. Ruperti. Multa me præterea debere fateor duobus eruditissimis viris, quorum alter in prudentia artis eximiæ quam proficitur consummatissimus, non solum, pro sua benevolentia, suoque in litteratos amore constanti, me consiliis adjuvit, notas aliquot meis interpretamentis addidit, quæ litteris F. D. signatæ sunt; sed etiam typis suis totum opus mandavit, nullis pepercit sumptibus, ut illud poëta dignum esset, mihi honorificum, et publicæ utilitati convenientissimum; alter, condiscipulus meus, inter Græcæ Latinæque linguæ peritos merito numerandus, cujus nunc, ipso jubente, nomen taceo, emendationes suas annotationesque sagacissimas ad me misit, quibus grato animo usus sum, quæque mihi magno fuerunt adjumento.

Stylus commentarii simplex est, et forte quibusdam demissior videbitur; sed, ut jam dixi, mihi primum curæ fuit lectoris utilitas; et semper absurdum esse censui auctorem per se reconditum interpretari ambitiosis verbis, phrasibus summo artificio structis et elegantibus, quæ forsân ipsæ

commentario egerent. De emendatione autem totius operis, id accipe, Lector. Post attente bis terque volumen quodque relectum, in contextu nullum mendum reperi; in commentario et variis lectionibus, praesertim in V primis satiris, menda aliquot certe irrepserunt, quod non mirum est, pro copia materiarum et characterum exiguitate, quodque malus pudor, quin ingenue fatear, non prohibebit: quae tamen, nec sunt innumera, nec tanta, ut quemvis legentem morari queant: ne quis nihilominus in errorem induceretur, graviora ad calcem primi voluminis notavi, et alia leviora legentis iudicio et benevolentiae permisi. Interpunctionem vet. schol. Pithoei recepi; accentibus raro usus sum, et in iis tantum locis, ubi vel praepositionis omissio, vel plurium vocabulorum in *a* desinentium occursum errorem creare potuisset; in genitivis praeterea quartae declinationis, et in adverbio *cum*, in conjunctione *quod*, etc. De forma autem et characteribus huic editioni propriis, quid dicam, quod tu ipse, **LECTOR**, non videas, et sentias? Satis sit typographi nomen indicasse. Id unum observandum, scilicet, contra morem nostris temporibus usitatum, notas textui subiunxi, et his varias lectiones, ut, quidquid ad mentem et verba auctoris penitus intelligenda necesse foret, id eadem paginâ reperiretur; qua in re imitatus sum qui mihi facem praetulerunt editores, quin etiam scriptos libros, et auctores collectionum, quas vocamus *Variorum et ad usum Delphini*: semper enim mihi displicuit explicatio textûs in alterum volumen, aut ad calcem libri translata; unde oriuntur persæpe consulenti mentis quaedam avocatio, et rerum utilium oblitio.

Cur autem operis pars altera **PERSIUM** cum commentario non complectatur, uti prius ego decreveram, et

quare poëtam istum tertio volumini, quod jam prelo mandatur, addixerim, breviter edam.

Jam confecta erat pars prior operis, et tota pæne excusa, cùm eruditissimus vir CHARDON DE LA ROCHETTE, in cujus bibliothecam, forte fortuna, transierant HADRIANI et CAROLI VALESIORUM notæ in Juvenalem, jamdudum promissæ et nondum editæ, typographo nostro FIRMINO codicem ipsius CAROLI manuscriptum humanissime concessit integrum excudendum: quas quidem notas, præsertim ex illustrissimi viri FONTENELLE testimonio, omnibus acceptissimas fore duxi; et, quamvis diversa ab iis via auctorem meum interpretatus essem (hi fere omnia per conjecturas explicant; quod, jure, opinor, multoties in commentario meo reprehendi); tamen VALESIORUM notæ adeo doctæ et ingeniosæ, utpote quæ ab exercitatis in arte critica viris proficiscerentur, adeoque utiles mihi visæ sunt, ut eas in altero volumine, post varia opuscula ad Juvenalem pertinentia, et ante indicem vocabulorum, integras ordinaverim; eâ mente, ut, pars prior, præter textum, complecteretur omnia quæ ad intelligentiam poëtæ spectarent, commentarium scilicet et varias lectiones, altera autem quæ sunt criticæ majoris et acutioris.

Postquam te, candide Lector, mei consilii et laboris certiolem feci, mihi unum id superest, ut omnia studio tuo, atque benevolentiae dedicem, commendemque; et ea in bonam partem accipias, velim. Quæ bona sunt, iis fruire; quæ mediocria, aut tibi inutilia, prætermitte; quæ denique mendosa et mala tibi videbuntur, humanæ imbecillitati benignius ignosce. Vive et vale,

N. L. ACHAINTE, PARISINUS.

---

# D. JUN. JUVENALIS

## SATIRAE.

---

### SATIRAE PRIMAE

#### ARGUMENTUM.

PRIMA DOCET SATIRAE CAUSAM, FORMAMQUE LIBELLI.

Præstantissima satira sequentibus proœmii loco veluti præfixa, lepidissimis simul, et acerrimis salibus referta, qua, sub specie monendi lectorem cur, cùm scribere susceperit, animum potius ad satiricum genus, quàm ad aliud quodque flexerit, corruptos Urbis mores exagitat, atque in vividissima veluti tabella, paucis et nudè, Romanorum turpitudinem, atque infamiam detegit. Poëtarum molestia, novorum hominum insolentia, delatorum perfidia, ardelionum abjectio, uxorum perditii mores, aleæ furor, mensarum luxus prodigiosus, heluonum voracitas, patronum avaritia, et nobilium sportulam mendicantium indignitas, etc. quæque omnia in XV aliis satiris fusius tractata, hîc, congestim accumulata, servato tamen miro ordine, tam veloci cursu lectorem rapiunt indignantem; ut, non longe absit, quin cum poëta exclamet:

Quem patitur dormire nurûs corruptor avaræ?

Quem sponsæ turpes, et prætextatus adulter?

Si natura negat, facit indignatio versum.

Ad cujus satiræ calcem pollicetur se, vivis omissis, in mortuos tantum tela directurum. Num constanter promissis steterit, merito dubitant critici: nam, si nullum appellat nominatim, tam aperte tamen, etsi sub fictis nominibus, designat, ut,



## 2 SATIRAE PRIMAE ARGUMENT.

Romanis tunc temporis viventibus, errare difficile admodum esse debuerit. Cæterum, quæ in absolutissimo opere potissimum requiruntur, neququam in ea satira desiderantur. In fundamento stabilitas, in distributione sapientia, in cursu rapiditas, in stylo acumen, verborum eximius delectus, troporum præclarior usus. Propter hæc omnia, nobis digna videtur illa satira, quæ inter consummatissima tum auctoris nostri, tum cæterorum opera, censeatur, atque numeretur.



---

---

# SATIRA I.

## CUR SATIRAS SCRIBAT.

**S**EMPER ego auditor tantum? Nunquamne reponam,  
Vexatus toties rauci Theseide Codri?  
Impune ergo mihi recitaverit ille togatas,

1. *Semper ego auditor tantum?*] In aliis poëmatibus aliqua est præparatio; in satiris fere semper nulla, sed exordium ab abrupto, quod indignantis animi affectibus potissimum convenit. — *Auditor.* Romæ olim poëtæ, historici et oratores, quæcumque scripserant, antequam in vulgus ederent, amicis recitare solebant; quæ consuetudo excolendis ingeniis atque libris emendandis utilissima, brevi in rabiem quamdam recitandi et ridiculam, et aliis incommodam cessit; unde, v. seq. *vexatus toties.* De apparatu vero et pompa, quam in recitando scriptores adhibebant, vid. infra sat. VII, v. 48—52, et Persium sat. I, v. 17. — *Reponam.* Rependam, par pari referam. *Reponere,* proprie creditori debitum reddere. Sic Plaut. in Persa:  
Des mihi nummos, quos continuo tibi  
*Reponam,* in hoc triduo aut quatruiduo.  
Ergo, inquit poëta, cum toties alios audiverim, eorumque sim

debitor, nunquamne eis reponam, reddam quantum acceperim, atque ideo, nunquamne scribam?

2. *Vexatus toties.*] Nam, ait Horatius, de Arte Poët. ad finem: Indoctum, doctumque fugat recitator acerbus:

Quem vero arripuit, tenet, occiditque legendo.

— *Theseide.* Carmen Epicum de Thesei gestis adeo longum, ut multis diebus ad recitandum opus esset. — *Codri.* Nomen e trivio poëtæ, ut infra *Cluvienus.* Ejusdem mentio tamen honoratior fiet, sat. III, v. 203. — *Rauci.* Perpetua recitatione, ut raucæ cicadæ, quæ perpetuo occinunt.

3. *Togatas.*] Comœdias Latinas, a *toga* Romanorum habitu dictas, ut et Græcæ *palliatæ* vocabantur, a pallio Græcis usitato. *Fabulæ* argumenti Romani, in quibus magistratus inducebantur, *prætextatæ*, vel *prætextæ* dicebantur. De iis vid. Scal. Poët. I, c. 7.

Vers. 2. *Codri.* In omnibus codicibus Bibliothecæ Imperialis, ad numerum XXX, in iis etiam quos inspexit Alexander Ruperti, et in editis omnibus libris, legitur *Codri.* Frustra igitur Vetus Scholiastes, et post hunc Schrevelius inquit: *sunt qui legunt Cordi.* Unde hanc lectionem acceperint, nescio.

Hic elegos? Impune diem consumpserit ingens  
 Telephus? aut summi plena jam margine libri  
 Scriptus, et in tergo, nec dum finitus Orestes?  
 Nota magis nulli domus est sua, quàm mihi lucus  
 Martis, et Aeoliis vicinum rupibus antrum  
 Vulcani. Quid agant venti, quas torqueat umbras

4. *Hic elegos.*] Elegus, Elegia, carmen lugubre, a voce Græca ἐλέω, miseror, alternis constans versibus, hexametris et pentametris; primum threnos, deinde amores, utrumque sæpe spirans, quod sic definit Horat. de Arte Poët. v. 75:

Versibus impariter junctis querimonia  
 primum:

Post etiam, inclusa est voti sententia  
 compos.

5. *Telephus... et... Orestes.*] Immensæ et prolixæ tragædiæ, atque ampullatis versibus contextæ, quales arguebat Horat. de Arte Poët. v. 96:

Telephus et Peleus, cum pauper et  
 exul uterque,  
 Projicit ampullas, et sesquipedalia  
 verba.

videtur autem poetas Romanos amasse argumenta e longinquo petita: at, in iis tractandis, sæpius contra decorum peccasse, quod notat Horat. loco præcit. seu contra justam carminis magnitudinem, quod hic queritur Juvenalis.

6. *Scriptus et in tergo.*] Per periphrasim, irridet auctorem ingentis tragædiæ de Oreste, quæ volumen totum implet, et a tergo, atque etiam in margine (nam hæ partes vacuæ ornatus gratia relinqui solebant), et nondum absolvitur.

7. *Lucus Martis.*] Qualis non modo Romæ, sed in Ponto quoque, ubi vellus aureum servabatur, et Albæ, aliisque locis fuit. Hic, forsitan, *lucus Martis* pro historia integra Dei, quæ est poëtis amplissima materia.

8. *Antrum Vulcani.*] Aetna, ubi Vulcanum dominari, et fulmina fabricare fabulantur. Fabulas Cyclopum, inquit, novi, atque Vulcani, etc.

9. *Quid agant venti.*] Descriptiones ambitiosas tempestatum, nubium prælia inter se, raptus Orythiæ et Chloridis per Boream, etc.—*Quas torqueat umbras.* Quas examinet, et torquendas judicet. Hoc est, notæ mihi pariter de inferis fabulæ.

V. 6. *In tergo.* Ita omnes nostri, codd. duobus exceptis, apud quos legitur, *a tergo*. — *Nec dum.* In X codd. *nondum*.

V. 9. *Vulcani.* In multis codd. *volcani*, ut *voltus*, *volgus*, *volnus*; quæ lectio antiquior haberi solet. Et, reipsa, in multis monumentis ita, uti in numismatibus, præsertim Gallieni, ejusque liberorum, ubi, ex ad-

Aeacus, unde alius furtivæ devehat aurum 10  
 Pelliculæ, quantas jaculetur Monychus ornos,  
 Frontonis platani, convulsaque marmora clamant  
 Semper, et assiduo ruptæ lectore columnæ.  
 Exspectes eadem a summo, minimoque poëta.  
 Et nos ergo manum ferulæ subduximus, et nos 15  
 Consilium dedimus Sullæ, privatus ut altum

10. *Aeacus.* ] Judex apud inferos.—*Unde alius, etc.* Nota mihi pariter Argonautica, ut e Colchis Jason furtim, inscio Aëta, et doli Medæ, vellus aureum, τὸ χρυσόμαλλον δέρας subripuerit.

11. *Quantas jaculetur.* ] Nota quoque mihi pugna Centaurorum cum Lapithis in Thessalia. — *Monychus.* De hoc Centauro, vid. Ovid. met. XII, v. 499, et Valer. Flacc. I, 145. — *Pelliculæ.* Meretricis.

12. *Frontonis platani.* ] Historiis enim his omnibus, ac fabulis, undique resonant platani Frontonis, et convulsa marmora, etc. Julius Fronto, nobilis Romanus, vir doctus et celebris, qui ter cum Trajano consul fuerat; de quo Martial. lib. I, epig. 55, sic: Clarum militiæ Fronto, togæque decus.

Hic autem, ad recitationem poematum, suas videtur commodasse ædes, ut infra, sat. VII, 40, *Maculonus*, ad eundem usum. — *Platani.* Scilicet porticus quas platani

adumbrant. — *Convulsaque marmora.* Potentiorum parietes marmorum crustis integebantur, quæ, assidue, recitantium et audientium frequentiâ, plausibus, et putidis acclamationibus σαρῶς, θείως, euge, bene, etc. rumpi vel convelli videbantur.

13. *Ruptæ... columnæ.* ] Hæc non differunt a convulsis marmoribus, et Δεινῶς et ὑπερβολικῶς dicuntur.

14. *Eadem exspectes.* ] Similiter Horatius, lib. II, epist. 1, v. 117: Scribimus indocti, doctique poemata passim.

15. *Et nos ergo manum.* ] Ego scholas grammaticorum ac rhetorum frequentavi, et rhetoricam didici; nova ratio, cur scribere et possim, et velim. — *Ferulæ.* Quæ pueri percutiuntur. — *Subducere,* proverbialis locutio, pro scholæ et grammaticis valedixi, et ab eorum potestate exemptus sum.

16. *Consilium dedimus Sullæ.* ] In scholis rhetorum, suasorias orationes (gall. *amplifications*), vel

versa parte, in templo quatuor columnarum, medius stat Vulcanus, dextra malleum tenens, cum hæc inscriptione: VOLCANO. DEO. Vulgatum tamen lectionem retinimus, utpote pluribus notam et familiarem.

V. 16. *Sullæ.* Codex Alexandrinus Bibl. Imper. *Syllæ.* Idem XV

Dormiret. Stulta est clementia, cùm tot ubique  
 Vatibus occurras, perituræ parcere chartæ.  
 Cur tamen hoc potius libeat decurrere campo,  
 Per quem magnus equos Auruncæ flexit alumnus, 20  
 Si vacat, et placidi rationem admittitis, edam.  
 Cùm tener uxorem ducat spado, Mævia Tuscum

controversias tractare didici: In ficto themate *Sullæ* suasi. — *Privatus ut altum dormiret.* Ut, depositâ dictaturâ, reliquum vitæ tempus in dulci otio transigaret. — *Altum dormiret.* Subauditur somnum. *Altum*, non interruptum curis ac vigiliis, quas summa secum trahit potestas. Apud nos dicitur: *Dormir d'un profond sommeil.* Male, qui hæc de morte accipiunt.

18. *Perituræ parcere chartæ.*] Stultus essem, si chartæ parcerem; cùm, ea nihilo secius peritura esset malorum manibus poëtarum, quorum tantus est numerus, ut ubivis, in eos incidas. Nihil igitur refert, utrum horum, an mea manu pereat.

19. *Decurrere campo.*] Metaphora petita a circo et stadio; et præsertim ab hoc ludi genere, quod Romani vocabant *ludum trojanum*; cujus, lib. V. *Aeneid.* Virgilius descriptionem nobis ornatissimam dedit: nisi malis, ab hoc exercitio, quod dicebatur

*decursio*; de quo mentionem faciunt Tit. Liv. A. Gell. Suet. cujusque adhuc extant monumenta in numismatt. imp. Neronis; ubi decurrunt duo equites paludati, hoc infra scripto: DECURSIO. Hic, *decurrere campo*, id est, me dare huic studio, huic poëmatis generi, id est, satiræ. A.

20. *Auruncæ.... alumnus.*] Lucilius ex Suessa natus, latinæ primus auctor satiræ. Ejus autem patria *Suessa Aurunca* dicebatur ab Auruncis, qui bello inter ipsos et Sidicinos orto, profugi cum conjugibus et liberis Suessam commigraverant. — *Flexit equos.* Styllum direxit.

21. *Cùm tener uxorem, etc.*] Difficile est, inquit, satiram non scribere, cùm omnia contra naturam fiant, et mulieres virorum, viri autem mulierum munia teneant. — *Spado.* Cui testes evulsi sunt, castratus, eunuchus. — *Tener*, mollis et effæminatus, ut infra, sat. VI, 383. — *Ducat uxorem.* Mulieres enim nobiliores,

alii codd. sed, rectius; multi habent *Sullæ*: nam, passim ap. inscriptt. legitur SVLLA; quod cognomen Romanum est, Græcis incognitum, qui illud, ut Plutarch. in vit. ejusdem, per Y scripserunt: unde hanc litteram recentiores in I Romanum, vel Y transformârunt.

V. 22. *Mævia* vel *Mevia.* Ita optimi et antiquissimi codd. Quidam

Figat aprum, et nudâ teneat venabula mammâ;  
 Patricios omnes opibus cùm provocet unus,  
 Quo tondente gravis juveni mihi barba sonabat; 25  
 Cùm pars Niliacæ plebis, cùm verna Canopi  
 Crispinus, Tyrias humero revocante lacernas,

quæ aliquid de libidine deperdere, atque simul pœnas in adulteras a lege Julia latas incurrere nolebant, spadonibus nubebant: unde Martial. lib. VI, epig. 2.

Lusus erat sacræ connubia fallere tædæ,  
 . . . . .

Nec spado jam, nec mæchus erit, te præside, quisquam.

At prius, ô mores, et spado mæchus erat.

— *Mævia*. Pro quacumque muliere impudica. Indignatur autem in mulierum impudentiam, quas notum est a Domitiani temporibus, descendisse in arenam amphitheatricam, ibique gladiatorum partes egisse, et inter venatores, seu bestiarios cum feris pugnasse, donec id a Septimio Severo vetitum fuerit. — *Tuscum*. Aper tuscus, e Tuscia ferocior, ut ap. Horat. lib. I, od. 1, 28. *Marsus aper*.

23. *Nudâ teneat venabula mammâ*.] More venatricum, quarum humerus, pectusque dextrum in nummis et statuâ nudatum conspicitur.

24. *Unus, quo tondente, etc.*] Cinnamus nempe tonsor, qui Ju-

venalis temporibus vivebat, quique mulierculæ donis ad censum equestrem pervenit, et mox damnatus in Siciliam exulavit. De quo vid. Martial. VII, 63, al. 64. Alii volunt Licinum Augusti tonsorem et libertum.

25. *Gravis mihi barba*.] Barba jam longa et horrida. — *Sonabat*. Quippe quæ sub forcipe sonanti cadebat. Videtur autem alludere ad τριχας Græcorum, παρὰ τὸ τρίζειν, sic dictas, quod inter tondendum stridorem quemdam edant.

26. *Cùm pars Niliacæ plebis*.] Crispinus versu sequenti nominatus, e vili plebe servus. — *Niliacæ*, id est, Aegyptiæ, a Nilo Aegypti flumine. — *Verna*. Proprie est, qui domi ex ancilla nascitur. — *Canopi*. Canopus oppidum Aegypti celeberrimum, ad ostium Nili, prope Alexandriam situm, luxu et libidinibus infame.

27. *Crispinus*.] Domitiano Augusto gratissimus, ab eo ad censum equestrem provectus, et magister equitum Neronis. De quo vid. infra, sat. IV, v. 1 et seqq. — *Tyrias*. Purpureas, a Tyro ubi

*Menia*, alii *Nevia*. De hac meretrice loquitur Martial. lib. II, epig. 9, et 26. III, 13. Cæterum mira est in scribendis nominibus propriis varietas, quam, non nisi cùm res poposcerit, excutere conabimur.

V. 24 et 25. *Patricios omnes, etc.* Hi plane absunt a tribus codd.

Ventilet æstivum digitis sudantibus aurum,  
 Nec sufferre queat majoris pondera gemmæ:  
 Difficile est satiram non scribere. Nam quis iniquæ 30  
 Tam patiens urbis, tam ferreus, ut teneat se,  
 Causidici nova cùm veniat lectica Mathonis

nata et perfecta purpura. — *Humero revocante lacernas.* Molliter adstrictas, et fibulis male religatas, et defluentes, nempe brachia et manus in aëra jactando, quasi ad refrigerium; sed, revera, ad annulorum ostentationem. Ferrarius de re vestiaria, hæc aliter interpretatur; quasi lacernas tyrias, vel dibaphas leviores et tenuiores plures habuerit, atque ejusmodi haud unam revocaverit, id est, de die mutaverit; sed hæc explicatio nobis extra sensum, et nimis arguta videtur. — *Lacerna*, sive penula, vestis genus, quæ tunicæ induebatur: eadem et abolla quoque dicitur. A.

28. *Ventilet*] Agitet, et in aëra jactet ad refrigerium, et ad ostentationem. — *Æstivum aurum.* Annulos leviores tenuisque bractæ, quos vir mollis faciendos sibi curabat; ut, per æstatem eos gestaret; quoniam ei gravia et molesta nimis *majoris pondera gemmæ.* Ita delicati Romæ duplex habebant genus annulorum: alios æstivos, leviores; alios hyemales et

graviores. Turn. Adv. lib. XX, cap. 2.

29. *Majoris pondera gemmæ.*] Hoc est, annuli, cui gemma prægrandis inseritur: sic annuli hiberni. Hunc autem extitisse morem, vix crediderim: scilicet alios per hyemem annulos, per æstatem alios gestatos; id vero dictum ego puto hyperbolice, et scoptice ad augendam hominis vilissimi molliem. A.

31. *Tam ferreus.*] Χαλκοκάρδιος, σιδηρόφρων. Cicer. in Læl. *Quis tam ferreus, qui eam vitam tolerare possit?* — *Teneat se.* Temperet sibi, quominus satiras scribat.

32. *Causidici.... Mathonis.*] Ex paupere causidico, delatoris facti. Sic omnes interpp. At, ut recte observandum dedit Alexand. Rupert. minime certum est eum, hoc loco, ut delatorem notari; cùm ea de re nullum in historia extet monumentum. Idem Matho infra, sat. VII, v. 129, pauperibus causidicis adnumeratur, ex iis qui, ut se plebi commendent, simulant se divites esse; et opum,

nostris; in quibusdam ad marginem fuerunt restituti; in tribus aliis, sic ordinantur:

Cùm pars Niliacæ plebis, cùm verna Canopi,  
 Patricios omnes opibus cùm provocet unus,  
 Quo tondente gravis juveni mihi barba sonabat,  
 Crispinus, etc.....

Plena ipso? post hunc magni delator amici,  
 Et cito rapturus de nobilitate comesa  
 Quod superest, quem Massa timet, quem munere palpat  
 Carus, et a trepido Thymele summissa Latino? 36  
 Cùm te summoveant, qui testamenta merentur

luxûsque ostentatione, in magnum æs alienum incidunt: unde, hic potius, *novâ lecticâ*, stultam ostentationem hominis, insanamque ditiorum imitationem, non sine bile notari credendum est. Quo vitio tenentur omnes, qui dum potentiores volunt imitari, ipsi, ut Matho, conturbant ac deficiunt. — *Nova*. Nuper comparata; nempe, antea, pedibus incedebat.

33. *Plena ipso*.] Adeo vir erat crassus, pinguis, corpulentus. — *Magni delator amici*. Vet. schol. intelligit philosophum Heliodorum, qui Licinium Silanum detulit; vel philosophum Egnatium, qui Baream accusavit; vel Demetrium causidicum. Britannicus contra M. Regulum qui, tunc temporis, teste Plinio, lib. II, epist. 11 et 20, omnium bipedum fuit nequissimus. Inter quatuor igitur, unum habet quem eligat lector. Cæterum, etsi non perspicuum satis est, de quo poëta locutus fuerit; attamen, de hoc infami delatoris ministerio, et nefando delationis usu constat, qui adeo sub Nerone, Domitiano, aliisque imperatoribus viguit; ut non unum, aut quatuor, sed centum, pluresque citari possent, ad quos hæc nota infamiæ spectaret. Ego vero Heliodorum malim, eujus operâ, ut ait idem vet.

schol., Massa et Carus occisi fuerunt; quemque adeo cæteri delatores reformidaverunt, ut ex iis plures illi, sævitiam ejus placandi causâ, munera miserint. A. — *Magni... delator amici*. Non, ut quidam interpretantur, imperatoris, ad quem multos deferebat, nam huic sententiæ repugnant sermonis leges; sed, qui magnum aliquem suum, dignitate eminentem, amicum detulit. Sin autem hæc referas ad Heliodorum, Licinium Silanum intellige; si ad Egnatium, Bareas accipiendus est. A.

34. *De nobilitate comesa*.] Suis bonis spoliata.

35. *Massa*.] Bebius Massa, delator satis notus ex Tacit. Historia IV, 50; et Vit. Agr. et Plin. epist. III, VI et VII. — *Munere palpat*. Cui blanditur, quemque donis mitigare tentat.

36. *Carus*.] Mettius Carus, ex iisdem quibus *Massa* notus. — *Thymele*. Mima et optima saltatrix, de qua infr. sat. VI, 66, et VIII, 197. Uxor, vel amica *Latini*, mimi Domitiano gratissimi, qui eam misit ad placandum delatorem, vel muneribus, vel potius oblatione corporis; nam, id ultimum significat, in sensu obscæno, vox *summissa*.

37. *Cùm te summoveant*.] Cùm te heredem legitimum expellant.



Noctibus, in cœlum quos evehit optima summi  
 Nunc via processûs, vetulæ vesica beatæ?  
 Unciolam Proculeius habet, sed Gillo deuncem: 40  
 Partes quisque suas, ad mensuram inguinis, heres.  
 Accipiat sane mercedem sanguinis, et sic  
 Palleat, ut nudis pressit qui calcibus anguem,  
 Aut Lugdunensem rhetor dicturus ad aram.  
 Quid referam? quanta siccum jecur ardeat ira, 45

38. *Noctibus.*] Nocturni coïtûs, concubitûs operâ. — *In cœlum quos, etc.* Quibus nunc optima, vel facillima et brevissima via ad summos honores, ad consulatum, et ad divitias est, *vetulæ vesica beatæ.*

39. *Vesica.*] Pudenda mulierum. — *Beatæ.* Divitis, ut εὐδαίμων, μακάριος, gall. *fortunée.*

40. *Unciolam.*] Assis partes hæ sunt: *uncia*, sive pars duodecima; *sextans*, sexta pars. *Quadrans*, quarta pars; *triens*, tertia pars; *quincunx*, quinque uncia; *semis*, dimidium assis; *septunx*, septem uncia; *dodrans*, dempto quadrante; *Bessis*, dempto triente; *dextans*, sextante dempto, et *deunx*, demptâ tantum uncia, ita, undecim partes assis. Et, cum percommoda esset in computationibus totius in XII partes divisio; sic, aliæ res, imprimis hereditates, ad assis modum distributæ sunt. Satirice igitur, amplificat hanc turpitudinem Juvenalis; ita, ut, *Proculeio* adultero, mediocriter mentulato, duodecima vix pars hereditatis, ad assis modum mensuratæ, eveniat; et ut Gillo, alter mœchus, multo amplius mentulatus, ex duode-

cim partibus, undecim, id est, fere totam absorbeat hereditatem.

42. *Accipiat, etc.*] Hæc amarè et ironice sunt legenda. — *Sanguinis.* Coïtu exhausti.

43. *Palleat.*] Debilitatus intemperato coïtu, atque decoloratus.

44. *Aut Lugdunensem, etc.*] Sic Suet. Calig. cap. 20. *Caligula instituit in Gallia, Lugduni, certamen græcæ latinæque facundiæ, quo ferunt victoribus præmia victos contulisse, eorundem et laudes componere coactos: eos autem qui maxime displicuissent, scripta sua spongiâ linguâve, delere jussos, nisi ferulis objurgari, aut flumine proximo mergi maluissent.* Dicturi igitur illic oratores metu pallebant propositæ pœnæ. Gallic. interpres *Dusaultx*, in suis notis, de his a Caligula ludis institutis dubitare videtur. Ex loco præcit. constat aram Augusto dicatam extitisse, ad confluentem Araris et Rhodani, ubi nunc est abbatia *Asnay* dicta; atque illic ludos et certamina eloquentiæ atque poëseos actos fuisse a Caligula, non ab Augusto institutos. A.

45. *Quid referam, etc.*] Alia indignationis causa, tum in spolia-

Cùm populum gregibus comitum premit hic spoliator  
 Pupilli prostantis! At, hic damnatus inani  
 Judicio (quid enim salvis infamia nummis?)  
 Exul ab octava Marius bibit, et fruitur Diis  
 Iratis; et tu victrix provincia ploras! 50  
 Hæc ego non credam Venusinâ digna lucernâ?

tores privatorum, tum in spoliatores urbium ac provinciarum.

46. *Comitum.*] Clientium, qui officium patronis præstabant, non solum salutando, sed etiam deducendo ac comitando.

47. *Pupilli prostantis.*] Spoliati, et eo usque redacti, ut, ob paup. cogatur victum turpissimo corporis quæstu sibi parare.—*At hic.* Marius Priscus, homo hæticus, in Africam proconsul missus, eam spoliaverat; ideoque ab Afris, instante Cornuto Tertullo cos. design. imperii Trajani anno III, repetundarum accusatus, atque damnatus 700000 num. ærario intulit, ei quoque Urbe et Italiâ interdictum est; qui sibi, multis opibus adhuc relictis, genio nihilominus noctes diesque indulgebat.—*Inani judicio.* Quia provincialibus, quos spoliaverat haud

multum profuit judicium illud, nam pecunia eis erepta non fuit reddita, sed ærario illata; neque Mario multum obfuit.

49. *Exul ab octava.*] Moris erat Romæ, ut octavâ lavarent, nonâ vero accumberent. Qui ergo ante tempus destinatum genio indulgebant, helluones et luxuriosi habebantur.—*Et fruitur Diis iratis.* Gaudet ira Deorum, hoc est, damnatione, quâ licet a negotiis remotus, tantum otii nactus, ut nunc vino et libidinibus libentius quàm antea possit indulgere.

50. *Et tu victrix provincia.*] Victrix quia vicisti in judicio, et Marius condemnatus est.—*Ploras.* Quia spoliata es, nec nummi tibi restituti.

51. *Venusinâ.... lucernâ.*] Id est, satirâ qualem Horatius scripsit, cujus patria fuit Venusia, urbs

Vers 46. *Premat.* Huic lectioni dubio procul anteposuissem *premat*, quod legitur ap. XXX tum codd. tum edd. nisi infra, v. 49, sequerentur *bibit et fruitur*.

V. 47. *At, hic.* Hanc lectionem primus, ex omnibus nostris codd. ut solam et sinceram revocavi. Miror enim, quâ facilitate eam mutaverint editores recentiores, hujus particulæ *at* vim satiricam non intelligentes; quæ sic se habet: *Quantâ siccum jecur ardeat irâ, cùm populum premit hic spoliator pupilli prostantis*; sed, ille spoliator tantum privatus: *At, hic* Marius provinciarum spoliator, *damnatus inani judicio*, etc.!... *Quantâ siccum jecur ardeat irâ!*

Hæc ego non agitem ? Sed quid magis Heracleas,  
 Aut Diomedæas, aut mugitum Labyrinthi,  
 Et mare percussum puero, fabrumque volantem ;  
 Cùm leno accipiat mœchi bona, si capiendi  
 Jus nullum uxori, doctus spectare lacunar,  
 Doctus et ad calicem vigilantī stertere naso ;

55

in confinio Lucaniæ et Apuliæ sita. — *Lucernâ*. Solebant veteres elucubrare versus suos ad lucernam : unde illud in elaboratum diu opus *Λήκυθον ὄζει*.

52. *Sed quid magis Heracleas.*] His moribus, addit, hoc sæculo, cur potius scriberem fabulas satis notas, et ab omnibus tam bene, tam male tractatas ; cùm maritus leno, etc. — *Heracleas*. Fabulas de laboribus Herculis.

53. *Diomedæas.*] Diomedem ab uxore non receptum, et socios ejus in aves versos. — *Mugitum Labyrinthi*. Fabulam de Thesei certamine cum Minotauro.

54. *Et mare percussum puero.*] Icarum in mare cadentem. — *Fabrumque volantem*. Patrem ejus Dædalum, qui incolumis evasit.

55. *Cùm leno accipiat mœchi bona.*] Aliam non minorem notat turpitudinem. Leno est ipse maritus, qui, cupidus pecuniæ, pudicitiam uxoris suæ vendit. — *Si capiendi jus nullum uxori*. Nam Domit. teste Suet. cap. 8, *probrosis*

*fœminis lecticæ usum ademerat, jusque capiendi legata et hereditates* : ita, in fraudem legis componebant inter se ; ut, ipse maritus leno succederet adultero heres, atque, veluti per fidei-commissum, res adulteri ad adulteram venirent.

56. *Doctus spectare lacunar.*] Simulat jucundus iste maritus et commodus nescio quid se nugarum agitantem, totumque in illis non attendere, dum *sursum* spectat, ad illa quæ *humi* peraguntur ; quanquam et ipse optime sciat.

57. *Et ad calicem.*] Juxta poculum. — *Vigilanti stertere naso*. Et veluti ebrius simulat altum somnum naso ronchisono, dum mœchus concumbit cum uxore sua. Hujus generis lepidam narrat Plut. historiam in Erotico p. m. 1352. Sic : Πολλοὶ ἀφροδισίων ἐτέρους ἐκκοινωνήσαν, οὐ μόνον ἐταίραις, ἀλλὰ καὶ γαμετάς προσαγωγέουσιν ὡσπερ καὶ ὁ Ῥωμαῖος ἐκαῖνος, ὃ ἐταῖρε, Κάλβας ἐς τὴν Μαικήναν, ὡς εἶοικεν, εἶτα ὄρων διαπληκτιζόμενον ἀπὸ

V. 52. *Heracleas*. In nostris plerisque codd. scribitur *Herculeias*. Quatuor habent *Herculeas*. Duo tantum *Heracleas*, quod prætulimus, et propter metrum (secunda syllaba corripitur in voce *Herculeias*), et propter etymologiam ; venit enim a voce græc. Ἡρακλῆς, unde Ἡρακλείας, et *Heracleas*. F. D.

Cùm fas esse putet curam sperare cohortis,  
 Qui bona donavit præsepibus, et caret omni  
 Majorum censu, dum pervolat axe citato 60  
 Flaminiam (puer Automedon nam lora tenebat,  
 Ipse lacernatæ cùm se jactaret amicæ)?

νευμάτων πρὸς τὸ γύναιον, ἀπέκλινεν ἡσυχῇ τὴν κεφαλὴν, ὡς δὴ καθεύδων ἐν τούτῳ δὲ τῶν οἰκετῶν τινὸς προσρυσέντος ἔξωθεν τῆ τραπέζῃ, καὶ τὸν εἶνον ὑφαιρουμένου διαβλέψας, κακὸδαίμων, εἶπεν, οὐκ οἶσθα, ὅτι μόνω Μαικίην καθεύδω; Τούτο μὲν εὖν ἴσως οὐ δεινόν ἐστιν· ἦν γὰρ ὁ Καλέας γελωτοποιός.

58. *Curam sperare cohortis.*] Præfecturam cohortium prætorianarum, munus præfecti prætorio.

59. *Qui bona donavit præsepibus.*] Equis alendis bona impendit. — *Et caret omni maj. censu.* Quia eum dilapidavit. Quis fuerit ille de quo mentio fit, non constat inter interpretes. Alii Tigellinum intelligunt, qui fuit Neroni ab intimis libidinibus, et ab eo prætorianis cohortibus præfectus. Tac. Ann. lib. XIV. Alii Cornelium Fuscum, qui, etsi ortus ex illustri familia, puer auriga fuit Neronis, sædam egit adolescentiam, in lûpanaribus atque aurigatione versatus, bona perdidit, ac deinde, temporibus Domitiani, cohortium prætorianarum præfectus, bellum gessit adversus Dacos, ubi occubuit. Alii alios, inter quos iudicium ferre et difficile, et forsitan inutile esset: nam in gratiam Neronis multos nobilium aurigandi studio captos fuisse nemo nescit; unde illud cuivis nobili

sic turpiter prostanti posset con venire. Attamen Cornelium Fuscum malim intelligere; quippe qui, vir nobilis, propter suam infamiam, Juvenalis satirâ, et animadversione dignus magis mihi videatur. A.

61. *Flaminiam.*] Viam omnium antiquissimam et celeberrimam, Româ per Etruriam Ariminio tenus a C. Flaminio censore, anno V. C. DXXXIII, perductam, et ab Augusto postea munitam. — *Puer Automedon.* Fuscus, vel alius auriga Neronis, ut Automedon ἠνίοχος Achillis, de quo vid. Hom. Il. π. 145. Pro quovis auriga, Cicero quoque Automedontis nomine utitur. Vid. Rosc. Am. cap. 35.

62. *Ipse.*] Nero: nam *ipse*, ut Græcis αὐτός et ἐκαῖνος, pro magistro, domino dicitur. — *Lacernatæ jactaret amicæ.* Dum Nero blanda gesticulatione se ingere-ret, se insinuaret amicæ, illam sæpe amplexus atque osculatus. — *Amicæ lacernatæ.* Hic per ludibrium designatur puer, pusio, qui amicæ loco habetur. Proprie amica mascula. Nam *lacerna* est habitus virilis. Quidam igitur recte monent, hoc loco, significari Sporum, quem puerum Nero, teste Suet. cap. 28. *Exsectis testibus, in mulierem transformare conatus*

Nonne libet medio ceras implere capaces  
 Quadrivio; cùm jam sexta cervice feratur  
 Hinc atque inde patens, ac nuda pæne cathedra, 65  
 Et multum referens de Mæcenate supino

*est... quemque pro uxore habuit... comitatus eum, identidem osculans, etc...*

63. *Nonne libet.*] Implere versibus, carmine satirico *ceras*, tabulas ceratas. Domi, papyro, vel membranis veteres scribebant; foris, tabulis ceratis, quibus quæque notari digna sibi viderentur, stylo seu graphio exarabant, et postea explanabant altera parte styli, quæ erat lata et plana. — *Capaces.* Amplas, ut convenit materiæ, quæ satis ampla occurrit.

64. *Quadrivio.*] In ipsa via, et quidem in quadrivio, ubi quatuor viæ concurrunt, adeoque plura carmine satirico digna videntur. — *Cùm jam sexta cervice feratur.* Ita Prateus, ex Just. Lips. de lectica disserit: « Duplex erat lectica: altera aperta, altera tecta contra injurias aëris, et hominum aspectum. Hanc Plin. lib. XXXVII, cap. 2, *cubiculum viatorium* vocat; loquens de Nerone, *sceptra, personas et cubicula viatoria unionibus consuebat*, inquit. Et Suet. Octav. cap. 78, narrat Augustum, cùm per vicos deportaretur somni indigentem, depositâ lecticâ, interdum per aliquot horas dormivisse. Erat porro lectica tecta velo, et pelle munita, plagulis ad fenestras appositis, quas removere fas erat, cùm libebat prospicere volenti. Patet ex

« Suet. Tit. cap. 10. *Cùm lectica transferretur, suspexit dimotis plagulis cælum; et ex Martiali, lib. II, epig. 99, et aliis... Lecticâ qui vehebatur, jacebat in pulvino resupinus. Cic. Verr. V. Nam, ut mos fuit Bithyniæ regibus, lecticâ octophoro ferebatur, in qua erat pulvinus pellucidus, rosa fartus. Lecticam soli homines portabant, qui lecticarii dicebantur. Ita, hoc loco, Nuda pæne cathedra; undique patente, remotis velis, cathedra, quæ eadem est ac sella seu lectica tecta; adeo ut, et pulvinus appareret, et ipse in pulvino molliter recumbens. Sella porro duplex pariter erat: alia potentiorum, quæ laxior, et a sex vel octo servis ferebatur (unde ἑξαφόρον et ὀκτοφόρον); alia tenuiorum, quæ minuta et arctior a duobus servis facile portabatur, cùm in circum, aut theatrum ibant; unde et gestatoria nuncupabatur, ad sedentariæ sellæ discrimen. Unde colligi potest, hic agi de sella lata, secundum lecticæ genus, cui vela quidem erant, sed remota, quæque sexta cervice, scilicet a sex servis circumferebatur. A.*

66. *De Mæcenate supino.*] Comparat illum quem carpit Mæcenati, quem supinum vocat, propter mollitiem suam, quâ apud veteres male audiebat; vel

Signator falso, qui se lautum, atque beatum  
 Exiguus tabulis, et gemma fecerat uda?  
 Occurrit matrona potens, quæ, molle Calenum  
 Porrectura, viro miscet sitiante rubetam, 70  
 Instituitque rudes melior Locusta propinquas  
 Per famam, et populum nigros efferre maritos.  
 Aude aliquid brevibus Gyaris et carcere dignum,  
 Si vis esse aliquis: probitas laudatur, et alget.

quod ventre supino dormiret; vel, propter aversam Venerem, quam ille patiebatur.

67. *Signator falso.*] Corruptor scripturæ. *Un faussaire.* Falso hic non adverbium, sed *falsum* in jure rom. dicebatur corruptio imprimis testamentorum; et nota lex Cornelia de falsis. Quis autem ille fuerit signator falso, de cujus mollitie, opibus ac potentia tam magnifice loquitur Juvenalis, incertum est. Quidam volunt Domitium Regulum; alii Sophronium Tigellinum qui, trium patruorum veneno interemptorum subtractis tabulis, et falso signatis, hereditates invasit.

68. *Exiguus tabulis.*] Brevi testamento in quo, paucis verbis, omnia bona uni relinquebantur, et quo falsarius iste heres ex asse instituebatur. — *Gemma fecerat uda.* Annulo signatorio, qui saliva humectatus imprimitur ceræ, quique gemmam ectypam, id est, effigiatam inclusam habet.

69. *Matrona potens.*] Forsan Agrippina, quæ Claudium imperat. maritum suum medicato sustulit boleto, cuique tam a marito, quam a filio summa rerum

permissa; unde *potens* dicitur. — *Molle calenum.* A Cale oppido Campaniæ sic dictum. Hic pro quovis vino generoso.

70. *Rubetam.*] Venenum confectum e rana terrestri, in rubis et vepribus degere solita, et venenata: unde *rubeta* dicitur.

71. *Locusta.*] Venefica notissima ex Tacit. an. XII, 60. et Suet. Ner. cap. 33. — *Propinquas rudes.* Imperitiores veneni.

72. *Per famam et populum.*] Populo vidente, fama nunciante, illa tamen impunita. — *Efferre.* Domo mortuos, pro sepelire. — *Nigros.* Cadavera eorum veneno lurida.

73. *Aude aliquid, etc.*] Sic Plinius epist. II, 20. *Jam pridem non minora præmia, immo majora, nequitia et improbitas, quam pudor et virtus habebant.* — *Gyaris.* Gyaros, seu Gyara, *brevis*, hoc est, parva insula sterilis, sine cultu, egena aquæ et asperrima Cycladarum in Aegeo mari: hodie *Cabairo*, inter Andrum et Ceam, in quam damnati, his temporibus, deportari solebant.

74. *Si vis esse aliquis.*] Hæc omnia amarè dicta. *Esse aliquis*, idem

Criminibus debent hortos, prætoria, mensas, 75  
 Argentum vetus, et stantem extra pocula caprum.  
 Quem patitur dormire nurûs corruptor avaræ?  
 Quem sponsæ turpes, et prætextatus adulter?  
 Si natura negat, facit indignatio versum,  
 Qualemcumque potest; quales ego, vel Cluvenus. 80  
 Ex quo Deucalion, nimbis tollentibus æquor,

ac esse magnus, eximius, in honore et pretio; ut Græcis τις id. quod μέγας. Arr. Epict. II, 24: δεικῶν μὲν τις εἶναι, ὧν δὲ οὐδεὶς. Sic Gallis: *Il se croit quelque chose.* — *Probitas laudatur, et alget.* Vera magis, quàm quæ deberet, sententia.

75. *Prætoria.*] Aedificia, villas, domus in modum palatiorum constructas, prætore dignas.

76. *Argentum vetus.*] Veteris cælaturæ et artificii. — *Et stantem extra pocula caprum.* Intelligit signum capri, seu Phryxi in exteriore parte poculi cælatum et exsculptum.

77. *Quem patitur dormire.*] Scilicet poetam a satira scribenda quiescere. — *Corruptor.* Socer stuprator nurûs avaræ quæ, cùm pecuniæ cupida sit, se facile corrumpi patitur.

78. *Sponsæ turpes.*] Viri viris nubentes. — *Et prætextatus adulter.* Puer nobilis nondum egressus XV annum, et adhuc in prætextata, qui jam didicit adulterum agere, et pædicari. *Prætextata* erat toga alba, cujus ora et circuitus

limbo purpureo prætexebantur. Ea autem communis erat pueris et magistratibus summis ac sacerdotibus; unde, hic locus potest intelligi de magistratu vel sacerdote adultero. A.

79. *Si natura negat.*] Conclusio. *Si natura negat facultatem poeticeam; indignatio, etc.*

80. *Quales ego.*] Illud modeste dictum. — *Vel Cluvenus.* Hoc scopitice. « Mos enim est poetis satiricis, inquit Grang., in medio discursu semper obliquo aliquem dissecare ictu, et ore in latum distorto allectare; ut sæpe noster, et Horat. qui sic in fine sat I.

Jam satis est, ne me Crispini scrinia lippii  
 Compilasse putes, verbum non amplius addam. »

— *Cluvenus* autem malus poeta, non aliunde notus.

81. *Ex quo Deucalion, etc.*] His versibus proœmii loco scriptis, continetur argumentum et summa sequentium satirarum. Omnia, inquit, vitia hominum, om-

V. 79. *Versum qualemcumque potest.* Ita codicum pars maxima. Quidam tamen, et rectius, nostro judicio, habent: *Versus, qualescumque potest, quales ego, etc.*

Navigio montem ascendit, sortesque poposcit,  
 Paulatimque animâ caluerunt mollia saxa,  
 Et maribus nudas ostendit Pyrrha puellas:  
 Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,  
 Gaudia, discursus, nostri est farrago libelli. 86  
 Et quando uberior vitiorum copia? quando  
 Major avaritiæ patuit sinus? alea quando

nes eorum affectus, ab eo tempore quo *Deucalion*, etc. usque ad nostram ætatem; et omne quidquid agunt, est *farrago*, materia nostri libelli. — *Deucalion et Pyrrha*. Satis noti ex Ovidio.

82. *Montem*.] Parnassum. — *Navigio*. Rudi, quod auctores græci vocant κίεωτον et λάρανα. Ovid. *parvam ratem* appellat, qualis in numism. Apamensium conspicitur, de quo vid. Falconerium. — *Sortesque poposcit*. Oraculum Themidos consuluit. Sortes erant responsa Deorum.

83. *Paulatimque animâ*.] Id est, cum saxa paulatim duritiem exuere cœperunt, ac spiritu vitali incalescere. Quæ inepta fabula de Pyrrha, et de lapidibus ab ea jactis, et in homines mutatis, orta videtur, ut aliæ, ex analogia verborum græcorum λαός populus, et λάας, λάας lapis. Vid. Heyne ad Apoll. p. 95 et Herman. Mythol. Tom. II, p. 305.

84. *Et maribus nudas*.] Rigaltius in dissert. de sat. Juven. monet, « Hic subtiliter innui, futile et

« absurdum esse quod poëtæ fabulantur de sanctitate morum  
 « ac castitate Deucalionis et Pyrrha: hanc præsertim non tam  
 « pudicam fuisse; sed potius magam et lenam, quæ projectis  
 « post terga sua saxis, nudas puellas ediderit, quas maribus  
 « conciliârit. » Al. Rup.

86. *Discursus*.] Non tam ad corpus referri debet, quàm ad animum; nam *discursus*, id est, affectus et perturbationes animi, quibus homo, ut Furiis agitur, huc et illuc discurrit et perturbatur. — *Farrago*. Proprie æcervus farris et variorum leguminum, ut hordei, vicix, etc. Hic rerum variarum congeries.

87. *Et quando uberior, etc.*] Sic Seneca in Octavia:

Collecta vitia post tot ætates diu  
 In nos redundant, sæculo premimur  
 gravi.

Non falsus igitur fuit vates Horat. lib. III, od. 6, v. 45:

Aetas parentum peior avis, tulit  
 Nos nequiores, mox daturos  
 Progeniem vitiosiore.

88. *Sinus*.] Sinus idem est ac

V. 83. *Animâ caluerunt*. Quidam codd. et editi libri habent *animas*. Hanc lectionem defendit Heinsius, hoc loco fultus Ovidii *Metam. VI, Paulatim, inque animas caluerunt mollia saxa*.



Hos animos? neque enim loculis comitantibus itur  
 Ad casum tabulæ, positâ sed luditur arcâ. 90  
 Prælia quanta illic dispensatore videbis  
 Armigero! simplexne furor sestertia centum  
 Perdere, et horrenti tunicam non reddere servo?  
 Quis totidem erexit villas? quis fercula septem  
 Secreto cœnavit avus? Nunc sportula primo 95

crumena, quæ veteribus e collo pendebat, deinde in sinum demittebatur: unde romanis auctoribus frequens mentio *sinûs* pro crumena. — *Alea*. Hæc voce, designatur omnis ludus, qui ex fortuna magis, quàm ex arte pendet.

89. *Loculis*.] Capsulis, crumenis, quæ partem aliquantulam fortunæ continent.

90. *Ad casum tabulæ*.] Fortuitum ludum: nam in hoc lusu, tali, vel tesseræ in abacum, seu tabulam lusoriam mittebantur. — *Positâ.... arcâ*. Thecâ nummariâ, in qua, quidquid pecuniæ numeratæ aliquis habet, reconditur. Ita, luditur cum universa re familiari cujus naufragium faciunt; atque, ut facete inquit Lucian. *Saturnal.* 4: Οἱ δὲ ἐμπροσθεν γυμνασίου ἐξενήξαντο, συντριβέντος αὐτοῖς τοῦ σκάφους, περὶ εὐτῶ μικρῶ ἔρματι τῶ κυβῶ.

91. *Dispensatore*.] Dispensator et curator rei familiaris, *οἰκονόμος*, qui rationem tenet accepti et expensi. — *Armigero*. Quia domino ludenti, ut armiger domino pugnantem, ludi arma præbet talos, tesseras, et præsertim pecuniam.

92. *Simplexne furor*.] Num parva tantum insania est? Hic *simplex* opponitur *magno*. — *Sestertia cen-*

*tum*. C. H. S. Centum millia sestertiûm, seu sestertiorum: nostræ nuperæ monetæ 19598 fr. 765  $\frac{34}{81}$ . De sestertiis aliisque Romanorum monetis, vid. quæ notavimus ad sat. IV, v. 29.

93. *Tunicam non reddere servo*.] Reddere, hic, non significat restituere acceptum vel depositum, sed dare: nam, is reddit qui debet. Porro, herus servo debet cibum et vestitum: reddit igitur cum dat ei debita. — *Horrenti*. Frigore argenti.

94. *Quis fercula septem*.] *In atrio, et duobus ferculis epulabantur antiqui*. Servius ad Virg. *Aen.* I, 637. de Caton. *Ferculum* autem est missus carniûm: *cœnare* igitur, *fercula*, dicit eo modo, quo Horat. *cœnare patinas*. — *Secreto*. Privatim, solus, nullo conviva adhibito.

95. *Sportula*.] Nobiles Romani tunc, non, ut olim, clientes suos ad cœnam justam, scil. ad cœnam rectam invitabant; sed, propter quotidiana salutationum officia, *sportulam* eis dabant, seu sportellam, corbulam quæ cibaria, aut (quando cibi non erant) centum quadrantes, nostræ monetæ circa 2 fr., continebat. — *Primo limine*. Ante fores ædium, in vestibulo.

Limine parva sedet, turbæ rapienda togatæ.  
 Ille tamen faciẽm prius inspicit, et trepidat, ne  
 Suppositus venias, ac falso nomine poscas :  
 Agnitus accipies. Jubet a præcone vocari  
 Ipsos Trojugenas ( nam vexant limen et ipsi 100  
 Nobiscum ). Da prætori, da deinde tribuno.  
 Sed libertinus prior est. Prior, inquit, ego adsum :

96. *Turbæ.... togatæ.*] Eo sensu, quo dixit Virgil. Aen. I, v. 282 : Romanos rerum dominos, gentemque togatam.

Nam toga erat habitus communis omnibus civibus romanis. Temporibus tamen Cæsarum, non amplius vulgo divitibus in usu erat, neque fere gestabatur nisi a pauperibus et tenuioribus. — *Rapienda.* Quasi violenter occupanda; ut, apud nos mendici, quorum alter alteri præripit.

97. *Ille.*] Servus œconomus, sportulæ distribuendæ præpositus. Nam, sportula non indistincte dabatur; sed tantum clientibus, et regum asseclis. — *Et trepidat ne.* Nam, a domino, si quis error esset, argueretur, et damnatum ferret. Quidam interpp. hæc, *ille tamen prius inspicit, et trepidat, etc.* et infra, *jubet*, volunt ad dominum referri; sed, vix credendum est, eum ipsum qui, ut secreto cœnaret, suâ mensâ clientibus suis interdixerat, tempus consumpsisse voluptatibus consecratum, in sportula foris distribuenda: unde non male conjiciunt alij, etsi illud satis compertum ex Juvenale non est, unum e servis huic officio fuisse

præpositum. Præterea, si dominum intelligi voluisset poëta, non ille, sed ipse dixisset, ut sup. v. 62. *Ipse*, ἀὐτός ( Nero, Imp. ) *lacerata*, etc. Ita quoque Calderin. ex vett. gloss. « Ille, custos balnearum: nam ab eo erogabatur sportula, hoc est, centum quadrantes. Martial. *Quos balneator dividebat elixus.* » A.

99. *Agnitus.*] Agnosci dicitur qui jam visus est; et cognosci, qui tunc primum videtur.

100. *Ipsos Trojugenas.*] Patricios etiam majorum gentium: nam, patricii, ut discernerentura novis hominibus quos Jul. Cæsar in senatum introduxerat, trojanam originem affectabant; unde *Trojugenæ* dicebantur. — *Nam, vexant limen et ipsi.* Nam, ipsi patricii ad paupertatem redacti nobiscum mendicatum eunt.

101. *Da prætori.*] Verba nobilium manus porrigentium. Prætor clamat, *Da prætori.* Tribunus, *Da tribuno.* Prætor, inquit Varro, *dictus, quod exercitui præerat, est et magistratus juridicundo præpositus.* Cic. de legibus II: *Tribunus aut plebis, aut militum fuit.*

102. *Sed libertinus prior est.*] Verba dispensatoris. — *Prior, inquit, etc.*

Cur timeam, dubitemve locum defendere, quamvis  
 Natus ad Euphratem, molles quòd in aure fenestræ  
 Arguerint, licet ipse negem? sed quinque tabernæ 105  
 Quadringenta parant. Quid confert purpura major  
 Optandum, si Laurenti custodit in agro

Contentio ridicula inter nobiles istos mendicantes et libertinos, de loco et de primatu. Prior, inquit libertinus, huc accessi; ergo, etc. *Libertinus*, non, ut quidam putant, filius liberti, sed libertus ipse, qui tunc liberti nomen sumit, adjecto patroni nomine: sic, libertus Augusti, etc. Vid. Ernest. ad Suet. Claud. 21.

104. *Natus ad Euphratem.*] In Oriente, Armenia, Mesopotamia, ex quibus regionibus multi servi Romam ducebantur: scil. quamvis olim servus fuerim. — *Molles quòd in aure fenestræ.* Fissuræ, vel foramina in lobis. Aurium autem perforatio servitutis signum fuit apud Orientis populos, qui pueris etiam deorum cultui et ministerio, ut tanquam illorum mancipia essent, consecrandis, aures perforabant.

105. *Sed quinque tabernæ.*] Quas in foro habeo, quæque a me locantur, mihi quotannis parant, reddunt, fenerant, etc. Aliter *Dusaulx*, Pars una fori, inquit,

argentariis et feneratoribus reservata erat, ad quam convenirent de negotiis agendis. Quisquidem locus ad hunc respondet, quem recentiores vocant *la bourse*; et sæpius nomen mutavit: nam, sic Tit. Liv. lib. XXVI, cap. 27. *Septem tabernæ, quæ postea quinque et argentariæ, quæ nunc novæ appellantur, arsère.* Sic igitur: *Quinque tabernæ quadringenta parant.* Non quòd reipsa quinque tabernas haberet; sed, quòd ex fenore, et negotiis in quinque tabernis (*à la bourse*) inter argentarios peragendis, sibi IV.C.H.S. redditum pararet annum. A.

106. *Quadringenta.*] Subaudi sestertia, vel quadringenta millia sestertiùm, 78395 fr. 061  $\frac{59}{81}$  — *Purpura major.* Quid confert purpura major, id est, consulatus? — *Optandum,* quare tantopere exoptetur; *si, Corvinus* e nobilissima Valeriorum gente ortus, eo devenit inopiæ, ut *conductas, alienas oves custodiat in agro Laurenti?*

107. *Laurenti.*] Laurentum op-

V. 106. *Quadringenta.* Quidam codd. habent *quadraginta*; malè. Nam censum equestrem innuit hoc loco poëta, qui erat CCCC.H.S. non XL. vid. sat. II, v. 117. — *Purpura major.* Varietas multa hic, etiam in optimis codd. nam ap. XXVII legitur, *Purpura majus.* In aliis vero *purpura major*; rectius, ut nobis visum: incertum est enim, an *majus* pro magis dici possit: præterea, cum nostra lectione, nihilominus recte fluit oratio, et sensus percipitur.

Conductas Corvinus oves? Ego possideo plus  
 Pallante et Licinis. Exspectent ergo tribuni:  
 Vincant divitiæ: sacro nec cedat honori, 110  
 Nuper in hanc urbem pedibus qui venerat albis;  
 Quandoquidem inter nos sanctissima divitiarum  
 Majestas: esti funesta Pecunia templo  
 Nondum habitas, nullas nummorum ereximus aras,  
 Ut colitur Pax, atque Fides, Victoria, Virtus, 115  
 Quæque salutato crepitat Concordia nido.

pidum in antiquo Latio, ubi magni campi et pascua.

109. *Pallante et Licinis.* ] Pallas, Claudii Imp. libertus satis ex historia notus. — *Licinis.* In gente Licinia ditissimæ erant familiæ; imprimis, Licinii Calvi, Stolones pater et filius, et Crassi cognomine divites satis noti. Sed hic potius intelligendus est Licinus Augusti libertus prædives, quoniam libertinus loquitur, et cum Pallante, alio libertino, eum conjungit.

110. *Sacro.... honori.* ] Tribuno, magistratui sacro-sancto.

111. *Pedibus qui venerat albis.* ] Servus venum expositus, Consueverant autem pedes servorum venalium trans mare advectorum creta vel gypso notari: signato sigillo domini, si privati essent; rei publicæ, si publica mancipia.

113. *Etsi funesta pecunia.* ] Etsi templa et aræ nondum erectæ

sunt pecuniæ exitiosæ; ea tamen pro Dea colitur, ut Pax, Fides, etc.

115. *Ut colitur Pax, etc.* ] Paci templum extruxerat Vespasianus Foro proximum; Fidei Numa ad portam Capenam; Honori M. Marcellus; Victoriæ Arcades in palatio; et Concordiæ olim Camillus: et postea Tiberius Imp. in quo senatus haberi aliquando solitus erat.

116. *Quæque salutato, etc.* ] Hic locus ænigmatis speciem præ se fert, quod nemo adhuc Oedipus solvit. Hæc plerique interpp. quibus assentiri cogimur, ad ciconiam referunt, quam dicunt, propter suum erga parentes et liberos singularem affectum, Concordiæ consecratam, ejusdemque virtutis fuisse symbolum. Ita sensus erit: « Et Concordia, in cuius ædis fastigio ciconia nidificans sonitum edit, et crepitat cum pullos suos revisit. » Alii,

V. 109. *Licinis.* Ita apud omnes, paucis exceptis, qui ferunt *Liciniis*.

V. 116. *Concordia.* Omnibus fere. Quidam tamen, sed paucissimi, et tres codd. vetustiss. Jac. Susii, *Ciconia*. « At illa lectio, inquit Alex. « Ruperti, glossam redolet; præterea, ei metrum adversatur ».

Sed cùm summus honor finito computet anno ,  
 Sportula quid referat , quantum rationibus addat ;  
 Quid facient comites , quibus hinc toga , calceus hinc est ,  
 Et panis , fumusque domi ? Densissima centum 120  
 Quadrantes lectica petit , sequiturque maritum  
 Languida , vel prægnaans , et circumducitur uxor .

ut Politian. Miscell. cap. 67. cui adstipulantur Constant. Landus, in explicat. numism. roman. p. 66 et seqq. Scalig. Poët. III, 100. Plathnerus, etc. moti auctoritate nummi Faustinae Augustae, in quo cornix cum hac inscript. CONCORDIA, cornicem volunt Concordiae fuisse symbolum, eamque avem pictam in fronte ejus templi. At, illud ultimum etiamsi satis probaretur; idem tamen, mutato solum nomine avis, sensus permaneret. Flavius, in conjectaneis, cap. 53, intelligebat aedem Concordiae, in qua senatus aliquando habitus sit, et quo cum strepitu confluerint patres. Quae explicatio sincera satis atque simplex videtur. Aliter, nec inepte, codex chartaceus in-4<sup>o</sup> (n<sup>o</sup> 8294) bibliothecae imperialis parisiens. XVII saec. cui titulus, *Vocabularium ad Juvenalem*: « Nidus, pro  
 « parva urbe, *une bicoque*; pro  
 « parvis etiam aedibus sumitur,  
 « aut sacris aut privatis. Ibi satirice, pro parvo item et neglecto templo, nempe Deae Concordiae, quae crepitat, cùm Romani,  
 « raro tamen magis quam antea,  
 « immo rarissime, salutatum eunt  
 « de summis rebus acturi. » Inter

has sententias sapiens eligit lector. A.

117. *Sed cùm summus honor.*] Hoc est, cùm summi magistratus tam sordide, et sportulam petant, et suppetent, quantum, finito anno, lucri attulerit; *quid facient comites*, Clientes pauperes, etc. ?

118. *Quibus hinc toga.*] Quibus sola sportula, et cultum, et victum suppeditat. De toga sic vetus scholiastes Pithoei: « Toga est purum pallium, forma rotunda et  
 « fusiore, atque inundante sinu:  
 « et sub dextro veniens, super  
 « humerum sinistrum ponitur:  
 « cujus similitudinem in operimentis simulacrorum, vel picturarum aspicimus, easque stautas togatas vocamus. Toga vero  
 « Romani in pace utebantur, in bello paludamentis. Mensura togæ justæ senas ulnas habebat. »

120. *Fumusque domi.*] Lignum ad concoctionem alimentorum. Totum hunc locum diserte expressit Mart. lib. X, ep. 10.

121. *Lectica... densissima.*] Non una, sed plures lecticae, id est, plurimi ex primoribus lecticis vecti adveniunt. — *Quadrantes*, id est, sportulam (vid. sup. 95) petentes.

122. *Prægnaans.*] Gravida.

Hic petit absenti, notâ jam callidus arte,  
 Ostendens vacuum, et clausam pro conjugè sellam.  
 Galla mea est, inquit. Citius dimitte. Moraris? 125  
 Profer Galla caput. Noli vexare, quiescit.  
 Ipse dies pulchro distinguitur ordine rerum.  
 Sportula, deinde Forum, jurisque peritus Apollo,  
 Atque triumphales, inter quas ausus habere  
 Nescio quis titulos Aegyptius, atque Arabarches, 130

123. *Hic petit absenti.*] Quin etiam, callidus arte, quæ jam nota est, uxori petit absentem, simulans eam esse in lectica.

124. *Clausam... sellam.*] Vid. sup. ad vers. 65.

125. *Galla mea est.*] Verba mariti. — *Galla.* Nomen fictum uxoris.

126. *Profer Galla caput.*] Dispensator sæpius deceptus hâc arte hæsitat, et clamat, etc. — *Noli vexare.* Verba mariti.

127. *Ipse dies... distinguitur.*] De vulgari negotiorum diurnorum ordine, vid. Mart. IV, 8. — *Pulchro.* Εἰρῶνικῶς.

128. *Sportula.*] Primâ et secundâ horâ patronos clientes salutatum eunt, et sportulam petunt. Tertiâ et sequentibus, deducuntur patroni ad forum Augusti, in quo statua Apollinis eburnea erat. Ibi quoque causæ agebantur; ideoque facete dicitur Apollo juris peritus, ut ap. Mart. II, 64, 8. *Marsyas*, causidicus, quod utriusque statuæ in Foro fuerint, et quotidie illi lites quasi audierint.

129. *Atque triumphales.*] Statuæ summorum ducum, quas Augustus in utraque fori sui portica

dedicaverat, teste Suet. Octav. 31.

130. *Titulos.*] Imaginem cum titulo. — *Aegyptius atque Arabarches.* De illo Arabarche olim vehementer inter se disceptârunt eruditi; et adhuc *sub iudice lis est.* Primum falso legerunt quidam *Alabarches*: nam in omnibus codd. et edd. antiquis scribitur *Arabarches*. Ita, omissis explicationibus variis, quas secum attulit nominis mutatio, vulgatam servemus lectionem. *Arabarches* recte dicitur Arabum princeps; sive reipsa præfuerit Arabiæ, aut servis Arabibus Romam adductis; sive fuerit præfectus Arabarchiæ, id est, vectigali pro animalibus solvendo, quorum copia ingens ex Arabia in Aegyptum adduci solita fuerit; sive denique magistratus sit ab Aegypti nomo Arabiæ dictus, quod colligitur ex Cic. ad Atticum II, epist. 17. Quis autem fuerit iste de quo Juvenalis hic loquitur *Aegyptius atque Arabarches* (duo enim nomina unum atque eundem designant), non constat, neque unquam constabit: in re enim tam obscura, nil nisi per conjecturam potest explicari. Quidam Tiber.

Cujus ad effigiem non tantum meiere fas est.

Vestibulis abeunt veteres lassique clientes,

Votaque deponunt, quanquam longissima cœnæ

Spes homini. Caules miseris, atque ignis emendus.

Optima silvarum interea pelagique vorabit 135

Rex horum, vacuisque toris tantum ipse jacebit.

Alexandrum, qui regebat Aegyptum atque Arabiæ magnam partem, quæ est Aegypto contermina; unde *Aegyptius atque Arabarches*. Alii Flav. Josephum a Judæis, qui cum Arabibus sæpe confunduntur, creatum ducem, ac propter virtutem suam, et vaticinium de imperio, a Vespasiano triumphali statua donatum. Alii alios: sed Britannicus, et Lubinus eundem supra notatum, et infra sat. IV, Crispinum Aegyptium volunt; quem Lubin. mordaciter Arabum principem appellari existimabat, quasi omnium vernarum, immo latronum ex Aegypto et Arabia advectorum, summum, hoc loco, pessimum, Gallice, *un chef de bande* (nam Arabes semper latrones et prædones habiti fuerunt), quem vero a Nerone Arabiæ principem esse factum tradit schol. MS. laudatus in *Miscell. obs. crit.* v. V, T. II, p. 267: quod si ultimum verum est, nec simplex conjectura ex eo loco ducta; nihil dubium,

quin pessimus ille homo significetur, qui mali principis gratiâ, e servili conditione ad summum fastigium pravis artibus fuit evectus. A.

131. *Non tantum meiere.*] Subaudi, sed etiam pejus facere, ut alvum exonerare.

132. *Veteres lassique clientes.*] Hæc ad augendam rei indignitatem valent.

133. *Longissima cœnæ spes.*] A summo mane enim patronum salutatum iverant, eum usque ad horam cœnæ, honoris causa, deduxerant, sperantes tandem huic cœnæ tam exoptatæ se adhibendos; sed frustra: ergo, mæsti abeunt.

134. *Homini.*] Scilicet iisdem clientibus, hominibus. — *Caules.* Pro quovis cibo viliore.

135. *Vorabit.*] Δεινός, tanquam helluo, qualis mox v. 137, describitur.

136. *Rex horum.*] Idem ac dominus, patronus. Hoc enim nomine patronum suum clientes

V. 134. *Spes homini. Caules, etc.* Ita omnes nostri codd. tribus tantum exceptis, qui legunt *spes homini. Caulis*, et *spes horum caules*. In editt. Grangæi et Henninii sic interpungitur: *Votaque deponunt, quanquam longissima, cœnæ, spes homini*. Ut sit sensus: et deponunt vota cœnæ, quanquam spes homini sit longissima, id est, semper eam comitetur. Hæc nobis quoque potior videtur ratio interpretandi.

Nam de tot pulchris, et latis orbibus, et tam  
 Antiquis, unâ comedunt patrimonia mensâ.  
 Nullus jam parasitus erit! Sed quis feret istas  
 Luxuriæ sordes? Quanta est gula, quæ sibi totos 140  
 Ponit apros, animal propter convivium natum!  
 Pœna tamen præsens, cum tu deponis amictus  
 Turgidus, et crudum pavonem in balnea portas.  
 Hinc subitæ mortes, atque intestata senectus.  
 It nova, nec tristis, per cunctas fabula cœnas: 145

compellabant. — *Vacuisque toris.* Nullo conviva adhibito. In lectulis autem discubitoriis compositi vescebantur, fere jacentes, ita ut sinistro cubito caput incumberet.

137. *Latis orbibus.*] Orbes dicuntur vulgo patinæ. Hoc loco, mensæ a forma rotunda. Vid. sat. XI, v. 122.

139. *Parasitus.*] Sic dictus, qui alienas mensas captat. Vid. infra sat. V. Hic interruptit sermonem dicens: Nullus quidem jam parasitus erit, non male! Sed quis feret istas sordes, etc.? Minusne intolerabilis erit iste luxus, qui, etc.?

140. *Luxuriæ sordes.*] Optime luxuria juncta cum sordibus: nam isti divites luxuriosi, erga amicos sunt sordidi, atque erga se benefici. — *Gula.* Voracitas. Hic, homo gulosus, helluo et polyphagus.

141. *Totos ponit apros.*] Primus in convivio solidum aprum apposuit Servilius Rullus, ut auctor est Plin. lib. VIII, cap. 51. — *Propter convivium.* Ut pluribus in convivio, non uni apponeretur et sufficeret.

142. *Pœna tamen præsens.*] Aderit brevi pœna tam inauditæ voracitatis, scilicet, mors repentina, aut morbi periculosissimi. — *Deponis amictus.* In balneo.

143. *Turgidus.*] Ut ap. Horat. epist. I, 6, 61: *crudi, tumidique lavamur.* — *Pavonem.* Pavo inter delicatissima Romanorum fercula numeratus aliquandiu fuit, tum propter novitatem et raritatem, tum propter pennarum pompam quæ ei cocto reponerentur, quibusque indutus inferebatur mensis. Cæterum laboriosæ decoctionis est, cujus mortui difficile caro putrescit, quod experientiâ satis est comprobatum. Pavonem autem primus apposuit Hortensius orator, et saginavit M. Aufidius Lusco. — *In balnea.* Ante cœnam, exercitatione corpus curabant veteres; atque ut plurimum balnea ingrediebantur. Eadem aliquando repetebant cœnati.

144. *Hinc.*] Ex nimia ciborum copia et indigestione. — *Intestata senectus.* Mors repentina senis, qui ab intestato moritur.

145. *It nova, nec tristis.*] Quo-



Ducitur iratis plaudendum funus amicis.  
 Nil erit ulterius, quod nostris moribus addat  
 Posteritas: eadem cupient, facientque minores.  
 Omne in præcipiti vitium stetit. Utere velis;  
 Totos pande sinus. Dicas hîc forsitan: Unde 150  
 Ingenium par materiæ? Unde illa priorum  
 Scribendi quodcumque animo flagrante liberet  
 Simplicitas, cujus non audeo dicere nomen?

niam, ut ab intestato mortuus est, nec quidquam amicis reliquit; ita nemo mortem ejus luget. — *Fabula.* Narratio alicujus rei vel fictæ, vel miræ. Hoc loco, ipse senex fabula dici potest, quatenus multi de eo loquuntur, ut ap. Horat. epod. XI, v. 7:

Heu me! per Urbem (nam pudet tanti mali),

Fabula quanta fui!

146. *Iratis.... amicis.*] Quòd nec vivus ipsis profuerit, quippe qui sibi uni vixerit; nec mortuus, nempe ab intestato decessit e vita. — *Plaudendum funus.* Quòd avari et pessimi hominis casu omnes lætentur: nam *avarus, nisi cum moritur, nil recte facit.*

149. *Omne in præcipiti.*] Vitium in summo, vel in abrupto cacumine stat; adeo ut altius surgere, nec crescere queat. — *Utere velis.* Metaphorice, se ad satiram scribendam adhortatur.

150. *Totos pande sinus.*] Meta-

phora eadem producta. Navigatores enim secundum ventum nacti, sinus velorum pandunt vento inflandos.

151. *Ingenium par materiæ.*] Ea scil. judicii libertas, qualem tractatio satiræ requirit. Hæc finguntur dicta a monitore quodam.

152. *Animo flagrante.*] Irato, propter scelera cujuscumque generis, et ubivis obvia.

153. *Simplicitas.*] Hoc est libertas, *παρρησία*, quæ simpliciter et aperte expromit quod sentit; qualis fuit Lucilio, Catoni, Terentio, Varroni, Horatio, Persio, et præsertim ipsi Juvenali. — *Cujus non audeo dicere nomen.* Adeo Romanam libertatem oppresserant Tiberius, Nero, Domitianus, aliique haud absimiles, ut ne illa quidem impune appellari posse videretur. Grangæus, et post hunc interpres Gallic. *Dusaulx*, hæc, *cujus non audeo dicere nomen*, poëtæ tribuunt, quasi monitori

V. 151. *Par materiæ.* In quibusdam codd. et edd. priscis, *par materiæ est*, ne metrum laboret. Sed solemnes Juvenali sunt hiatus. Vid. sat. II, v. 26. III, 70. VI, 274, et alibi. Cæterum cod. olim Thuaneus Bibliot. Imp. nunc Colbertinus ita: *Par materiæ? Unde est illa priorum, etc.* et eam lectionem veram esse prope affirmarem.

Quid refert dictis ignoscat Mucius, an non?

Pone Tigellinum : tæda lucebis in illa, 155

Quà stantes ardent qui fixo gutture fumant,

respondisset : Tu rogitas a me, num sit mihi simplicitas, seu libertas illa priorum ætatum? . . . Et cur non eam haberem? Cûr non auderem dicere nomen improbi? Esto, inquit monitor, sed pone Tigellinum : tædâ lucebis, etc. . . . Hæc autem ego cum aliis interpretibus ad libertatem refero; ut sit sensus : unde illa dicendi simplicitas seu libertas, cuius non audeo etiam dicere nomen? Quæquidem explicatio et menti auctoris, et temporibus istis infelicissimis mihi magis apta videtur. A.

154. *Quid refert dictis ignoscat.*] Hic recte poëta monitori dicit : Quid meâ refert num Mucius, homo nobilis, sed vitiosus et infamis, irascatur mihi, an ignoscat? Et iram ejus, et misericordiam parum curo.

155. *Pone Tigellinum.*] Monitor

respondet : Impune quidem multorum hominum vitia notabis; sed si in virum potentem et imperatoribus gratum, qualem Tigellinum invecus fueris, tunc supplicio afficeris, etc. . . .

155 — 157. *Tæda lucebis in illa, etc.*] Hic locus adeo perobscurus, ut Pithoeus profiteretur nullum in his satiris locum esse, quem ex glossis minus grammaticè intellexerit. Ex omnibus enim interpretibus, alii textum mutaverunt, nulla auctoritate freti, eumque suæ propriæ, non auctoris sententiæ cedere coegerunt, ut Grangæus, Henninius, etc. Alii, unum idemque supplicium intelligentes, inextricabiles finxerunt ambages, e quibus, nisi omisis eorum nugis novum iter ingressi, nequaquam expedire nos possumus. Is igitur, nostro qualicumque judicio, phrasis erit

V. 155. *Lucebis.* In plerisque codd. et edd. priscis ita. Quatuor tantum *lucebit.*

V. 156. *Quâ stantes ardent, etc.* Si, ut nobis videtur, mendum fuit unquam in hoc versu, id librariorum priorum inscitia accidit. In codice enim archetypo, ita forsân scriptum fuerat : *Quâ stans ex ardet qui fixo gutture fumat.* Unde illi ex his vocibus *stans ex ardet* separatis, et male delineatis, effecerunt *stantes ardent* : et cûm sæpe ap. codd. in verbis plerisque littera *n* vel omittatur, vel simplici hac linea (-) indicetur, eam ipsi supposuerunt; atque pro voce *ardet* scripserunt *ardent*, ut et pro *fumat, fumant.* Quæ si nostra conjectura accipi posset, sequeretur inde facilis explicatio loci; legeretur enim :

. . . . . Tæda lucebis in illa,  
Quâ stans exardet qui fixo gutture fumat,  
Et late mediâ sulcum deducit arenâ.

Vid. sup. comment. F. D.

Et latum mediâ sulcum deducit arenâ.

157

ordo et sensus : *Pone Tigellinum ; scilicet , adversus eum satiricum aculeum verte ; tunc , lucebis in illa tæda , quâ ardent stantes , qui fumant fixo gutture ; aut eo afficeris supplicio , quo ille qui unco tractus , deducit latum sulcum in media arena .* Id primum observandum est , quòd loci scopulus omnis situs sit in verbis *lucebis* , et infra , *deducit* , quæ , quia nec tempore , nec personâ concordant , mire torserunt interpp. unde fit ut vera locus iste recte fluere nequeat , nec intelligi , nisi restitutis quæ omisit auctor seu de industria , seu negligentia ; vel quæ aut casu , aut librariorum incuriâ e contextu primo exciderunt . Porro , tribus in his versibus , duo distincta optime video : *tædâ lucere quâ* , etc. et *deducere sulcum* : et reipsa , adversus perduellionis reos duo suppliciorum genera erant apud Romanos , quæ postea imperatores quidam maledictis , atque etiam satirarum scriptoribus addixerunt . Primum supplicii genus sic notatur in Senec. ad Lucilium . *Cogita , hoc loco , illam tunicam alimentis ignium et illitam et intextam , quicquid aliud præter hæc commenta est sævitia .* Qui enim eo afficiebantur supplicio , induti tunicam illam intextam somentis ignium , pice vel cera illitam , alligati palo , et fixo gutture , atque etiam mucrone gladii mento subjecto , ne se curvarent , vivi adurebantur ,

ita ut , in modum nocturni luminis arderent ; quod duo primi versus complectuntur ,

*Tæda lucebis in illa ,  
Quâ stantes ardent qui fixo gutture  
fumant .*

Id supplicium testantur Suet. in Calig. cap. 27. in Vitell. cap. 17. et Cornel. Tacit. ann. XV, et alii. Alterum supplicii genus sic : Quidam puniebantur more majorum , hoc est , pendentes e furca , nudis corporibus , et cæsi virgis , ut Suet. interpretatur , unco producebantur in arenam ( atque *mediâ arenâ deducebant sulcum* ) , ubi pendentibus crura frangebantur , et injecto igne ardebant . Hoc genus supplicii commemoratum est a Suetonio in vita Claudii . Vid. quoque infra sat. X. *Sejanus ducitur unco .* Et Nero illud exercuit in Christianos . His duobus suppliciis ita distinctis , atque auctoritate veterum confirmatis , intelligens lector sentiet , cur ne unum efficiam , quod est bipartitum , hanc partem suppleverim , *vel eo afficeris supplicio , quo ille qui , unco tractus , etc .* Unde fit , ut omnis loci difficultas tollatur , admissâ fateor ellipsi , figurâ cæteroquin satis frequenti in Juvenale , ut aliàs fusius videbitur ; sed , servatis lectionibus *lucebis* et *deducit* , quæ sic se habent in omnibus fere et optimis codd. atque editt. priscis . Quidam tamen , forte concinnius , quodque ad eundem redit sensum , sic explicant : *Tæda*

V. 157. *Deducit*. Omnes nostri codd. habent. Quidam ex Alex. Rupertii codd. *diducit* , *deducet* , et *producit* vid. comment. supra.

Qui dedit ergo tribus patruis aconita, vehatur  
 Pensilibus plumis, atque illinc despiciat nos?  
 Cùm veniet contra, digito compesce labellum : 160  
 Accusator erit qui verbum dixerit, hic est.  
 Securus licet Aenean, Rutulumque ferocem  
 Committas : nulli gravis est percussus Achilles,  
 Aut multum quæsitus Hylas, urnamque secutus.  
 Ense velut stricto quoties Lucilius ardens 165

*lucibus in illa, quâ stantes ardent qui fixo gutture fumant, quorumque corpus (pro corpora, sing. pro plur.) unco tractum, latum mediâ sulcum deducit arenâ. A.*

158. *Qui dedit ergo.* ] Instat poëta. Tigellinus ille ergo, qui dedit aconita tribus patruis, vehatur pensilibus plumis? et nihil dicam? — *Aconita.* Venenum; herbæ genus noxium.

159 *Plumis.* ] In lectica, in qua lectus est plumis fartus et mollissimus. — *Pensilibus.* Nam lectica sublimis fertur a servis.

160. *Cùm veniet contra.* ] Verba et consilium admonitoris. Immo, tace, cùm veniet Tigellinus.

161. *Accusator erit, etc.* ] Sensus est: nam, qui vel hoc unicum verbum dixerit, *hic est*, (id est, qui Tigellinum vel digito monstrârit); statim ei *accusator erit*, qui eum ut maledicum imperatori deferat. Alii legentes *verum*, hæcaliter explicant; sed perperam: nam τὸ *verbum* ap. omnes quotquot consului MSS. libros extat. A.

162. *Securus licet Aenean.* ] Pergit idem monitor: tutius epico carmine scribes historias et prælia; ut Virgilius Aeneæ et Turni Rutulorum ducis.

163. *Committas.* ] Allusum ad ἐπιδείξεις, vel ἀγῶνας, ubi mittebantur paria in μονομαχίᾳ, aut arena. — *Nulli gravis est.* Neminem offendit.

164. *Aut multum quæsitus Hylas.* ] Hylas puer formosissimus, catamitus, ab Hercule amatus, et a nymphis, ut aiunt, propter formam abreptus, satisque ex Ovid. notus. — *Urnamque secutus.* Quia, unâ cum urna, aquâ submersus est.

165. *Ense velut stricto.* ] Si vero Lucilii exemplo, vivorum hominum vitia notaveris; hi *Criminibus*, criminum conscientia agitati *rubescunt*; inde *iræ* in te, et lacrymæ non pœnitentiæ, sed quales effundit rabies et ultionis ardens sitis. — *Ense stricto.* Metaphorice, pro indignatione, acrimonia quâ Lucilius improbos insectabatur. — *Lucilius. C.* Lucilius eques ro-

V. 158. *Vehatur.* Multi habent *vehetur*; quod parvi interest, modo, versu sequenti, reposueris *despiciet*.

V. 161. *Verbum.* Sic codd. plerique recte. Quidam tamen habent, *verum.* Unus tantum, *versum dixerit*.

Infremuit, rubet auditor cui frigida mens est  
 Criminibus, tacitâ sudant præcordia culpâ.  
 Inde iræ, et lacrymæ. Tecum prius ergo voluta  
 Hæc: animante tuba, galeatum sero duelli  
 Pœnitet. Experiar quid concedatur in illos  
 Quorum Flaminiâ tegitur cinis, atque Latinâ.

170

manus, ex Aurunca Ausoniæ urbe natus, anno uno antequam veniret in potestatem Romanorum Carthago; Scipioni Africano cœvus satiras primus scripsit, ut quidam volunt; vel, id genus scribendi ab aliis inventum perfecit. Hunc sequitur, ejusque exemplo nititur Horatius, Horatium imitatus est Persius; Juvenalis utrumque, et, ut videtur, quod ad mentem satiricam spectat, eos omnes prætergressus est. A.

166. *Infremuit.*] Lucilius indignabundus. — *Rubet*, non tam pudore suffusus, quam irâ in poëtam. — *Frigida mens....criminibus.* Quibus, ut ait Sil. Ital. II, 338.

. . . . . Formidine turpi  
 Frigida corda tremunt. . . .

167. *Tacitâ sudant præcordia.*] Præ animi anxietate et labore, ob conscientiam scelus objicientem, et timore, ne satira tacitam detegat culpam.

168. *Inde iræ.*] Ultio, aut desiderium ultionis. — *Tecum prius ergo voluta hæc.* Animum ad hæc

intende. Hæc solertius perpende. Verba ejusdem monitoris.

169. *Animante tuba, etc.*] Pugnæ signum tuba canente, militem sero pœnitet commisisse manus. — *Galeatum.* Hic pro milite armato.

170. *Experiar.*] Poëta respondet monitori. Si vivos sine periculo carpere non possum, mortuorum vitia vocis libertate perstringam.

171. *Quorum flaminiâ tegitur cinis.*] Scil. in mortuos. Ad vias autem præcipue Appiam, Latinam, Flaminiam sepulchra Romani exstruere solebant; hinc in inscriptionibus, frequens *viatorum* mentio. Nimirum ex lege XII tab. sancitum erat, ne quis in Urbe sepeliretur — *Flaminiâ.* Viâ, vide sup. v. 61. — *Latinâ.* Via lapidibus strata ab Urbe ad Sinuessam, quod est extremum Latii oppidum. Inter Appiam et Valeriam sita, per Algidum ac Tusculanos colles ad Ferentinum, Frusinum, aliasque civitates nobiles tendebat. Strab. lib. V.

V. 169. *Hæc: animante tubâ.* Hanc lectionem primus revocavi ex omnibus codd. et ex XI Alex. Rup. ex nostris tamen unus Scil. Alexandrinus: *Ex animo ante tubas;* non male certe, sed nostra vividior et elegantior lectio; quam quoque probat vet. Scholiastes. Vid. sup. comment.

---

# SATIRÆ SECUNDÆ

## ARGUMENTUM.

ARGUITUR SATIRA PROBITAS SIMULATA SECUNDA.

Pessimum genus hominum, atque maxime vitandum, philosophos primo carpit (quales illa ferebat ætas), qui, non modo indocti sunt, etsi domum suam veterum philosophiæ magistrorum imaginibus refertam habent, ut ipsi eadem doctrina ornati videantur; sed etiam, cùm omnium virtutum specimina, tum in habitu, tum in verbis præ se ferant, cæterorumque vitia acriter castigant; nihilominus turpissime vivunt, atque libidinum, vel execrandarum in cœno clam, et Laribus coram ipsis sese volutant; uno verbo,

Qui Curios simulant, et bacchanalia vivunt,  
longe pejores iis, qui morum pravitatem suorum in dictis, incessuque fatentur: ad quos priores certius exagitandos, Lariniam mulierem introducit quæ, apostrophe vividissimâ et sarcasmi plenâ, eorum turpitudinem ob oculos ponit, fictosque istos jure

Contemnit Scauros, et castigata remordet.

Hæc a vers. 1, usque ad 65 fusius et eleganter tractantur a poëta, qui ad aliud non minus vituperandum genus improborum deflectit, judicum scilicet, et imperii primorum, qui, cùm populis exempla virtutum præbere, ac veluti morum censes, atque defensores esse debeant, turpiter et fœminis ipsis delicatius vivunt, atque ita perniciosum exemplum latius produunt. Eos primo mollitiæ suæ reprehendendos, vestibus et habitu ridiculos, longe avitis suis dissimiles; atque Deorum contemptores, et in orgiis privatis, in quibus impie sacra Bonæ Deæ sinistro more usurpantur, scorta mascula, Othonis exemplo, brevi facturos ostendit: quin etiam denudantur, hac satira, viri viris nubentes, et sacratissimum societatis humanæ

### 32 SATIRAE SECUNDAE ARGUMENT.

vinculum, matrimonium monstroso concubitu, infami et pæne publico virorum inter se conjugio, fœde dirumpentes; donec ad summum indignationis, et iracundiæ perventus poëta, exclamet (v. 126):

. . . . . O pater Urbis!  
Unde nefas tantum Latiis pastoribus? Unde  
Hæc tetigit, Gradive, tuos urtica nepotes?  
Traditur ecce viro clarus genere, atque opibus vir!  
Nec galeam quassas, nec terram cuspide pulsas,  
Nec quereris patri? Vade ergo, et cede severi  
Jugeribus campi, quem negligis! . . . . .

Tertium denique turpissimum genus, ac portento simile (v. 143) viros genere et nobilitate hujus civitatis principes, quos non pudet gladiatorum, et vel retiariorum, qui nuda facie pugnant, partes agere, ac media fugam capescere arena. Quæ monstra, addit idem, si vera essent quæ de Manibus ac Inferis poëtæ fabulantur, aspicere olim in Orco horrerent Curii, Fabricii, aliique spectatæ virtutis viri: inde recolligit nihil Romanis profuisse imperium ultra fines orbis terræ definiisse suum, si jam barbaros quos vicerunt armis populos vitiis atque infamia superent.

Hujus autem satiræ rectus certe et mirandus ordo est; stylus autem pæne tragicus, sed ironia et salibus temperatur; atque, ut par est, summam spirat indignationem; cui comparant Luciani *Nigrinum*, *Cynicum* aliosque dialogos, in quibus, ille falsorum philosophorum tunc temporis viventium vitia, passim, miro sale perfricuit; et imprimis Dion. Chrysost. orationem Alexandriae habitam *περὶ σχήματος*, quam huic satiræ ex asse respondere Henninius monet.



## SATIRA II.

### HYPOCRITAE.

ULTRA Sauromatas fugere hinc libet, et glaciale  
Oceanum, quoties aliquid de moribus audent,  
Qui Curios simulant, et Bacchanalia vivunt.  
Indocti primum; quanquam plena omnia gypso  
Chrysippi invenias: nam perfectissimus horum est, 5  
Si quis Aristotelem similem, vel Pittacon emit,  
Et jubet archetypos pluteum servare Cleanthas.

1. *Ultra Sauromatas.*] Ad extremos orbis terræ fines. *Sauromatae*, seu *Sarmatae*, populi septentrionales, Boristhenem inter et Tanaim fluvios, ultra paludem Meotidem: hodie, *la petite Tartarie*, et *Russiae* pars magna. — *Et Glaciale Oceanum.* Ad polum Borealem.

2. *Audent.*] Disserere, præcipere.

3. *Qui Curios simulant.*] Qui Curios se esse simulant; atque magnos viros, externo tantum habitu ac specie, imitantur. *M'. Curius Dentatus*, perfectissimum virtutis ac frugalitatis exemplum, de quo infra, sat. XI, 78 et seqq. — *Et Bacchanalia vivunt.* Sic dicebantur sacra Bacchi, in quæ, sub religionis specie, infanda scelera et maxima admittebantur. — *Vi-*

*vunt Bacchan.* id est, bacchanaliter, more Bacchantium. Hellenismus. Fere pari modo Horat. epist. II, 2, 125. Dixit: *Cyclopa movetur.*

4. *Quanquam plena omnia.*] Omnes ædium eorum partes, imprimis atrium, ejusque parietes. — *Gypso.* Statua, effigie ex gypso.

5. *Chrysippi.*] Philosophi Stoici celeberrimi. — *Nam perfectissimus horum est.* Inter eos reputatur.

6. *Si quis.*] Pro simplici qui. — *Aristotelem similem.* Statuam, vel picturam, quæ sit similis Aristoteli, eumque ad vivum referat. Ut apud Hesiod. Ἔργ. 71: Παρθένω αἰδέει ἱελέον, scil. εἶδόν seu ἄγαλμα, etc. — *Pittacon.* Mityleneum philosophum, unum e septem Græciæ sapientibus.

7. *Et jubet archetypos.*] Scil. et

V. 3. *Simulant.* Non male scribit *similant* Alexand. Ruperti, etymologia et vi verbi id postulante (venit enim a voce *similis*), faventibus etiam codd. nonnullis, cui assentiuntur Heyne ad Virg. Aeneid. XII, 224. Barth. ad Claud. Ruf. II, 81. Scheller in Lexic. et alii. Vulgatam tamen servare lectionem maluimus.



Frontis nulla fides. Quis enim non vicus abundat  
 Tristibus obscænis? Castigas turpia, cùm sis  
 Inter Socraticos notissima fossa cinædos? 10  
 Hispida membra quidem, et duræ per brachia setæ  
 Promittunt atrocem animum: sed podice levi  
 Cæduntur tumidæ, medico ridente, mariscæ.

jubet, ut Cleanthes archetypi, id est, ad vivum sculpti, vel picti, *pluteum*, armaria librorum custodiant. — *Archetypos*. Adject. Ἀρχέτυπον, exemplar primum, ad quod alia effinguntur. Gall. l'*original d'un tableau, ou d'une statue*. — *Cleanthes*. Primum pugil, inde Zenonis discipulus, cujus defuncti scholam accepit regendam. Cùm adolescens inops admodum esset, interdum studiis operam dabat; nocte vero mercenariam operam in hortis irrigandis, et aqua haurienda locabat; unde vocatus etiam *Phreantles*, a φρέαρ puteus, et ἀντλάω haurio.

8. *Frontis nulla fides.*] Quod verissimum est; nam, quisque . . . . . Fronte politus  
 Astutam vapido servat sub pectore  
 vulpem.

Pers. Sat. V. v. 116.

9. *Tristibus obscænis.*] Rigidis in vultu, et deformibus in vita.

10. *Fossa.*] in sensu obscæno, ut βόθρος, *scrobs* ap. Arnob. adv. gent. IV, *caverna* ap. Auson. et *vesica* sup. I, 39. — *Cinædos*. Qui cinædi et pathici vivunt; atque interea

de virtutibus Socratico more disputant. Dicuntur autem *cinædi* a κινεῖν movere, agitare, et αἰδοῖα pudenda. — *Socraticos*. Frustra Leopardus Emendd. lib. XIII, cap. 10, legendum monet *Sotadicos*, a *Sotade* quodam poëta Mantinensi, qui primus scripsit cinædia, de quo vid. Suid. nam, ubique legitur *Socraticos*; quod non mirum adeo videri debet, cùm apud antiquos male audierit Socrates, qui eum ut divisorem, et puerarium distulerunt.

11. *Hispida membra quidem.*] Quæ sunt virilitatis indicia.

12. *Promittunt.*] Ut infra VII, 134. *Spondet*. Προσδοκίαν παρασῆσαι, excitare expectationem; vel ἐπαγγέλλεσθαι ap. Hom. II. ε, 832. — *Atrocem animum*. Masculum et gravem. — *Podice*. Podex capitur pro circulo ani. — *Levi*. Levigato, λείω, δρωπακιζομένω, resina seu pumice; vel potius virilis urinæ, et membri frictione assidua depilato.

13. *Medico ridente.*] Ut qui sciat ulcera hæc ex turpitudine conflata. — *Marisca*, ulcus podicis

V. 8. *Frontis*. In omnibus nostris codd. ita, et in omnibus Al. Rup. In quatuor tantum legitur *fronti*. Non male, et forte doctius.

V. 12. *Levi*. Ita scribendum docet Al. Rup. non *lævi*: respondet enim græco λείος, cujus prima syll. producitur.

Rarus sermo illis, et magna libido tacendi,  
 Atque supercilio brevior coma. Verius ergo, 15  
 Et magis ingenue Peribomius, hunc ego fatis  
 Imputo, qui vultu morbum, incessuque fatetur.  
 Horum simplicitas miserabilis; his furor ipse  
 Dat veniam: sed pejores, qui talia verbis  
 Herculis invadunt, et de virtute locuti 20  
 Clunem agitant. Ego te ceventem, Sexte, verebor?  
 Infamis Varillus ait. Quo deterior te?

ex attritu natum, idem quod *ficus* ac *fungus*, græc. *σύκωσις*.

14. *Magna libido tacendi.*] Speciosum silentii studium. Hoc ipso philosophos imitati, præsertim Pythagoricos, qui dicunt pauca verba esse sapientiæ indicium.

15. *Atque supercilio brevior coma.*] Incedunt brevi capillo, ut habeantur Stoici, quorum disciplina omnium rigidissima erat, ac severissima: nam, Stoici non crinem promittebant, ut cæteri philosophi; sed comam ad cutim tondebant: qui mos fuit frugi hominibus et elegantiarum incuriosis. — *Verius.* Apertius et simplicius agit.

16. *Peribomius.*] Nomen cuiusdam hominis moribus perditis, nobis ignoti; vel forte effictum ex græc. *περιβώμιος*, qui circa aram est (Archigallus). Vetus scholion est: « Nomen Archigalli « cinædi, quem *magulum* (matulam) *conspurcatum* dicimus, qui « publice impudicitiam perpessus « est. » — *Hunc ego fatis.* Hujus vitia non malitiæ suæ, sed fatis imputo, vel crasi, seu potius

*ἀκρασία*, immo *ἀκολασία*, ut Pers. de Natta, sat. III: *sed stupet hic vitio.*

17. *Morbum.*] Animi vitia. For- san morbum corporis, *mariscas* scil. ut sup. v. 13.

18. *Horum simplicitas.*] Scilicet ignorantia virtutum et vitiorum est commiseratione digna; nam, ὁ μηδὲν εἰδώς, μηδὲν ἐξαμαρτάνει.

19. *Sed pejores.*] Longe illi sunt, qui *talia*, scil. hanc turpitudinem iisdem verbis insectantur, quibus Hercules, *incusata voluptate, virtutem secutus est.* Cic. de Off. lib. I.

21. *Clunem agitant.*] « Ad patien- « dum stuprum. » Vet. schol. Idem significat quod *cevere* infra, quod Græci explicant, τὸν πρωκτὸν αἰσ- χρῶς κινεῖν, vel uno verbo, *σαλα- κωνίζειν.* Grang.—*Ceventem.* Ergo, σαλακωνίζοντα.

22. *Infamis Varillus.*] Ponitur *Sextus*, pro summo viro et falso Stoico; et *Varillus*, pro vulgari, qui, his temporibus, notissimæ erat infamiæ. — *Quo deterior te?* Quanam re, quo modo *te deterior sum?*

Loripedem rectus derideat, Aethiopem albus.

Quis tulerit Gracchos de seditione querentes?

Quis cœlum terris non misceat, et mare cœlo, 25

Si fur displiceat Verri? homicida Miloni?

Clodius accuset mœchos? Catilina Cethegum?

In tabulam Sullæ si dicant discipuli tres?

23. *Loripedem rectus derideat.*] Quicumque alteri vitia naturæ exprobrat, ipse careat necesse est.—*Loripes.* Βλασιόπους, valgus, cui pedes vel crura sunt distorta in modum *lori*.

24. *Quis tulerit Gracchos?*] Tiberrium et Caium satis notos: de quibus vide Liv. Plut. Flor. Appian. etc. Math. Regnier, sat. V, hos versus sic imitatur:

Scaures du temps présent, hypocrites sévères;

Un Claude effrontément parle des adulteres;

Milon sanglant encor reprend un assassin;

Gracche un séditieux, et Verrès le larcin! A.

25. *Quis cœlum terris.*] Similiter Stasimus Plautinus:

Mare, terra, cœlum, Di vestram fidem!  
Sententia Δεινῶς expressa, quæ plurimum indignationi et iracundiæ convenit.

26. *Verri.*] Qui furtis et rapi-

nis Siciliam spoliavit; Ciceronis in eum declamationibus notus.—*Miloni.* Qui Clodium interfecit.

27. *Clodius.*] Nobilis adulterio Pompeiæ uxoris Cæsaris, quam in templo bonæ Deæ stupravit; nec non germanæ sororis suæ incestu: vid. Cicer. pro Milone.—*Catilina.* De eo sociisque ejus Lentulo, Gabinio, Statilio, Cethego, etc., qui contra rempub. conjuraverant, fuse scripsit Salustius.

28. *In tabulam Sullæ.*] De illa tabula sic Florus, lib. III, cap. 21: *Proposita est illa ingens tabula; et ex ipso equestri ordinis flore, ac senatu duo millia electi, qui mori juberentur.*—*Discipuli tres.* C. Julius Cæsar Octavianus, M. Antonius, M. Aemilius Lepidus III-viri, ab eo, scil. Sullâ, cives romanos proscribere edocti.—*Dicant.* Dicere, in hoc sensu, verb. juris, idem ac accusare.

V. 24. *Quis tulerit Gracchos, etc.* Hic versus ante v. 23 legitur in duobus codd. et planè excidit ex quibusdam aliis; quoniam sequens versus idem habet principium: quod sæpe factum docent Burmann. ad Lucan. IX, 907. Dorvill. ad Chariton. VI, 4, p. 552. Drakemb. ad Liv. IX, 11, 11, et alii.

V. 26. *Verri? homicida Miloni?* In tribus codd. post *Verri*, inseritur *si*; sed, frustra: nam frequentes in Juvenale hiatus sunt. Vid. sup. sat. I, v. 151.

Qualis erat nuper tragico pollutus adulter  
 Concubitu, qui tunc leges revocârat amaras 30  
 Omnibus, atque ipsis Veneri Martique timendas,  
 Cùm tot abortivis fœcundam Julia vulvam  
 Solveret, et patruo similes effunderet offas.  
 Nonne igitur jure ac merito vitia ultima fictos  
 Contemnunt Scauros, et castigata remordent? 35  
 Non tulit ex illis torvum Laronia quemdam  
 Clamantem toties: Ubi nunc lex Julia? dormis?

29. *Qualis erat.*] Domitianus Imperator, qui Juliam, Titi fratris sui filiam, incestuose polluit, eamque coëgit, ut a se partum abigeret. — *Tragico.... concubitu.* Horrendo, nefando, tragœdia digno.

30. *Tunc.*] Non in eodem tempore, ut quidam interpretantur; sed, paulò ante, modò. — *Leges.... amaras.* Scil. Juliam et Scatiniam de adulteriis. — *Revocârat.* Restituerat.

31. *Veneri, Martique timendas.*] Facete, de Diis adulteris, a Vulcano in concubitu deprehensis.

32. *Abortivis.*] Scil. medicamentis, ut infra sat. VI, 368.

33. *Offas.*] Fœtus immaturos, embryones, massas deformes. — *Patruo similes.* Deformitate: nam, Domitianus in juvena quidem pulcher erat; sed, postea deformis calvitio, ventris obesitate, ac crurum gracilitate fuit.

34. *Vitia ultima.*] Extrema,

summa: hoc loco, homines vitiosissimi et flagitiosissimi.

35. *Scauros.... fictos.*] Hoc est, homines improbos et simulatores, similes M. Aemilio Scauro, qui, teste Sallust. Jug. 15: *Nobilis homo fuit, impiger, factiosus, avidus potentiae, honoris, divitiarum, cæterum callidè vitia occultans.* — *Et castigata remordent.* Hoc est, verbis castigati, vicissim castigant censores suos.

36. *Ex illis.*] Hypocritis. — *Torvum.... quemdam.* Severum, qui semper virtutem temperantiamque dictis crepabat. — *Laronia.* Matrona, cujus sic meminit Martial. lib. II, epig. 32:

Abnegat, et retinet nostrum Laronia servum;

Respondes: orba est, dives, anus, vidua.

37. *Lex Julia.*] De adulteriis ab Augusto, non a Julio Cæsare lata, quod hodie notum est. — *Dormis?* An extas inutilis, cùm tot sint

V. 30. *Revocârat.* Ex nostris codd. XXIV habent hanc lectionem; item, fere omnes Al. Rup. Nihil igitur obstat quominus eam retineamus; idque, eo libentius, quòd nullo modo sensus offenditur.

Atque ita subridens : Felicia tempora , quæ te  
 Moribus opponunt ! Habeat jam Roma pudorem !  
 Tertius e cælo cecidit Cato. Sed tamen unde 40  
 Hæc emis , hirsuto spirant opobalsama collo  
 Quæ tibi ? ne pudeat dominum monstrare tabernæ.  
 Quòd si vexantur leges , ac jura ; citari  
 Ante omnes debet Scatinia. Respice primum ,  
 Et scrutare viros : faciunt hi plura ; sed illos 45  
 Defendit numerus , junctæque umbone phalanges.

adulteria mulierum punienda ?  
 Expergiscere !

38. *Felicia tempora.* ] Nullus est qui salis et facetiarum refertam hanc ironiam non intelligat.

39. *Habeat jam Roma pudorem !* ] Vereantur Romani peccare , te præsentem.

40. *Tertius e cælo cecidit Cato.* ] De cælo dicebatur venisse vel cecidisse , qui repente , contra omnium opinionem apparebat. Sic Galli dicunt , *tomber des nues.* — *Tertius.... Cato.* Primus fuit M. Porcius Cato , Censor dictus , ob censuram præclare gestam. Alter M. Porcius Cato Uticensis , qui sibi mortem conscivit , ne vivus in manus Cæsaris incideret : ambo morum severitate , ac suis virtutibus clari. Ita , tu , *tertius* eris *Cato* , ut ap. Horat. lib. II , 3 , 296. *Sertinius , sapientium octavus.* — *Sed tamen unde hæc emis ?* etc. Interrogatio sarcasmi plena. A.

41. *Hirsuto.... collo.* ] Vid. sup.

v. 11. — *Opobalsama.* Unguenta. De balsamo , opobalsamo , xylobalsamo et carpobalsamo vid. Plin. VII , 25.

42. *Tabernæ.* ] Unguentariæ , in qua emisti opobalsama.

43. *Quòd si vexantur leges.* ] Si excitantur , si ad executionem revocantur.

44. *Scatinia.* ] Lex de nefanda *Venere* lata a Scatinio , trib. pleb. , vel Pont. Statuebat illa , ut qui ingenuum stuprasset , decem millia sestertium solveret. Postea , ob magnitudinem sceleris a Christianis Imperatoribus pœna gladii constituta est. Quidam interpp. hanc sic dictam volunt , a C. Scatinio Capitolino , trib. plebis , qui citatus reus a M. Claudio Marcello , Aedili , quòd filium suum de stupro appellasset , damnatus in judicio fuit : sed , id parum probabili indicio conjicitur.

45. *Plura.* ] Reprehensione digna.

46. *Defendit (illos) numerus.* ] Pec-

V. 38. *Atque ita subridens.* Sic ferunt vetustiores codd. XX. Quidam habent *Ad quem subridens.* Paucissimi , *Ad quem ita subridens :* et eam tamen lectionem veram esse pene suspicarer , ex qua aliæ ortæ sunt : nam

Magna inter molles concordia. Non erit ullum  
 Exemplum in nostro tam detestabile sexu.  
 Tedia non lambit Cluviam, nec Flora Catullam :  
 Hispo subit juvenes, et morbo pallet utroque. 50  
 Numquid nos agimus causas? civilia jura  
 Novimus? aut ullo strepitu fora vestra movemus?  
 Luctantur paucae; comedunt coliphia paucae :

cantium multitudo licentiam parit.—*Junctæque umbone phalanges.* Et junctis viribus adversus leges se defendunt. Metaphora petita a re militari, in qua milites conglobati urbis obsessæ muros aggressuri, supra caput scuta scutis jungunt, ac, testudine facta, hostium telis se ita munitos offerunt, quod Græci vocant *συνασπίζειν*.

47. *Magna inter molles concordia.* ] Simile illud Catulli epig. 58 :

Pulchre convenit improbis cinædis.  
 — *Molles.* Mollis fere semper dicitur apud Romanos pathicus, in sensu obsceno.

49. *Non lambit.* ] *Lambere*, in sensu obsceno, idem quod lingere, fellare. — *Catullam.* Forte illam, de qua sic Mart. lib. VIII, epig. 53 :

Formosissima, quæ fuere vel sunt,

Sed vilissima, quæ fuere vel sunt :  
 O quàm te fieri, Catulla, vellem  
 Formosam minus, aut magis pudicam!

50. *Hispo.* ] Nomen fictum drauci infamis. — *Subit juvenes.* inclinat se ad patiendum, et pædicatur. — *Et morbo pallet utroque.* Patiendo et pædicando.

51. *Numquid nos agimus causas?* ] Nos non virilia agimus, ut vos muliebria. Mulierem causas agere turpissimum ducebatur.

52. *Fora vestra.* ] *Judicia.* — *Movemus.* Turbamus.

53. *Luctantur paucae.* ] *Paucae* dicit; nam, quasdam hujus vitii taxat. Vid. sat. I, v. 22 et 23; et VI, 245, et seqq.—*Coliphia.* Panis athletarum, bis coctus, et caseo mixtus, a Pythagora inventus, qui plurimum alimenti et roboris præstat: unde quidam eum sic dic-

in cod. archetypo scribi potuit: *Ad que ita* cum linea (-) supra verbum *que*, unde alii servant *ad que*, et rejicientes *ita*, ut prorsus inutile, effecerunt *ad quem*. Alii, ex *ad que*, litteram *d* in *t* mutant, et retinentes *ita*, scripserunt *atque ita*. Forsan et rectius diceretur, *ad quæ ita*, ut in quibusdam libris legitur, et probante Nic. Heinsio ap. Virg. *Aen.* X, 742.

V. 49. *Tedia.... Cluviam.* Hic, ut solent in nominibus propriis, variant codd. Sed plerique et optimi ita scribunt.

V. 53. In cod. Mazarineo bibl. Imp. Paris. post hunc versum legitur:

Spicum illustre tenens splendenti pectore virgo.

Qui versus unde venerit, quidque, hoc loco, significet, nescio.

Vos lanam trahitis, calathisque peracta refertis  
 Vellera : vos tenui prægnantem stamine fusum 55  
 Penelope melius, levius torquetis Arachne,  
 Horrida quale facit residens in codice pellex.  
 Notum est cur solo tabulas impleverit Hister  
 Liberto ; dederit vivus cur multa puellæ.  
 Dives erit, magno quæ dormit tertia lecto. 60  
 Tu nube, atque tace : donant arcana cylindros.

tum putant, quod membra (κῶ-  
 λα) admodum (ἴφι) roboret. Alii  
 comparant græc. κωλίφια, seu κω-  
 λήπια pernas. Jun. et Grang. sus-  
 picabantur, hos panes in simili-  
 tudinem virilis membri, ut alios  
 in formam muliebris factos fuisse,  
 et compositos satyrio similibus-  
 que, quæ ad Venerem incitarent.  
 Schol. vetus laudatus in miscell.  
 obss. crit. vol. V. T. II. p. 270.  
 « Coliphia, panes facti velut Priapi,  
 « quos comedebant ad libidinem  
 « provocandam. » Al. Rup.

54. *Vos lanam trahitis.* ] Vos viri  
 muliebria officia tractatis. — *Tra-*  
*hitis.* Ducitis e filo, vel carminas.  
 — *Calathis.* Quasillis vimineis, in  
 quibus glomi et fila reponuntur.  
 — *Peracta.... Vellera.* Lanam et sta-  
 mina in filum deducta.

55. *Prægnantem.... fusum.* ] Gra-  
 vidum, intumescens filum.

56. *Penelope.* ] Quæ ab Homero  
 inducitur λέπτ' ἡλάκατα σρωφῶσα,  
 Odyss. ρ, 97. — *Arachne.* Ex Ovid.  
 Met. VI, 5 et seqq.

57. *Horrida.* ] Inculta. — *Codice.*  
 Ligneo stipite, quem alligati ser-

vi, qui deliquerant, trahebant,  
 cuique insidebant vincti. An-  
 glisce a *Clog.* — *Pellex.* Serva in  
 adulterio cum domino depre-  
 hensa. Quæ sic deprehendeban-  
 tur, a matre-familias male tracta-  
 bantur, ac vinctæ perpetuo  
 lanificio fatigabantur.

58. *Hister.* ] Pacuvius Hister  
 homo infamis, de quo infra sat.  
 XII, v. 111, et seqq. — *Solo ta-*  
*bulas impleverit.* Libertum suum  
 ex asse hæredem constituerit.

59. *Dederit vivus.* ] Quia uxori  
 per leges non licebat quidquam  
 ex testamento legare, ex lege  
 præsertim Voconia : hinc vivus  
 multa ei dat, ut illa scelus cum  
 liberto taceat. — *Puellæ, uxori.*  
*Puellæ* enim et *Virgines* ap. poëtas  
 sæpe dicuntur, ut Græc. Παρθέ-  
 ναι, νύμφαι, uxores ætate florentes.

60. *Quæ dormit tertia lecto.* ] Ita  
 ut, inter illam et libertum, in-  
 termedius sit maritus infamis et  
 pathicus. — *Magno.* Scil. ut tres  
 capere possit.

61. *Donant arcana.* ] Etenim :  
 Οὐδὲν σιωπῆς ἐστὶ χρησιμώτερον.

V. 61. *Cylindros.* Hanc retinimus lectionem, etsi omnibus nostris  
 codd. *chelindros* aut *chylindros*; sed de causa : nam, certe a verbo græco

De nobis post hæc tristis sententia fertur :

Dat veniam corvis, vexat censura columbas.

Fugerunt trepidi vera, ac manifesta canentem

Stoicidæ. Quid enim falsi Laronia? sed quid 65

Non facient alii, cùm tu multicia sumas,

Cretice, et, hanc vestem populo mirante, perores

— *Arcana. Silentium.* — *Cylindros.* Lapillos pretiosos, uniones, et in aures Cylindri formam habentes. Vid. Plin. de Beryllis, lib. XXXVII, cap. 5.

62. *Tristis sententia.* ] Scil. lex Julia, quæ adversus adulteras mulieres relegationem, cum publicatione dimidiæ partis dotis, et tertiæ honorum. — *Fertur.* A maritis Aedilibus, Prætoribus, Imperatoribus.

63. *Dat veniam, etc.* ] Erasm. Chil. III, cent. V, Prov. 73. Simili fere apophtegmate, Democrates, Zaleucus et Anacharsis leges comparasse dicuntur araneorum telis infirmiora retinentibus animalia, validiora transmittentibus.

65. *Stoicidæ.* ] Ironice, et per contemptum, veluti Stoicorum nepotes et imitatores, Zenonis philosophiam præ se ferentes, ac turpissime viventes, quales comicus quidam a Grang. laudatus, sic alloquitur ap. Athæneum :  
 Ἀκούσατ' ὦ Στώακες ἔμποροι λήρου  
 Λόγων ὑπωκριτῆρες . . . . .  
 — *Quid enim falsi Laronia?* Supple

dixerat. — *Quid non facient alii, etc?* Ad castigandos iudices progreditur, qui molliem suam, vel externo habitu, prodebant, omni femina, etiam mœchis molliores. Est autem argumentum a minori; quasi dicat: Quid alii homines plebei, ignoti non facient, qua se turpitudine non contaminabunt; cùm tu, ô Cretice, iudex ex nobilissima gente oriunde, delicatis adeo vestibus incedas?

66. *Multicia.* ] Vestes (si modo, inquit Seneca VII, de benef. Vestes vocandæ sunt, in quibus nihil est quo defendi corpus, aut denique pudor possit, etc.) sericæ, vel bombycinæ, molli intextæ substamine, et in tantum tenues, ut per eas singula membra conspici queant; utque, inquit idem Seneca, *Matronæ nostræ ne adulteris quidem plus suis in cubiculo, quàm in publico ostendant.*

67. *Cretice.* ] Vet. schol. « Hoc nomine, vel quemlibet nobilem significat; vel Julium Creticum, qui sub Cæsare illustris causas egit ». — *Perores.* Hoc

Κύλινδρος formatur illa vox, quod per K, non X scribitur; unde *cylindros* non *chylindros* legi debet.



In Proculus et Polliucas? Est mœcha Labulla:

Damnetur, si vis, etiam Carfinia: talem

Non sumet damnata togam. Sed Julius ardet; 70

Aestuo. Nudus agas: minus est insania turpis.

En habitum, quo te leges, ac jura ferentem

Vulneribus crudis populus modo victor, et illud

Montanum positis audiret vulgus aratris!

loco, sententiam cum feras multis verbis ac declamationibus contra Proculus, etc.

68. *In Proculus et Polliucas.*] Contra adulteras et meretrices. — *Labulla*, ut infra, *Carfinia*, aliæ mulieres impudicæ, non magis quam præcedentes ex historia notæ.

69. *Talem non sumet damnata togam.*] Qualem habes in agendo. Matronis autem stupri damnatis deponendæ erant stola, instita, vitta, et sumenda toga meretricia.

70. *Sed Julius ardet.*] Verba Cretici, se excusantis. *Julius ardet*, ut *Tostam fervens Julius concoquit Messem* ap. Mart. lib. X, 62, 7.

71. *Nudus agas.*] Responsio poëtæ. — *Agas.* Supple causam, ut sup. v. 67, *perores.* — *Minus est insania turpis.* Præstat te insanum haberi nudum agendo, quam mollem et effeminatum, talem sumendo togam.

72. *En habitum, etc.*] Scilicet, te tam splendida et effeminata veste ornatum audiret priscus ille populus romanus! — *Leges ac jura ferentem.* Amara ironia et permissio.

73. *Vulneribus crudis.*] E recenti prælio victor reversus.

74. *Montanum vulgus.*] Agricola illi rudes et ab omni mollitie alieni.

V. 68. *Polliucas.* Tot sunt hujus nominis variæ lectiones, quot diversi codd. quarum præcipuæ sunt: *Pellucas, Pollitas, Pollineas, Pelliucas, Polenchas, etc.* Cum autem ex nostris XI codd. haberent *Polliucas*, hanc, in re tam parvi momenti, lectionem prætulimus.

*Ibid. Labulla.* Sic omnes nostri codd. et Alex. Rnp. Vetus schol. solus legit *Fabulla*. Eum secuti sunt recentiores editores, freti, inquit, auctoritate Martialis, lib. I, 65. ap. quem sic legitur. At, minime probanda est illa quam afferunt ratio: nam, idem mendum, eademque varietas lectionis in Martiale, ac in Juvenale esse potuit; præterea, possumusne affirmare *Fabullam* Martialis eandem esse, ac *Labullam* Juvenalis? Hanc igitur indubitam lectionem revocavi.

V. 71. *Insania.* Codd. quidam legunt: *infamia*: sed nostra lectio auctoritate et vi præstat.

Quid non proclames, in corpore iudicis ista 75  
 Si videas? quæro, an deceant multicia testem?  
 Acer et indomitus, libertatisque magister,  
 Cretice, perluces! Dedit hanc contagio labem,  
 Et dabit in plures; sicut grex totus in agris  
 Unius scabie cadit, et porrigine porci, 80  
 Uvaque conspecta livorem ducit ab uva.  
 Fœdus hoc aliquid quandoque audebis amictu.  
 Nemo repente fuit turpissimus. Accipient te

75. *Quid non proclames, etc.*] Forte, ut alter Tullius, exclamares: *O tempora! ô mores!* etc. — *Porriginē. vid. infr. var. lect.*

76. *An deceant multicia testem?*] Multo minus iudicem.

77. *Acer et indomitus.*] Per sarcasmum et repetitam subsannationem exagitat mollem et effeminatum iudicem.

78. *Perluces.*] Vestē perlucida indutus. Sic dicitur *Perlucidus homo*. Senec. de Constant. 18, et *perlucidus ostro*, Martial XII, 38. — *Dedit hanc contagio labem, etc.* Tu mollium commercio corruptus, mox aliis *hanc labem*, animi has maculas, hos morbos imperteris; non secus ac, etc.

80. *Scabie.*] De hoc morbo, Corn. Celsus, *durior est*, inquit, *cutis rubicunda, e qua pustulæ oriuntur quædam humidiores, quædam sicciore, exeunte ex aliquibus sanie,*

*etc.* — *Porriginē. vid. infr. var. lect.*

81. *Uvaque conspecta, etc.*] Ex opinione vulgi censentis, uvam sub vindemiam ab altera conspectam, colorari primum, mox deinde corrumpi: unde Suid. *Βότρυς πρὸς βότρων πεπαίνεται*, cui favet opinioni vet. schol. dicens: *Uva uvam videndo varia fit.*

82. *Quandoque, etc.*] Aliquando etiam, quod turpius est, vestes feminarum indues, earumque sacra, vitam, cultum ac mores imitaberis: ita, per gradus, ad majora et turpiora progredieris.

83. *Accipient te, etc.*] In hoc versu et sequentibus explicandis variant interpp. Alii, sic: poëta innuit effeminatos sacerdotes, quos in Albano Domitianus instituerat, qui celebrarent quotannis quinquatria Minervæ, cui

V. 80. *Porriginē.* Codd. fere pars dimidia legit *pruriginē*. Eadem lectionis varietas in simili loco Columell. R. R. VII, 5, ubi *porriginem* præferebant Ursinus coll. Celso de Med. II, 7. VI, 2. Grævius in Syll. Burm. t. IV, p. 295. Keuchen et Burm. in poët. latin. min. et alii. « Prurigo, inquit Beckius (obs. philol. in Juven. sat. duas priores), « vocata a *perurendo* et ardendo, hoc sensu, rectissime usurpatur de sui-

Paulatim, qui longa domi redimicula sumunt  
 Frontibus, et toto posuere monilia collo, 85  
 Atque Bonam teneræ placant abdomine porcæ,  
 Et magno cratere Deam. Sed more sinistro

collegium; templumque ibidem consecrârat. Suet. Domit. cap. 8. Hæc vero de sacerdotibus Minervæ in monte Albano commode intelligi nequeunt: nam, dissimiles dubio procul fuerunt Minervæ et Cybeles cultus, quos male quidam confundunt; præterea, minime probandum est tantæ infamiæ auctoritatem quasi publicam præbuisse Domitianum, etsi malum principem: cæterum, ea de re nullum etiam nunc extat monumentum. Alii eadem dici volunt de sacris ipsis bonæ Deæ, seu Cybeles; matris Deor., quæ tunc temporis Romæ homines ipsi, ut antea mulieres, eodem fere ritu, amotis tamen feminis, celebrabant. Unde tamen, qui ita explicant, hæc acceperunt? Et, quomodo, ex mera conjectura potius eo loco ducta, quàm alio quovis monumento, hujus loci certam rationem, doctisque viris probatam elicere potuerunt? His de causis, nos tertiæ arridemus sententiæ, quâ constat illa sacra omnino fuisse simulata, et verorum bonæ Deæ sacrorum parodiam ridiculam ab impiis ho-

minibus in orgiis privatis peractam, potius ad irridendam religionem, quàm in ejus honorem inventam. Illam interpretationem nostram planiorem efficient versus sequentes. Ita, sensus erit: in consortium recipieris istorum nebulonum, et effeminatorum hominum, qui, clam, domi conveniunt, media nocte, orgia infanda peracturi, atque insuper sacra bonæ Deæ impie imitaturi; quin etiam, viri viris nubentes, et prostibula obscœnitate factorum verborumque superaturi. A.

84. *Redimicula.*] Muliebris capitis ornamentum. Fasciolæ ceutaniæ a mitra dependentes.

86. *Atque bonam, etc.*] Per imitationem ridiculam, secundum ritum a feminis in sacris bonæ Deæ servari solitum. — *Abdomine porcæ.* Abdomen est pars cutis quæ ventrem protegit, pro ventre ipso. Quemadmodum igitur, in sacris bonæ Deæ porca immolabatur; ita, nostri convivæ teneræ ventrem porcæ mensis apponi jubebant, quæ pars apud Romanos erat delicatissima. A.

87. *Et magno cratere.*] Copiosis

« bus, quoniam ob prurientem cutem luto volutantur, et lapidibus ac « trucidis sese affricare solent. » Celsus contra, VI, 2. *Porriginem* describit, ut sit, *ubi inter pilos quædam quasi squamulæ surgunt, eæque acute resolvuntur: et interdum madent, multo sæpius siccæ sunt. Porrigo autem et prurigo differunt tanquam genus et species, quorum hæc totum corpus, illud caput tantum afficit.* Al. Rup.

Exagitata procul non intrat femina limen.  
 Solis ara Deæ maribus patet. Ite profanæ!  
 Clamatur : nullo gemit hîc tibicina cornu.  
 Talia secretâ coluerunt orgia tædâ  
 Cecropiam soliti Baptæ lassare Cotytto.

90

libationibus. — *More sinistro.* Scilicet ritu contrario; quod necesse erat.

89. *Ara Deæ.*] Ironice, id est, mensa. — *Ite profanæ.* Formula usitata in initio sacrorum, quam hic *sinistro more* usurpant; quæque profani, scilicet non initiati, Βέβηλοι, ἀτέλεστοι, ἀμύητοι, voce præconis, vel sacerdotis a sacris summovebantur: ΕΚΑΣ, ΕΚΑΣ ΕΣΤΕ ΒΕΒΗΛΟΙ.

90. *Nullo gemit.*] Item, nullæ tibicinæ, ut in sacris bonæ Deæ, in orgiis supra dictis, adhibebantur canentes cornibus.

91. *Talia secreta.*] Non minore cum turpitudine et impudicitia Baptæ soliti, etc. coluerunt orgia tædâ secretâ. — *Orgia.* Sacra nocturna et enthusiastica. Proprie Bacchi sacra: sed, aliquando, figurate sumitur, pro quolibet festo, atque etiam pro licentioribus epulis; unde Gallis quoque dicitur, *C'est une orgie.* A.

92. *Baptæ.*] Sacerdotes molles et effeminati. Quo titulo Eupolis comædiam, quam alii Cratino tribuunt, scripsit, in qua, teste vet. schol. « Athenienses induxit « ad imitationem feminarum

« saltantes, et præcipue perstrinxit Alcibiadem, a quo propterea rea necatus est ». Forte dicti *baptæ*, ἀπὸ τοῦ βάπτειν, *inficere*, *fucare*, et non, ut quidam volunt, quod omni vitiorum genere tincti essent. Al. Rup. — *Cecropiam... Cotytto.* Non longe aberam, quin veterem lectionem *Cocytton* revocarem, nec sine causa: omnes quotquot consului codd. ita legunt, excepto cod. Mazarineo bibl. Imp. Paris. n° 3110, qui habet *Cotyto*, ut apparet: etsi, cuilibet attentius consideranti, non adeo distincta videbitur littera *t*, quin pro *c* possit accipi. Vetus igitur superest Pithoei schol. qui servat *Cotyto*; quam lectionem suam fecerunt recentiores editores omnes: sed, qua freti auctoritate? Scilicet, unius codicis, omnibus aliis repugnantibus. Lectioni porro vulgatæ, tria hæc obijcere licet: 1° Omnes codd. tum ab Alex. Rup. tum a me inspecti et collati, fere ad numerum XL, uno tantum excepto, etsi quoque ex diversis exemplaribus ducti, habent *Cocytton*, *Cocciton*, vel *Cochiton*, nullus vero *Cotyto*, seu

V. 92. *Cotyto.* Lectioni codicum, *Cocytto*, re ipsa metrum adversatur, græce enim dicitur κωκυτός, a κωκύω, *fleo*, *lugeo*: et passim in Virgil. et aliis, prima syllaba verbi *Cocytto* producitur: quapropter, lectionem vulgatam retinuimus. F. D.

Ille supercilium madida fuligine tactum  
 Obliqua producit acu, pingitque trementes  
 Attollens oculos : vitreo bibit ille Priapo,

*Cotyto*. 2<sup>o</sup> Ista Thraciæ Dea propria, hoc loco *Cecropia* vocatur; quod epithetum pervetustæ antiquitatis Atheniensium numen indicat, et minime recens. 3<sup>o</sup> Quod monumentum, quodve argumentum afferunt ii qui *Baptas* sacerdotes huic neotericiæ Deæ addicunt? Eupolis quidem, teste eodem vet. schol. comædiam eo titulo scripsit, qua sacerdotum illius nominis luxuriam perstrinxit; sed non æque certum est, eosdem fuisse Deæ hujus peregrinæ sacerdotes, cum ea de re sileant historici. *Cocyto* autem, ut mihi verisimile videtur, nulla alia est quam *Proserpina* Cereris filia, a *Cocyto* flumine ita dicta, inferorum quoque regina, ut omnes vet. gloss. interpretantur, cujusque festa *Cocytia* dicta, simul cum Cereris solemnitatibus celebrabantur, in quibus Eleusiniis dictis, *tædas*; ardentes faces ferebant *δαδοῦχοι*, iidem forte quos hic noster *baptas* vocat, saltantes, Deamque lascivis gestibus et clamoribus lassantes. Qui vero legunt *Cotyto* (acc. græc. 4 decl.), eo modo interpretantur: alii, *Cotyto*, eadem ac *Cotys*, *Κότυς*, libidinum Dea, a Corinthiis et Chiis culta, a qua homo mollis *Κότυος θιασώτης*, *Cotyos sodalis*, dictus putatur; alii *Cotyto*, psalteria quædam impura ab Edonibus in Thracia primum culta, deinde in Phrygia; et hinc Athenas, sub

finem reipublicæ translata. De ea, festisque ejus *Cotyttiis* dictis, vid. Strab. lib. X, p. 470 seu 721 B. Interpp. Horat. ad epod. XVII, 56. Heyne ad Virgil. catalect. IV, 19. Synes. epist. 44, et Suid. v. *Κότυς*. Illi Deæ *baptas* sacerdotes assignant, quæ quidem, forte, ut proverb. sup. citatum (*Κότυος θιασώτης*) originem debet *Cotyti*, libidinosissimo Thraciæ regi, de quo vid. Athen. Deipn. XII, 8. A.

93. *Ille supercilium*.] Denigrat. *Tanta est decoris affectatio, ut oculi quoque tingantur*, inquit Plin. lib. II, cap. 37. Oculos ejusmodi tinctos D. Hieronymus appellat *orbis stibio fuliginatos*. — *Madida fuligine*. Stibio vel cerussa (Arab. *Al-Cahol*) pingunt. Similiter Pollux V, 16: τὰς ὀφθαλμοὺς μελαίνει, τοὺς ὀφθαλμοὺς ὑπεγράφει. — *Tactum*. Eleganter, pro tinctum, leviter imbutum.

94. *Obliquâ producit acu*.] Calamistro, acu crinali, quæ ipsa non obliqua est, sed supercilium obliquat; unde *producere* dictum videtur, pro calamistro supercilium obliquare: et forsân, τὸ *producere* spectat ad *confinia superciliorum* quæ olim pulchra censebantur. — *Trementes... oculos*. Genas, vel pilos oculorum. — *Trementes*. Quia oculi tremunt, si quid iis propius admoveatur.

95. *Vitreo bibit ille Priapo*.] Ad morem mulierum impudicarum quæ ex penè e vitro facto (*dril-*

Reticulumque comis auratum ingentibus implet,  
 Cærulea indutus scutulata, aut galbana rasa,  
 Et per Junonem domini jurante ministro.  
 Ille tenet speculum pathici gestamen Othonis,  
 Actoris Aurunci spolium, quo se ille videbat

100

*lopota*. Vet. schol. ) bibere solebant. Sic, Plin. lib. XXXIII. cap. 1 : *In poculis cœlare juvat, et per obscœnitates bibere.*

96. *Reticulum*.] Muliebre capitis tegmen in similitudinem retis confectum. *Reticulo igitur aureo, comam ingentem, quæ nota est effeminati animi, colligit ac religat.*

97. *Cærulea indutus*.] Subaudi vestimenta. *Cæruleus* autem color inter viridem et nigrum est, et similis fluctibus marinis.—*Galbanus* albidus et flavus, seu *Galbinus* ex *Galbo*, qui dicitur græc. *χλωρός* herbaceus, viridis, pallidus, qui colores mulierum sunt, non virorum; unde *Galbini* mores apud Martialem I. 97, 9. rectius autem scribitur, hoc loco, *Galbana* ex *Galbano*, quod dicitur græc. *χλωράνη*, hebr. גלגל, et syr. גלגל, gummi, resinâ male olente, et succo viscido ferulæ. Color galbani exterior flavus est, et ipsa ferula, quæ initio albet, vetus flavescit, albicantibus tamen maculis distincta.—*Scutulata*. Id est, vestimenta texta in formam scutularum, hoc est, quadrarum, quales in retibus, vel telâ aranearum; *stoffe mit Rauten oder Würfeln, à la quadrille*.—*Rasa*. Vestimenta, *ξερὰ εσθήτας*, sine villis vel pilis, ut *toga rasa* apud Mar-

tial. II. 88. cui opponitur vestis pexa, ἡ μάλωτή ἐσθής eminentioribus villis. A. Rup.

98. *Et per Junonem domini*.] Viri Romæ jurabant per Jovem, Herculem, Genium suum et Principis, et servi eorum per Genium heri : mulieres autem, per Deas, ac præsertim per Junonem; et servæ earum per Junonem, ac Genium heræ suæ; sic, ministri scil. servi pathicorum dominorum quorum Genius erat Juno, jurabant per hanc Deam.

99. *Ille tenet, etc.*] Aliud muliebris mollitiæ argumentum.—*Tenet speculum*. Ad quod se comat, formamque suam explorat, instar mulierum.—*Pathici*. Qui muliebria patitur. Hinc, M. Salvius Otho Roman. Imp. octavus dicitur *Pathicus*, quia mutuo stupro Neroni est conciliatus.—*Gestamen Othonis*. Sic Virg. Aeneid. III, 268. (clypeus) *Magni gestamen Abantis*.

100. *Actoris Aurunci spolium*.] Hoc quoque translatum ex Virg. Aen. XII, 93.

. . . . . Valida vi corripit hastam  
 Actoris Aurunci spolium, quassatque  
 trementem

Vociferans. . . . .  
 Id irrisorie et scoptice dictum;  
 speculum quod mulierosus ille  
 habet ab Othone tanquam a

Armatum, cùm jam tolli vexilla juberet.

Res memoranda novis annalibus, atque recenti

Historia, speculum civilis sarcina belli.

Nimirum summi ducis est occidere Galbam,

Et curare cutem summi constantia civis, 105

Bebriaci in campo spoliū affectare Palatī,

Et pressum in faciem digitis extendere panem :

summo Imperatore summum munus. — *Ille*, Otho.

101. *Cùm jam tolli vexilla juberet.* ] Translative a castris, ubi in tabernaculo penes erat Imperatorem vexillum (tunica russa, sive velum purpureum), quod, cùm praelium esset committendum, tollebatur. Turneb. Advers. lib. IV, Just. Lips. de Milit. Sub his autem verbis, obscœni aliquid latere putabat Grangæus.

102. *Res memoranda, etc.* ] Acerbe magis, quàm ironice in Othonem invehitur.

103. *Speculum.* ] Inter sarcinas militum speculum inveniri, satis stolidum inauditumque est, ut singulari historiâ dignum videatur.

104. *Nimirum.* ] Hoc εἰρωνικῶς et amarè dicitur, ut infra, scilicet. — *Occidere Galbam.* Senem pedibus manibusque articulari morbo ita distortum, ut, neque calceum peti, neque libros evolvere, aut tenere omnino valeret. Suet. vit. Oth. cap. 21.

105. *Et curare cutem.* ] Ut, pinguem et nitidum bene curata cute, ap. Horat. Epist. lib. I. 4, 15. — *Summi constantia civis.* Ironiam producit.

106. *Spoliū affectare Palatī.* ] Contra Vitellianos de imperio decertare velle. — *Spoliū.... Palatī.* Δεινῶς de imperio, quod his temporibus vi rapiebatur. — *Bebriaci* autem *campus* sic dictus a vico, inter Cremonam Veronamque sito, ubi Otho victus a Vitellianis fuit.

107. *Et pressum.... panem.* ] Scil. lacte asinino madidum. Otho fuisse traditur munditiarum pæne muliebrium, vulso corpore, quin etiam faciem quotidie rasitare, et pane madido linire consuetum; idque instituisse a prima lanugine, ne barbatus unquam esset. Suet. in Oth. cap. 12. Cæterum, in Othonem (etsi aliter Henninio et Al. Rup. placet), sin injuste omnino; at saltem acriter nimis invehitur Juvenalis. Ille enim princeps summus fuit dux, cujus, ut ait Tacit. lib. I. Hist. non erat mollis, et corpori similis animus; cujusque constantia mortis, anteactæ vitæ turpitudinem emendavit: nam, damnatis civilibus bellis, cùm ei superesset exercitus, ac de victoria sperare posset, elegantissima oratione habita, se interfecit; melius ratus unum mori, quàm tot fidos sibi milites, qui-

Quod nec in Assyrio pharetrata Semiramis orbe,  
 Mœsta nec Actiacâ fecit Cleopatra carinâ.  
 Hic nullus verbis pudor, aut reverentia mensæ. 110  
 Hic turpis Cybeles, et fracta voce loquendi  
 Libertas, et crine senex fanaticus albo  
 Sacrorum antistes, rarum, ac memorabile magni  
 Gutturis exemplum, conducendusque magister.  
 Quid tamen exspectant, Phrygio quos tempus erat jam

bus adeo carus erat, ut multi  
 viso ejus cadavere se intereme-  
 rint. A.

108. *Semiramis.*] De ea Herodot. in Clio, Curt. lib. V, Solin. cap. 60, Strabo, lib. VI, Plut. in Alexand. Justin. lib. I. Equum ab ea admatum usque ad coitum refert Plin. lib. VIII, cap. 42. — *Orbe. . . Assyrio.* Pro Imperio. Similiter dicitur *Orbis Romanus.*

109. *Mæsta Cleopatra.*] Ob navalis sui exercitus ruinam in pugna Actiaca.

110. *Reverentia mensæ.*] Recte dicit, reverentia: nam apud veteres sacræ erant mensæ. Synes. epist. 57: τράπεζα μὲν ἱερὸν γρῆμα, δι' ἧς ὁ θεὸς τιμᾶται φίλος τε καὶ ξένιος.

111. *Hic turpis Cybeles, etc.*] Ordo est: Hic, libertas loquendi fracta voce, et libertas Cybeles, id est, quali in Megalesiis, aliisque enthusiasticis Cybeles sacris, utebantur ejus sacerdotes Corybantæ, Curetes, Idæi et Galli, hic, inquam, ea libertas turpis et deformis est. Alii rectius, opinor, interpretantur: Hic Cybele est

turpis, id est, deformatur, atque cultus ejus contaminatur; et libertas loquendi fracta voce æque turpis est. — *Fracta.* Delicata, molli, effeminata: nam frangere, θρῦπτειν, κλάζειν, idem ac mollire, effeminare. A.

112. *Senex fanaticus.*] Inter hos nebulones, qui more sinistro et impio, in orgiis privatis, sacra Bonæ Deæ adeo turpiter deformat, reperiuntur etiam decrepiti, quos usus et experientia sapientes et frugi viros efficere debuerant. Immo, antistes eorum, *leur coryphée, est senex, albo crine, un vieux paillard, et fanaticus, juvenes ipsos libidinis æstu superans, et gulosus, atque etiam, ipse gula, magni gutturis exemplum, conducendusque magister, dignus qui tales habeat, et erudiat discipulos, quique ideo, convivii magister vel modimperator, συμποσίαρχος, et βασιλεύς ab ijs conducatur.* A.

115. *Quid tamen exspectant.*] Cum habitu moribusque mulieres et sacerdotes Cybeles imitentur, cur cessant, aut dubitant se horum exemplo castrare, etc.?



More supervacuam cultris abrumpere carnem? 116  
 Quadringenta dedit Gracchus sestertia dotem  
 Cornicini, sive hic recto cantaverat ære.  
 Signatæ tabulæ: dictum feliciter! ingens  
 Cœna sedet: gremio jacuit nova nupta mariti. 120  
 O proceres! Censore opus est, an haruspice nobis?

116. *More.... Phrygio.*] Ut Cybeles sacerdotes, Galli Phrygii dicti, apud quos, neophitus, canentium vocum, tympanorum et tiliarum ad sonum, divino quasi correptus furore, lapideum arripiebat cultrum, et sibimet, coram multitudine, pudenda amputabat.—*Supervacuam.... carnem.* Genitalia, quibus non opus est iis, pondus inutile pathicis.

117. *Quadringenta dedit.*] Censui equestri æqualem dotem. Scil. quadringenta millia sestertiûm. 78395 fr. 061  $\frac{52}{81}$ .—*Gracchus.* Hic, pro viro nobili et pathico.

118. *Cornicini.*] Canenti ære curvo.—*Sive hic recto, etc.* Tibicini. Ovid. *Metam.* I, 98: Non tuba directi, non æris cornua flexi.

119. *Signatæ tabulæ.*] Nuptiales et dotales.—*Dictum feliciter!* Si-

gnatis tabulis, acclamabant: *Feliciter cedant nuptiæ!* vel, *Felix hoc sit!* Formula gratulationis, et fausti ominis.

120. *Cœna sedet.*] Cœna pro cœnantibus, ut infra V, v. 82, *convivia*, pro *convivis*.—*Nova nupta.* Gracchus.—*Mariti.* Cornicinis, aut tibicinis.—*Jacuit gremio.* More nuptiali. Lipsius ad Tac. *Ann.* XI, 2, nos monet, mulieres olim cubantibus viris sedisse, postea etiam accubuisse, et quidem ita, ut uxores in virorum, amicæ, puerique meritorii in amatorum sinu recubuerint, quod vocaverint, *infra aliquem accubare*, vel *interiorem jacere*. Sic et Johannes, discipulus J. Christ. dilectissimus, ἦν ἀνακείμενος ἐν τῷ κόλπῳ τοῦ Ἰησοῦ. Joh. XIII, 23. Al. Rup.

121. *Censore opus est?*] Qui adeo deploratos mores P. R. corrigat

V. 116. *Abrumpere.* Ita legitur ap. XLV tum codd. tum edd. prisc. Alii *abscindere*, vel *abscidere*. Sed *abrumpere* aptius videri potest, si, ut videtur, lapideis, non ferreis cultris se castraverunt Galli.

V. 118. *Cantaverat.* Codd. multi *cantaverit*.

V. 121. *Haruspice.* Omnes fere codd. et edd. *Aruspice*. Sed *Haruspex* in lapidibus passim legitur, dictusque est non ab *ara*, vero ab *haruga* sive *haruiga*, hostia in *hara*, stabulo includi solita, et inspicienda; si fides habenda Festo et Donato in Terent. *Phorm.* IV, 4, 28. Al. Rup.

Scilicet horreres, majoraque monstra putares,  
 Si mulier vitulum, vel si bos ederet agnum?  
 Segmenta, et longos habitus, et flamea sumit,  
 Arcano qui sacra ferens nutantia loro  
 Sudavit clypeis ancilibus. O pater Urbis!  
 Unde nefas tantum Latiis pastoribus? Unde  
 Hæc tetigit, Gradive, tuos urtica nepotes?

125

et emendet. — *An haruspice nobis?*  
 Qui portenta hæc, et prodigia  
 scelerum, hostiarum extis expiet?

122. *Scilicet.*] Amarè, ut supra  
*nimirum.*

123. *Vel si bos.*] Id Josephus  
 accidisse refert in ruina Hiero-  
 solymæ.

124. *Segmenta.*] A *secando*, fim-  
 briæ, seu virgæ purpureæ et au-  
 reæ solis olim matronis concessæ,  
 et muliebribus tunicis extrema  
 parte assutæ, sed postea virilibus  
 quoque vestimentis adtextæ. —  
*Longos habitus.* Stolas muliebres et  
 syrmata. — *Flamea.* Rectius scri-  
 bitur *flamea* quàm *flammea*: nam,  
 inquit Verrius Flaccus, *flameum*  
*nuptæ amiculum vocabant, non qui-*  
*dem a flammæ colore, sed quia fla-*  
*minica (flaminis uxor), cui divor-*  
*tium facere non licebat, eo perpetuo*  
*utebatur.* Eadem dicit Festus, et  
 addit: *Unde, boni ominis causa, nu-*  
*bentes flameo velantur.* Item Plin.  
 lib. XXI, cap. 8: *Lutei video, ho-*  
*norem antiquissimum in nuptialibus*  
*flameis totum feminis concessum.*  
 Unde apparet, *flameum*, velum  
 novæ nuptæ, non ignei coloris

fuisse, sed *lutei, d'un jaune clair.* A.

125. *Arcano qui, etc.*] Gracchus  
 nobilissimus, et sacerdos Salius,  
 nunc sponsæ habitum induit, ac  
 nubit. — *Sacra.* Scuta. — *Nutantia.*  
 Huc, illuc vergentia, motu saltan-  
 tium. — *Loro...* *arcano.* Occulto,  
 quòd interius essent adnexa.

126. *Sudavit clypeis ancilibus.*] *Ancile*  
 adjectiv. est, ita dictum,  
 quòd περιφέραιαν sinuosam, passim  
 incurvatam, et in apices excur-  
 rentem formam haberet, teste  
 Plut. in Numa, p. 69. — *Sudavit.*  
 Ferendo et saltando, nam, Sali  
 ὄρχησιν ὑποχοροῦνται διαπορευόμενοι  
 τὴν πόλιν· κινεῦνται δὲ ἐπιτερπῶς,  
 ἰλιγμούς τίνας καὶ μεταβολὰς ἐν  
 ῥυθμῶ τάχος ἔχοντι καὶ πυκνότητα  
 μετὰ ῥώμης καὶ κουφότητος ἀποδι-  
 δόντες. loc. cit. — *O pater Urbis!*  
 Ad Martem vivida apostrophe.

127. *Latiis pastoribus.*] Romanis  
 e priscis illis pastoribus oriundis,  
 qui olim fuere homines rudes, et  
 omnium voluptatum expertes.

128. *Gradive.*] Nomen Martis, a  
 gradiendo ultro citroque in bel-  
 lum. — *Urtica.* Proprie herba vivax  
 et mordax; hinc pruritus libidinis.

V. 124. *Flamea.* Revocavi ex XXXIII codd. et edd. prisc. At vid.  
 sup. comm.

Traditur ecce viro clarus genere, atque opibus vir!  
 Nec galeam quassas, nec terram cuspide pulsas, 130  
 Nec quereris patri? Vade ergo, et cede severi  
 Jugeribus campi quem negligis! Officium cras  
 Primo sole mihi peragendum in valle Quirini.  
 Quæ causa officii? Quid quæris? nubit amicus,  
 Nec multos adhibet. Liceat modo vivere: fient, 135  
 Fient ista palam; cupient et in acta referri.  
 Interea tormentum ingens nubentibus hæret,  
 Quòd nequeunt parere, et partu retinere maritos.

129. *Traditur.*] Inter obscæna legi *tradere*, minime dubium est. Horat. lib. II, sat. 2, v. 76:

Penelopen facilis potiori trade. . .  
 Et Mart. lib. XI, epig. 69.

130. *Nec galeam quassas?*] Hæc Δεινῶς dicta, pro, nec irascere? nec ardes? — *Galeam quassas.* Ut Hom. Odys. ε, 285. Ἐνοσίχθων κινήσας κάρη.

131. *Nec quereris patri?*] Apud patrem Jovem. Quidam, et præsertim Latini, Martem sine patre volunt: at, Hesiod. Theog. cum Junonis et Jovis filium faciunt. — *Vade ergo, etc.* Hæc omnia summam indignationem spirant.

132. *Jugeribus campi.*] Exquisite Campum Martium posuit, pro Urbe ipsa, ejusque imperio. — *Severi.* Quia in eo comitia habebantur, et judicia extra ordinem exercenda, et exercitia militaria. — *Officium cras.* Διαλογικῶς hæc. Inducit personas colloquentes de marium nuptiis celebrandis. — *Officium,* inquit amicus. — *Officium Romanis* dicebatur quidquid ho-

noris vel studii, patronis, amicis et cognatis præstabatur.

133. *In valle Quirini.*] In porticu, vel templo Romuli, quò conveniebant homines componendorum negotiorum causa, atque ubi sponsalia etiam aliquando peragebantur.

134. *Quæ causa officii?*] Interrogatio poëtæ ad amicum. — *Quid quæris? nubit, etc.* Respondet amicus. — *Nubere,* proprie feminarum, ut *ducere* virorum.

135. *Nec multos adhibet.*] Supple, testes. — *Liceat modo vivere.* Interruptum sermonem repetit poëta.

136. *Et in acta referri.*] In libros publicos, ubi referuntur res memorabiles ac legitimæ, judicia publica, supplicia, natiuitates, mortes, matrimonia, etc.

138. *Et partu retinere maritos.*] Liberi enim sunt pignora et vincula conjugii. Claudian. in Eutrop. I, 72:

Femina cum senuit, retinet connubia partu,  
 Uxorisque decus matris reverentia pensat.

Sed melius, quòd nil animis in corpora juris  
 Natura indulget. Steriles morientur, et illis 140  
 Turgida non prodest conditâ pyxide Lyde,  
 Nec prodest agili palmas præbere Luperco.  
 Vicit et hoc monstrum tunicati fuscina Gracchi,  
 Lustravitque fugâ mediam gladiator arenam,  
 Et Capitolinis generosior, et Marcellis, 145

Nos Lucina fugit, nec pignore nititur  
 ullo.

Cum forma dilapsus amor, etc. . . .

139. *Sed melius.* ] Bene consulit natura viris; ut, si maxime velint, non tamen possint mares concipere, atque in mulieres transformari.

140. *Steriles morientur.* ] Ordo est: etsi turgida Lyde eis supeditat medicamina sterilitatem amorentia; etsi palmas Luperco præbent; tamen nihil proficiunt, et nihilominus illi steriles olim morientur.

141. *Turgida.... Lyde.* ] Unguentaria quædam crassa et obesa, quæ medicatâ pyxide sterilitatem se emendaturam pollicebatur mulieribus.

142. *Palmas præbere Luperco.* ] Luperco, sacerdotes Dei Panos februant, nudi per Urbem discurrebant, hircinoque flagello sibi obvios quosque feriebant, præsertim mulieres, quarum palmas, manus, Ovid. dicit terga,

cædebant, quasque inde fecundas reddi putabant. Sic Ovid. *Fast. II, v. 425:*

Nupta quid exspectas? Non tu pollentibus herbis,

Non prece, nec magico carmine mater eris.

Excipe fecundæ patienter verbera dextræ;

Jam socer optatum nomen habebit avi!

143. *Vicit et hoc monstrum.* ] Minime miranda hæc hyperbole: ab infamia publica magis abhorrebant, quàm a scelere ipso; et nobilis vir sponte sua palam gladiator majus monstrum Romanis videbatur, quàm pathicus, et sacrilega, sed occultus. — *Monstrum.* Hanc rem inauditam, ac fœdam. — *Tunicati.* Tunica et galero induti. — *Fuscina.* Tridens. A.

144. *Lustravitque fugâ.* ] Percurrit arenam. De hoc certaminis gladiatorii genere, vide fusius sat. VIII, ad v. 192 et seqq.

145. *Generosior.* ] Nobilior, an-

V. 140. *Morientur.* Ita omnes nostri codd. et Rupertiani, paucis exceptis, quibus legitur *moriuntur*. Quam lectionem tuentur editores recentiores, ea scilicet ratione, quia, inter præsentia tempora *indulget*, et *infra prodest*, reperitur, sed frustra: nam et nihilominus recte fluit oratio, et ea elegantior est lectio. Vid. sup. comment.

Et Catulis, Paulique minoribus, et Fabiis, et  
 Omnibus ad podium spectantibus : his licet ipsum  
 Admoveas, cujus tunc munere retia misit.  
 Esse aliquos Manes, et subterranea regna,  
 Et contum, et Stygio ranas in gurgite nigras, 150  
 Atque unâ transire vadum tot millia cymbâ,  
 Nec pueri credunt, nisi qui nondum ære lavantur.  
 Sed tu vera puta : Curius quid sentit, et ambo  
 Scipiadæ, quid Fabricius, Manesque Camilli ?  
 Quid Cremeræ legio, et Cannis consumpta juvenus,

tiquiori genere natus. — *Capitolinis*. Posteris T. Manlii Torquati. — *Marcellis*, et M. Claudii Marcelli.

146. *Catulis*.] Ex gente Luctatia. — *Paulique*. Ex gente Aemilia.

147. *Podium*.] Pars muri prominentior arenam proxime cingentis (nostri dicunt, *galerie*, *balustrade*, *balcon*), cui columnæ impositæ ad ornatum, aut innixum, ut bene Lips. lib. de Amphith. c. XI. Ad hoc podium spectare soliti primi e senatu, qui proprie ad podium spectare dicuntur.

148. *Admoveas*.] His licet nobilissimis viris addas etiam ipsum, Imperatorem Neronem, vel Domitianum, cujus munere, quo præside, Gracchus retia misit, gladiatoris partes egit.

149. *Esse aliquos Manes*.] Nemo, inquit, hodie, præter parvulos pueros, sibi persuadet esse Manes atque inferos; ideo non mirum, si tam fœda committant, nullo pœnæ futuræ timore absterriti. — *Manes*. Umbras, animas mortuorum e corporibus post vitam egressas, et apud inferos errantes.

— *Subterranea regna*. Ubi meritis digna rependunt severi judices Minos, etc.

150. *Et contum*.] Hastam longam, sudem, qua utitur Charon inferorum portitor. Virg. Aeneid. VI, v. 302 :

Ipsè ratem conto subigit, velisque ministrat.

— *Ranas... nigras*. Aristophanis inventum in ranis, pro quibuslibet reptilibus.

152. *Qui nondum ære lavantur*.] Pusilli non lavabantur mercede, in balneis publicis. Merces autem erat quadrans.

153. *Sed tu vera puta*.] Fac, pone vera esse, quæ tibi nunc falsa videntur. (Ut infra V, 7, hoc ipsum defecisse puta). — *Curius et Fabricius*. Notissimi ex Cicer. Off. III, 22; Val. Max. IV, 3, et aliis.

154. *Scipiadæ*.] Notissimi in historia duo Scipiones, ut et *Camillus*. — *Scipiadæ*, hoc est, Scipiones, ut *Memmiades* Memmius dicitur Lucret. I, 27.

155. *Cremeræ legio*.] CCCVI Fabii, ad Cremeram Fl. a Veien-

Tot bellorum animæ, quoties hinc talis ad illos 156  
 Umbra venit? cuperent lustrari, si qua darentur  
 Sulphura cum tædis, et si foret humida laurus.  
 Illuc, heu! miseri traducimur. Arma quid ultra  
 Littora Juvernæ promovimus, et modo captas 160  
 Orcadas, ac minima contentos nocte Britannos;  
 Si, quæ nunc populi fiunt victoris in Urbe,  
 Non faciunt illi quos vicimus? Et tamen unus

tibus cæsi, omnes patricii, omnes unius gentis, etc. — *Et Cannis consumpta juvenus.* Ad Cannas, quadraginta millia Romanorum cæsa ac deleta.

156. *Tot bellorum animæ.*] Animæ egregiorum bellatorum, qui in bellis pro patria ceciderunt. — *Talis... umbra.* Scil. turpis et monstrosa, qualis anima Gracchi, et consimilium.

157. *Cuperent lustrari.*] Veluti ipso visu contaminati, polluti. Lustratio, apud veteres, fiebat circumlato circa aliquem *Sulphure cum tædis.*

158. *Humida laurus.*] Laureæ virga immersa in aquam, qua aspergisolebant qui lustrabantur.

159. *Illuc.*] Ad inferos. Sic omnes interpretes: ego vero, hunc ingenuum, atque sequentibus consentaneum magis sensum propono. *Illuc*, id est, eo usque turpitudinis et infamiæ *traduci-*

*mur* (ignominia verbum), devenimus, vel perverso exemplo redacti sumus, etc. Gall. *Malheureux! à quel état d'avisement nous nous voyons réduits!* A. — *Arma quid ultra?* Quid nobis profuit, quòd, etc.

160. *Juvernæ.*] Hiberniæ, quæ Romanis parum nota erat ante Agricolaë tempora.

161. *Orcadas.*] Septentrionalis Oceani insulæ supra Scotiam sitæ, numero XXX, quas Claudius romano adjecisse fertur Imperio. — *Modo.* Paulo ante. De longinquiori autem tempore *modo* accipi debet. — *Ac minima contentos nocte Britannos?* Confer Plin. II, Cæs. bel. gall. V, 10, et Tac. vit. Agric.

162. *Si quæ populi, etc.*] Si nos Romani, iis vitiis victisumus, quæ ignorant barbari quos vicimus.

163. *Et tamen unus.*] Uno tamen exemplo ostendit externos etiam honestissimos contagio corrumpi.

V. 158. *Sulphura.* Sic optimi codd. et antiquissimi. Tres habent *sulphura*; quidam *sulfura*. Sed rectius scribitur *sulphura*: nam, in principio, dicebatur *sulphur*, ut *tropæus*, *triumpus*, etc. Quibus vocibus, convicio aurium flagitante, aspirationem datam esse docet Cicer. Orator. cap. 48.

V. 159. *Arma quid ultra, etc.?* Hanc lectionem revocavi ex omnibus fere nostris codd. et edd. priscis. Alii, sed recentiores, habent: *Arma quidem ultra*. Vividior et exquisitior nostra lectio; ut sit sub forma interrogationis, quæ interciso sermone apprime consentit.

Armenius Zalates cunctis narratur ephēbis  
 Mollior ardenti sese indulsisse Tribuno. 165  
 Aspice quid faciant commercia! venerat obses.  
 Hic fiunt homines: nam si mora longior Urbem  
 Indulsit pueris, non unquam deerit amator:  
 Mittentur braccæ, cultelli, frena, flagellum.  
 Sic prætextatos referunt Artaxata mores. 170

164. *Armenius Zalates.*] Zalates nomen obsidis cujusdam.—*Armenius.* Armenios poëtæ temporibus, Romanis obsides tradidisse refert Tacit. an XIII, 9 et XV.—*Cunctis.... ephēbis.* Scil. adolescentibus nostris, ab ἐφηβίω, pubesco.

165. *Mollior.*] Effeminatior.—*Sese indulsisse.* Tradidisse, exhibuisse ad fœdum obsequium.—*Ardenti.... Tribuno.* Caligula quosdam obsides dilexisse fertur, commercio mutui stupri. Vid. Suet. vit. Cal. c. 36. Unde conjicere licet, ad hoc factum allusisse poëtam; atque principem istum, hoc loco *Tribunum vocari*, quia, inter titulos suos, nomen *Tribuni plebis* Imperatores a D. Augusto semper sumpserant. A.

166. *Quid faciant commercia.*] Quàm periculosum sit cum malis commercium, ostendit illud verissimum a D. Paulo citatum: Φθείρουσιν ἤθη γρησ' ὀμιλίας κακαί.—*Venerat obses.* Vid. ad vers. præcedentem.

167. *Hic fiunt homines.*] Ironice; scil. veniunt ad nos viri fortes, redeunt mulieribus molliores.—*Fiunt.* Cùm primum quis rem habuit cum aliqua, dicitur *vir fieri*. Sic Mart. lib. IX, epig. 57. Dum puer es redeas. . . . et te

Non Libye faciat, sed tua Roma virum.

—*Nam, si mora longior Urbem indulsit.* Si diutius commorati fuerint Romæ. Vel potius, si longior mora, eis Romæ luxuriam gratiorem reddiderit. A.

168. *Non unquam deerit amator.*] Vel cinædus, qui eos corrumpat.

169. *Mittentur braccæ.*] Exuent cum patriis vestimentis, armis, cultellis, etc. Mores etiam patrios simplices et honestos.—*Braccæ.* Feminalia laxa, femoralia, ἀνζυρίδες, non modo apud Gallos Narbonenses in usu erant; sed et apud Dacos, Getas, aliosque Ponti et Orientis populos. D. Hyeron. ad Fabiolam *braccas ait, fuisse ab umbilico ad genua usque porrectas, quibus verenda celantur.*—*Cultelli, frena, flagellum.* Quibus utebantur in exercitatione venationis, aut equorum.

170. *Prætextatos.*] Mores impudicos: nam, *verba prætextata* aliquando in malam partem accipiuntur: unde Suet. in vit. Vesp. *Erat enim dicacitatis plurimæ, et sic scurrilis ac sordidæ, ut ne prætextatis quidem verbis abstineret.*—*Artaxata.* Urbs caput Armeniæ majoris, ad Araxem flumen sita.

---

# SATIRAE TERTIAE

## ARGUMENTUM.

EFFUGIT UMBRICIUS DIVERSA PERICULA VITANS.

Venustissimâ illâ satirâ, Juvenalis Urbis incommoda et pericula descripturus, Umbricium quemdam haruspicem, virum probum, sed pauperem, sibi que amicum fingit sui discessûs causas enumerantem, quas ita ordine repetit. Primò contemptum objicit, quo frugi homines in hac urbe versentur, et honorem præcipuum pessimis redditum, qui, prævis artibus apud omnes, etiam apud principes, auctoritate et gratia pollent, ad summos honores obrepunt, divitiasque maximas absorbent (21—40); solos astrologos filio in annos patris inquirenti funus ejus optatum promittentes, scelerumque secretorum præpotentium conscios donis ac præmiis onerari (41—47); urbem græcam se non ferre, id est, in qua Græci omnia possunt, Romani nihil, in quam confluunt non solum Græci, sed et Syri, Phœnices, aliique, quos tractus omnis Asiæ minoris maritimus nutrit, atque inde quoque anno mittit, homines alioquin molles, libidinosi, adulationis, omniumque artium peritissimi, qui in divitum familiaritatem sese insinuant,

Viscera magnarum domuum dominique futuri,  
et quorum ne philosophi quidem dubitant falsis testimoniis alios, ipsosque amicos ac discipulos circumvenire (58—125); pauperibus nihil conducere quòd patronis suis officia præsent, quòdque tota nocte togati currant, ad eos salutandos, cum eadem Prætores et Tribuni hæredipetæ melius faciant, et sportulam, quâ vitam sustentare inopes possent, ipsis præripere non erubescant (126—130); libertinos ingenuis ditiores et honoratiores esse (131—136); ne homini quidem religiosissimo, nisi locuples sit, fidem haberi (137—146); tenues loco ac sede



## 58 . SATIRAE TERTIAE ARGUMENT.

honestiore amoveri, non in consilio Prætoribus adhiberi, nec iisdem potentioris filiam ducendi in matrimonium facultatem dari (147—170); ambitiosam apud omnes paupertatem esse, luxum intolerabilem, neque, pro re ac fortuna, pretiosissimas vestes sumi, cùm, in cœteris Italiæ oppidis, antiquam et avitam simplicitatem plerique sectentur (171—183). Inde, ex molestiis ab hominibus pêtitis, ad incommoda ex rebus ipsis accersita transit: scilicet, assiduas ædificiorum ruinas commemorat, incendia frequentia (184—222), tenebrosas ædes, et magno pretio conductas, morbos a strepitu perpetuo curruum, opificum, instrumentorum, quo habitantium somnus rumpitur (232—238), angustias viarum, populi affluentiam, quâ inopes concutiuntur atque conculcantur, casus saxorum, arborumve plaustris impositorum, quibus obtriti cadunt cives (239—267), pericula a lapsu testarum ex altis cœnaculis dejectarum (268—277), juventutis petulantiam et lasciviam, quæ temulenta obvios quosque cædit, ac repugnantes in jus etiam vocat (278—301), grassatorum, latronumque demum multitudinem, ex multis Italiæ locis, ut feræ et aves ad vivaria, currentium, quorum audaciam ad coércendam vix vincula et catenæ sufficiant (302—314). His omnibus supra memoratis causis, Umbricius amicum suum valere jubet; eique se, quoties Aquinum patriam suam venerit, si non pudet talis auxilii, in satiris scribendis adiutorem fore promittit. Hujus satiræ stylus acutus, gravis et numerosus, hominique, propter sui sæculi vitia meritò indignanti, mire conveniens. Illud argumentum imitati sunt apud recentiores *Math. Regnier*, sat. III. *Nic. Boileau*, sat. I et VI, et *Smollet*, in libello cui titulus: *A satirical description of London and Bath, in the expedition of Humphry Clinker by the author of Roderic Random. Lond. 1771*. Horum imitationes cum nostro conferre ne pigeat lector.

---

---

## SATIRA III.

### URBIS INCOMMODA.

QUAMVIS digressu veteris confusus amici,  
Laudo tamen, vacuis quòd sedem figere Cumis  
Destinet, atque unum civem donare Sibyllæ.  
Janua Baiarum est, et gratum littus amœni  
Secessûs. Ego vel Prochyta præpono Suburræ. 5  
Nam, quid tam miserum, tam solum vidimus, ut non  
Deterius credas horrere incendia, lapsus

1. *Confusus.*] Tristis, perturbatus sum. — *Amici.* Umbricii scilicet de quo vid. infra, v. 21.

2. *Vacuis... Cumis.*] Infrequentibus, et quietis, præ urbe Roma frequentissima et turbulenta. — *Cumis.* Italiae civitate antiquissima, quam Hippocles et Megisthenes condidisse perhibentur, non procul a Puteolis, in Campania, cæterum Sibyllæ antro, et sacello inclytam.

3. *Atque unum civem donare Sibyllæ.*] Quia Cumis fanum erat, seu *μυστήριον* Sibyllæ celeberrimæ, quæ ideo dicebatur Cumæa. De qua vid. Virg. lib. VI, v. 1 et seqq.

4. *Janua Baiarum.*] Cumæ janua Baiarum, quia euntibus Baias necesse erat per Cumas iter facere. — *Baias* autem, æstivo potissimum tempore, se conferebant nobiles Romani, tam voluptatis causâ, quam valetudinis firmandæ aquis calidis ibi notissimis. Horat. lib. I, epist. 1 :

Nullus in orbe sinus Baiis præluet amœnis.

— *Gratum littus.* Amœna pariter sunt omnia Campaniæ littora, teste Melâ.

5. *Prochyta præpono Suburræ.*] Prochyta, hodie *Proeyta*, insula in sinu Cumano seu Baiano. Eam *asperam* vocat Stat. Sylv. II, 2, 76. — *Suburræ.* Regio seu vicus Romæ frequentissimus, qui a foro, per forum Nervæ, ad Aesquiliam montem protendebatur. Hodie, *la Suburra*. Mart. lib. XII, epigr. 18 :

- Dum tu forsitan inquietus erras

- Clamosa Juvenalis in Suburra.

Ibi fures et scorta habitare, et cibaria aliæque res vendi solebant.

6. *Tam solum, etc.*] Tam desertum, solitarium (subaudi antrum), ut non id Romæ præferas, vel ibi malis esse quam Romæ, ubi, *assidue*, varia pericula *horreas*, metuas necesse est, propter incendia, etc.

7. *Horrere incendia.*] Nerone Imperante, centum et triginta domus et duæ, insulæ quatuor, sex diebus, ut scribit Seneca arsere. — *Lapsus tectorum assiduos.* Frequent-

Tectorum assiduos, ac mille pericula sævæ  
 Urbis, et Augusto recitantes mense poëtas?  
 Sed dum tota domus rhedâ componitur unâ, 10  
 Substitit ad veteres arcus, madidamque Capenam;  
 Hic, ubi nocturnæ Numa constituebat amicæ.  
 Nunc sacri fontis nemus, et delubra locantur

tissima Romæ incendia et ruinas ædificiorum fuisse certum est; atque rei utriusque causam nos docet Seneca pater, Controv. IX, 2: *Tanta, inquit, altitudo ædificiorum est, tantæ viarum angustiae, ut neque adversus ignem præsidium, neque a ruinis ullum in ullam partem effugium sit.*

8. *Sævæ Urbis.*] In qua periculosa, et infesta grassatoribus, et improbis sunt passim omnia.

9. *Et Augusto recitantes, etc.*] Id est, in maximo Solis aestu, ubi cæteris negotiis vacant. Hoc ironice, et lepide, tanquam omnium incommodorum cumulum, ultimo loco posuit. Vid. sup. sat. I, v. 2, et Persii sat. I, v. 17.

10. *Tota domus.*] Umbricii familia et supellex.—*Rhedâ componitur unâ.* His notantur et Umbricii frugalitas, et supellectilis tenuitas.—*Rheda.* Gallicum nomen est; genus vehiculi, quod quoque *carrum* dicitur Porphyrio. Gall. *un chariot.*

11. *Substitit.*] Quippe pedibus ante iverat; et *substitit*, moratus est, exspectans currum; et, forte desiderio Urbis ultimum videntæ.—*Veteres arcus.* Vel triumphales Romuli, vel tergeminarum Horatorum, vel potius arcus aquæductuum qui illic erant.—

*Madidamque Capenam.* Propter fontes et aquæductus qui in propinquo illius portæ sunt, ea dicitur *madida.* Mart. lib. III, epig. 47: Capenæ grandi porta, quâ pluit gutta. *Capena porta, per quam Capuam itur, ad viam Appiam. Hodie, porta di S. Sebastiano.*

12. *Nocturnæ.... amicæ.*] Lucus erat, in valle Aricina, quem medium *fontis* perenni rigabat aquâ, et ubi Numa simulabat sibi cum Dea Egeria congressus nocturnos esse (religionis causâ); unde, hoc loco, *nocturnæ constituebat amicæ*: scil. horam tempusque congressus concubitibusque. Haud dubie enim, his verbis, significat poëta Egeriam, non Deam, aut Nympham, aut Musam, sed amicam, hoc est, pellicem Numæ fuisse, quod etiam illis temporibus jam fama vulgaverat. Al. Rup.

13. *Nunc sacri fontis, etc.*] Numa Pompilius Rom. rex secundus, lucum præterea campumque, quem fons irrigabat, Musis sacraverat, et teste Plut. in<sup>o</sup> vita ejus, ὕδωρ ἱερὸν ἀπέδειξε ταῖς Ἑστῖαι παρθέναις, ὅπως λαμβάνουσαι καὶ ἡμέραν ἀγνίζωσι, καὶ φαίνωσι τὸ ἀνάκταρον. — *Delubra locantur.* Arguit obiter Romanorum, et imprimis Cæsarum avaritiam, qui ne delubris quidem, et locis sa-

Judæis, quorum cophinus, fœnumque supellex.

Omnis enim populo mercedem pendere jussa est 15

Arbor, et ejectis mendicat silva Camenis.

In vallem Egeriæ descendimus, et speluncas

Dissimiles veris. Quanto præstantius esset

cris pepercerant, eaque, ut hoc loco, delubrum Musis sacrum, Judæis locabant, ad faciendum lucrum; unde quotannis *mercedem*, tributum isti fisco penderent. — *Delubra*. Interest inter templa et delubra, quod templa singulorum sint Deorum, ut Jovis, Martis, Apollinis; *delubra* vero multarum ædium sacrarum sub uno tecto.

14. *Judæis*.] Vel forsitan Christianis: nam, ii edicto Domitiani Imp. Urbe pulsus, silvas illas habitare cogebantur: primis enim temporibus apud auctores, Christiani pro Judæis promiscue habentur. — *Quorum cophinus*, *κόφινος*, canistrum, corbis, vas vimineum quod itinera facientes per gentiliam terras secum ferebant, ad cibos suos et quisquilias continendos. — *Fœnumque supellex*. Quo jumenta sua alebant; vel potius, quo utebantur pro cubili. Hæc pauperiem Judæorum indicant.

15. *Omnis enim populo*, etc.] Tanta est avaritia populi nunc, ut, ei omnis arbor, quâ isti utuntur, *mercedem* pendere cogatur,

id est, Judæi pendunt *mercedem*, pretium locationis, pro quaque arbore.

16. *Et ejectis mendicat*, etc.] Turpem efflagitat stipem a Judæis. Alii sic. Quidam contra melius, per metonymiam: Judæi in silva degentes mendicant, *ejectis Camenis*. — *Ejectis*. *Δεινῶς*, de Camenis, quibus ante sacer lucus erat, qui nunc Judæis locatur.

17. *In vallem Egeriæ descendimus*.] Umbricius et ego in vallem, etc. — *Egeriæ*. Nymphæ satis notæ, de qua Ovid. fast. III: Egeria est quæ præbet aquas, Dea grata Camenis:

Illa Numæ conjux, consiliumque fuit.

18. *Dissimiles veris*.] Naturalibus, simplicibus, ut mox, *ingenuum tofum*. — *Quanto præstantius esset*. Quanto propitium magis esset numen, si in natura sua mansisset, et non marmore incrustatum esset; ut ostendat, Deos rebus humanis non capi, sed bona sinceraque hominis voluntate gaudere; unde Seneca ait ad Lucil. *Cogita Deos, cum propitii essent, fictiles fuisse*.

V. 18. *Præstantius*. Emendat Heinsius ad Ovid. met. XIII, v. 757; et ante eum Grangæus, *Præsentius*: sed sine auctoritate: nam, omnes nostri codd. habent *Præstantius*, quod præterea eundem fere sensum præbet. Vid. sup. comment.

Numen aquæ, viridi si margine clauderet undas  
 Herba, nec ingenuum violarent marmora tofum? 20  
 Hic tunc Umbricius : Quando artibus, inquit, honestis  
 Nullus in Urbe locus, nulla emolumenta laborum,  
 Res hodie minor est, here quàm fuit, atque eadem cras  
 Deteret exiguis aliquid : proponimus illuc  
 Ire, fatigatas ubi Dædalus exuit alas, 25  
 Dum nova canities, dum prima, et recta senectus,  
 Dum superest Lachesi, quod torqueat, et pedibus me  
 Porto meis, nullo dextram subeunte bacillo.

19. *Numen aquæ.*] Omnis enim fons numen habere proprium credebatur. — *Viridi.* Gramineo margine ut olim; non, ut nunc, marmoreo.

20. *Ingenuum.... Tofum.*] Naturalem. — *Marmora.* Subaudi, arte posita. — *Violarent.* Dedecorarent. — *Tofum.* Est lapis impolitus et erosus, qui fere in iis locis unde fontes scatent, cernitur. Gall. *tuf.*

21. *Quando artibus, inquit, honestis, etc.*] Satiricus noster *Boileau*, sat. I, v. 21 :

Puisqu'en ces lieux jadis aux Muses si commode

Le mérite et l'esprit ne sont plus à la mode,

Qu'un poëte, dit-il, s'y voit maudit de Dieu,

Et qu'ici la vertu n'a plus ni feu ni lieu;  
 Allons du moins chercher, etc.

Vid. seqq.

23. *Res hodie minor, etc.*] Res mea familiaris, ut et proborum

virorum hodie minor est, quàm fuit here. — Here. Ἀρχαϊκῶς, et metri causâ, pro heri. — *Atque eadem cras.* Gradatio. Hodie minor quàm heri, cras pejor.

24. *Deteret.*] Minuet, imminuet. Act. pro pass. nam, res familiaris proprie deteritur, minuitur. — *Proponimus illuc ire, etc.* Illuc, scil. *Cumas.*

25. *Dædalus.*] Vid. sup. sat. I, v. 54.

26. *Dum nova canities.*] Nova canities ejus est, cui capillus canescere incipit. *Horat. lib. I, od. 9:*

Donec virenti canities abest  
 Morosa. . . . .

27. *Dum superest, etc.*] Quandiu mihi aliquid vitæ superest. — *Lachesi.* Uni e *Parcis.* *Parcæ* autem, satis notæ, de quibus ille versus : *Clotho fert fusum, Lachesis rotat, Atropos occat.*

*Lachesis* a λαγχάνω, sortior.

V. 19. *Clauderet.* Quidam codd. habent *cluderet*, ἀρχαϊκῶς. Alii vero multo plures, *clauderet.*

Cedamus patriâ : vivant Arturius istic 29  
 Et Catulus : maneant , qui nigrum in candida vertunt ,  
 Queis facile est ædem conducere , flumina , portus ,  
 Siccandam eluviem , portandum ad busta cadaver ,  
 Et præbere caput domina venale sub hasta .

29. *Arturius... et Catulus.* ] Vet. schol. • Ignobiles et sordidi , ac • malis artibus viventes homines , • qui ex sordidis rebus divites • sunt facti. • Gall. *intrigants, agio- teurs.* Boileau , loco præcit.

Que George vive ici , puisque George y sait vivre.

30. *Qui nigrum , etc.* ] Qui virtutem in vitium , vitium in virtutem vertunt , de quibus Ovid. *Metam.* XI , 313 :

Qui facere assuerat patriæ non degener artis ,  
 Candida de nigris , et de candentibus atra.

Vid. ad *Pers.* II , v. 1 , et V , 108.

31. *Conducere.* ] Hoc loco , idem ac redimere , cui opponitur *locare*. Romæ , non modo pleraque , quæ publico , sed et privato sumptu perficiebantur , locari a Censoribus Aedilibusque solebant et redimi ab iis , qui ea curanda suscipiebant ; quique , ideo , redemptores , conductores , mancipes (*entrepreneurs*) vocabantur. Non igitur , hic sermo est de publicanis , ut volunt Alex. Rup. aliique permulti , hominibus ditissimis , et plerumque equitibus , qui publica vectigalia , scripturam , decimas , et portorium redimebant ; unde scripturarii , de-

cumani , pecuarii (*fermiers généraux*) dicebantur ; sed de conductoribus , sive redemptoribus ædificiorum publicorum , vel privatorum struendorum , aut reficiendorum ; uno verbo , omnium operum conducendorum (*des entreprises au rabais*). Sic , *ædem conducere* , ad exstruendam , vel reparandam. — *Flumen*. Alveos fluminum purgandos. — *Portus*. Faciendos , vel reficiendos. — *Siccandam eluviem* , cloacæ , vel lacunæ sordes expurgandas. — *Portandum ad busta cadaver*. Cadavera vel transferenda in alium locum , quàm ubi obierant , vel portanda ad rogam cremanda , aut sepelienda , et jus , quæ ad sumptum exsequiarum erant necessaria vendendi , quod fiebat in templo Libitinæ , unde *Libitinarii* , *designatores* , isti redemptores funerum dicti. — *Et præbere caput venale sub hasta*. Et mangonium exercere , id est , commercium de servis vendendis , aut emendis. Quæ quidem explicatio plana jam et facilis intellectu , lucidior etiam efficietur versu 38 , *conducunt foricas*. A.

32. *Ad busta.* ] *Bustum* , quasi bene ustum , locus in quo mortuus combustus et sepultus est.

33. *Sub hasta.* ] In eo loco ubi

Quondam hi cornicines, et municipalis arenæ  
 Perpetui comites, notæque per oppida buccæ, 35  
 Munera nunc edunt, et verso pollice vulgi

fiabat auctio, defigebatur lumi hasta, ut prætereuntes admone- ret. Hanc autem vocat dominam, quia dominis servos addicebat auctio.

34. *Quondam hi cornicines.*] Artur- ius et Catulus fuerant *sympho- niaci parasitorum*, hoc est, mimo- rum et histrionum, quibus mer- cenariam, et servilem in mu- sica operam suam locabant. Ita de istis cornicinibus non male dis- serit Hennin. Spicileg. ad sat. III Juven. « Scholia veterum *sympho- niacos parasitorum* intelligunt. « *Symphoniaci* qui sint, vulgo jam « constat; nimirum, qui musico « concentu audientium aures per- « mulcerent, seu in conviviiis, seu « ludis, seu sacris. *Parasitos*, hic « intelligo mimos, et histriones, « inductus inscriptione antiqua : « (Gruter. Thesaur. p. cccxxx. 3.)

M. AVRELIO. AVG. LIB.

ACILIO. SEPTENTRIO

NI. PANTOMIMO. SVI.

TEMPORIS. PRIMO SACERDO

TI. SYNHODI. APOLLINIS. PA

RASITO, etc.

Item aliâ :

L. ACILIO. L. FILIO. POMCVTIGLAE.

NOBILI. ARCHIMINO. COMMVNI.

MVNERE. ABLECTO. DIVRNO.

PARASITO. APOLLINIS.

TRAGICO. COMICO. »

— *Municipalis arenæ perpetui comi- tes.* Operam suam locaverant gla- diatoribus per Italiam cursanti- bus. In Municipiis autem, id est, in urbibus suo jure gaudentibus suisque legibus viventibus, circi quoque, et theatra erant, sed mi- nora quàm Romæ, quod Arturium Catulumque etiam deprimit.

35. *Notæque per oppida buccæ.*] Et soliti erant per Italiam vagari, et *buccas* inflare, id est, tubâ ca- nere in ludis et certaminibus gla- diatoriis, vel potius erant *phonasci* (comites) citharædorum, et eos poëta *buccas* vocat, a contentione cantandi cum magistris eadem symphonia. De *phonascis* citha- rædorum, vid. inscript. sacram Septimio citharædo, ejusque *pho- nasco* C. Aelio Agathemero Pe- riodonicis, in Marm. Arundel. n. III.—Quidam per *buccas* intel- ligunt præcones, quorum usus multiplex in Rep. Rom. Alii vo- lunt oratores et causidicos viles et plebeios parvarum urbium; ut infra, sat. XI, v. 34, *Curtius et Matho buccæ*. Sed hæc minus ad rem opiniones. — *Notæ.* Quia erant *περικδεύται*. A.

36. *Munera nunc edunt.*] Ipsi ad opes et dignitates proveci, nunc edunt munera gladiatoria. Neque enim, citra census, adeoque per-

V. 36. *Vulgi.* Sic XXX ex nostris codd. et Rupertianis: præterea, omnes fere editt. prisæ. At, Vet. Schol. et ex nostris codd. VII optimi et anti- quissimi, scil. cod. Alexandrianus, n° 2029; Mazarineus, n° 3110; a prima

Quemlibet occidunt populariter : inde reversi  
 Conducunt foricas. Et cur non omnia ? Cùm sint  
 Quales ex humili magna ad fastigia rerum  
 Extollit, quoties voluit Fortuna joculari ?

40

sonæ rationem, datum est jus edendi publice munera. Extat ap. Tacit. Ann. lib. IV. senatus-consultum, quo cautum est, ne quis gladiatorium munus ederet, cui minor quadringentorum millium res esset. — *Et verso pollice.* Populus, si victo servari vitam vellet, id *presso* pollice indicabat; sin contra, *verso* pollice, seu *converso*. Horat. lib. I, epist. 8 :

Fautor utroque tuum laudabit pollice ludum.

Et Prudent. contra Symmach.

Et quoties victor ferrum jugulo inserit, illa

Delicias ait esse suas, pectusque jacentis Virgo modesta jubet converso pollice rumpi.

37. *Quemlibet occidunt populariter.* ] Quemlibet plebs occidi vult, ipsi *occidunt*; id est, occidi patiuntur, et jubent. — *Populariter.* Ad populi captandum favorem, cujus gratiâ munera edunt. *Vox populariter* proprie spectat ad muneris editionem; sed, hoc loco, invidiose ad effectum ejus, cædes scil. hominum transfertur.

38. *Conducunt foricas.* ] Latrinas

purgandas; nihil vile ac sordidum respuentes, dummodo lucrum inde proveniat. Longe aliter hunc locum interpretatur Alex. Rup. « *Inde*, inquit, a muneribus, et « amphitheatro reversi, id est, « immensis spectaculorum sump- « tibus exhausti, et ad inopiam « redacti; non amplius majora « ædificia conducunt, sed sordida « et minora, ut latrinas publi- « cas, etc. » Quàm parum ad hunc locum apta sit illa Al. Rup. interpretatio sequentibus declaratur; *et cur non omnia?* Id est, eo sordidi et viles, et avidi lucri istiusmodi homines, ut, reversi a spectaculis, et certaminibus cum magno apparatu ac sumptu a se editis, de latrinis etiam curandis, cum Aedilibus tractare non erubescant. Conduxerunt ædificia, flumina, portus, etc. *Conducunt etiam foricas*: et cur non omnia conducerent; cùm sint, etc?... A.

40. *Extollit.* ] Alludit ad Fortunæ rotam, inconstantiam ac ludibria. — *Quoties voluit... joculari.* Dum eos jocum et ludos facit, ut ait Plautus. Salesberiensis lib. III, cap. 8:

manu, Puteanus, n° 7900; Fauchetii, n° 8070; Thuanus alter et Colbertinus, etc. habent *vulgus*. Ita sensus erit: et verso pollice, *quemlibet vulgus*, id est, omnes gladiatores sine discrimine occidunt populariter. « Sed, inquit Al. Rup. hæc ratio dura est; nam, nec munerarius, sed « populus, pollice verso, occidit, vel occidi jubet gladiatores. » Ideo quoque vulgatam servavimus lectionem.



Quid Romæ faciam? mentiri nescio : librum,  
 Si malus est, nequeo laudare, et poscere : motus  
 Astrorum ignoro : funus promittere patris  
 Nec volo, nec possum : ranarum viscera nunquam  
 Inspexi. Ferre ad nuptam, quæ mittit adulter, 45  
 Quæ mandat, norint alii : me nemo ministro  
 Fur erit; atque ideo nulli comes exeo, tanquam  
 Mancus, et extinctæ corpus non utile dextræ.  
 Quis nunc diligitur, nisi conscius, et cui fervens

*Porro, actibus fortunæ deserviunt, dum in eis fortunæ jocantis ludus impletur. Quid enim aliud est, cum novum quemlibet, et ignotum induit potentatu, et in regni fastigium erigit?*

41. *Quid Romæ faciam?*] Boileau sat. I :

Mais moi, vivre à Paris! Eh, qu'y voudrais-je faire?  
 Je ne sais ni tromper, ni feindre, ni mentir :  
 Et quand je le pourrais, je n'y puis consentir.

42. *Et poscere.*] Ad legendum, aut transcribendum. Ea enim erat ratio librorum edendorum in lucem, ante typographiam inventam, ut primum recitarentur amicis, et deinde ab eis describerentur.

43. *Astrorum motus ignoro.*] Ignoro astrologiam, mathesin, quæ hodie in tanto sunt apud feminas et ignaros honore. — *Funus promittere patris.* Improbo cuiquam filio ante diem, patrios in annos inquirenti. — *Promittere.* Proprie de sortilegis, qui omnia promit-

tunt, nihil præstant. Sic et *spondere*, infra sat. VI, 565, et al.

44. *Ranarum viscera nunquam.*] Licet ipse haruspex animalium viscera consulere assuevi; haud tamen unquam ranarum, rubetarumve viscera inspexi, ut venenum ex iis pararem; non sum veneficus. Plin. inquit: *Ex ranæ rubetæ visceribus, id est linguâ, ossiculo, liene, corde, mira fieri posse constat; sunt enim plurimis medicaminibus referta.*

45. *Ferre ad nuptam.*] Scil. exercere *lenocinia nequeo*, rudis officii ejus, quem Galli vocant, un *Mercurus*. — *Quæ mittit adulter.* Litteras et dona.

46. *Quæ mandat.*] Nuptæ dicenda, occulta consilia, etc.

47. *Nulli comes exeo.*] Nemo se mihi comitem sociumque jungit.

48. *Mancus et extinctæ, etc.*] Quasi membrum inutile societati. — *Extinctæ... dextræ.* Pro dextra extincta, et non utili corpori.

49. *Consciis.*] Secretorum alterius scelerum.

V. 48. *Extinctæ dextræ.* Ita omnes nostri codd. et editt. prisc. Melius fortasse foret *extinctâ... dextrâ*: sed hæc lectio nullis firmatur auctoritatibus.

Aestuat occultis animus, semperque tacendis? 50  
 Nil tibi se debere putat, nil conferet unquam,  
 Participem qui te secreti fecit honesti.  
 Carus erit Verri, qui Verrem, tempore quo vult,  
 Accusare potest. Tanti tibi non sit opaci  
 Omnis arena Tagi, quodque in mare volvitur aurum, 55  
 Ut somno careas, ponendaque præmia sumas  
 Tristis, et a magno semper timearis amico.  
 Quæ nunc divitibus gens acceptissima nostris,  
 Et quos præcipue fugiam, properabo fateri,  
 Nec pudor obstabit. Non possum ferre, Quirites, 60

50. *Aestuat occultis animus, etc.*] Is solus nunc diligitur, cui arcana scelera commissa sunt, et cujus mens agitur, torquetur occulto metu, et anxia hæsitazione, quia dubius est, taceatne secreta consilia pessima, an proferat. — *Semperque tacendis.* Flagitii, quæ nunquam divulganda, quæque omni tempore probro ac dedecori sunt.

51. *Nil tibi se debere putat, etc.*] Qui tibi honesta, non scelera revelavit, is tibi nihil se debere cogitabit, nec dona ulla tribuet, ut taceas. At, qui te sceleris sui conscius elegit, ille timebit ne detegas, etc.

53. *Verri.*] Scelerato homini, qualis fuit Verres. Vid. sup. II, v. 26.

54. *Tanti tibi non sit opaci, etc.*] Sensus est: tu vero sapiens, ne ullâ spe lucri, alterius arcana scrutaberis, quorum et tu conscius æstues, propter quæ timeas perpetuo, ne vel ab aliis divulgentur, et ipse quoque supplicium solvas, vel adeo ab amico, qui conscius

timet, occidaris. Optime igitur Ly-simacho, Philippides: Πάντων ἀπερρώτων.

55. *Arena Tagi.*] Tagus, hodie *Taio*, *le Tage*, fluvius Hispaniæ χρυσασφόρας, qui in mare Atlanticum influit, adeoque aurum volvit; et in quo, etiam nunc, aurei globuli aliorumque metallorum partes reperiuntur: unde, hoc loco, *arena Tagi*, pro multa magna pecuniæ summa. — *Opaci.* Umbrâ arborum obscuri.

56. *Ut somno careas.*] Propter metum et anxietatem. — *Ponendaque præmia sumas.* Quæ certe, serius ocusve, cum vita relinquere cogaris. Alii, aliter: præmia rejicienda, spernenda, recusanda.

57. *Tristis.*] Idem ac sollicitus: nam, sollicitudo tristitiam parit. — *Et a magno timearis amico.* Senatore et præpotente, qui scelerum suorum participem te fecit, ideoque timet te.

60. *Quirites.*] A verbo Sabino *quiris*, quod hastam significat, ita appellati sunt Romani, quasi bel-

Græcam urbem : quamvis quota portio fæcis Achææ ?  
 Jam pridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes ,  
 Et linguam , et mores , et cum tibicine chordas  
 Obliquas , nec non gentilia tympana secum

latores et hastati. — *Quirites*. Oponitur satirice his, *græcam urbem*.

61. *Græcam urbem*.] Romam vitiis, moribus effeminatis, et luxuriâ Græcorum pollutam. — *Quamvis quota portio fæcis Achææ*. Et tamen, quàm parva est portio *fæcis Achææ*, præ aliis Orientis gentibus, quæ jam pridem Romam affluunt! Quasi diceret: Græci non soli Romam advolant, eamque turpitudinibus omnis generis adimplent; sed et Syri, Aegyptii, etc. — *Fæcis Achææ*. Pro, Græcorum vilissimorum, turpissimorum hominum.

62. *Syrus in Tiberim*.] Præclare, pro, Syri, Orontem fluvium Syriæ accolentes, cum suis vitiis Romam ad Tiberim sitam venere.

63. *Et cum tibicine chordas obliquas*.] Mores curvos simul cum incurvis instrumentis, cithara, lyra, tibia, aliisque secum attulere. Per hæc, voluit designari, inquit Vossius obs. ad Catull. p. m. 166 et 167, obliquam tibiam *πλαγιάυλον*, quæ, si eam inflent tibicines, efficiat, ut ipsis quoque obliquum sit caput: eâ fretus scil. opinione *chordas*, seu *fides*, non de cithara semper, aut lyra, aliisque *ἑγχόρδοις*, sed de tibiis quoque; viceque versa, citharas accipi aliquan-

do pro tibiis, et *αὐλισμόν*, pro *κιθαρωδίᾳ* ap. Lucret. IV, 587; Platonem et alios. Cui contradicit Spanhem. ad Callim. H. in Del. v. 253, in erudita dissertatione, quâ demonstrat omnia fere instrumenta musica *ἑγχόρδα*, vel *ἐντατά*, fuisse peregrina, ex illo tractu Syriæ nempe, ac Phœniciæ, unde nomina eis barbara indita: *nabla*, *barbitos*, *psalterium*, *Sambuca*, *cithara*, *קנת*, et addit: « Sambucum vero trigonale fuit, « et cum inæqualibus nervis, seu « chordis; obliqua etiam ipsa ly- « ræ, seu citharæ, aliorumque id « genus *ἑγχόρδων* instrumentorum « latera et cornua *πηγεῖα*, *κέρα- « τὰ*, etc. » Unde colligit, eo loco, cum *tibicine chordas obliquas*, non tibias, sed *sambuca*, vel lyras vel alia hujus generis instrumenta a Syris Phœnicisque musicis inventa notari. A.

64. *Gentilia tympana*.] Tympanum, *τύμπανον*, lignum excavatum, corioque obductum, quod manibus, a virginibus plerumque pulsabatur, et nonnunquam, in laterum incisuris, hinc, illinc, crepitacula ænea habebat, quæ in axiculo inter se collisa, tinnitu suo suaviter temperabant com-

V. 61. *Achææ*. Duo ex nostris codd. Quatuor ex Al. Rup. *Achæi* quod ille probabat, ex Schradero et aliis.

V. 62. *Syrus in Tiberim*. Male IX. mss. *in Tiberim Syrus*: nam, metrum laborat.

Vexit, et ad Circum jussas prostare puellas. 65

Ite, quibus grata est pictâ lupa barbara mitrâ.

Rusticus ille tuus sumit rechedipna, Quirine,

plosæ membranæ boatum. Quod instrumentum in Oriente olim frequentissimum, potissimum in sacris Cybeles et Bacchi, et inde in Hispaniam translatum, in festis diebus, nec in bellis ac præliis adhibitum, non ad hoc respondet quod Galli vocant, *tambour*, seu *tambourin*; sed formâ, parum distat ab eo, quod iidem dicunt, *tambour de basque*. A.

65. *Et ad Circum jussas prostare puellas.*] Intelligit meretrices submœnianas, ad Mœnianum ædificium in Circo prostantes.— *Prostare* dicitur, quæ de corpore quæstum facit.

66. *Ite quibus, etc.*] Hæc cum indignatione dicta. *Ite* ad Circum, et meretrices barbaras, Syras, Phœnices, etc.— *Barbara lupa*. Syra, vel alia alienigena meretrix.— *Mitra*. Ornamentum capitis Syris, aliisque Orientis regibus usitatum, cujus forma parum distat ab eo ornatu Episcopis et Papæ proprio. Serv. ad Virg. Aeneid. IV, v. 216: *Multa lectio mitras proprie meretricum esse docet.*

67. *Rusticus ille tuus, etc.*] Populus tuus, antea rustico operi intentus, sumit nunc, ô Quirine, *rechedipna*. Magna vis est in apostrophe ad *Quirinum*, Romulum, ut sup. ad Martem, sat. II, v. 127.— *Rechedipna*. Sic omnes nostri

codd. et vett. edd. habent, præter cod. Pithoei, et Rob. Stephani, qui idem est ac Pithoei. Quin immo, codex Pithoens, etsi in contextu fert *trechedipna* (quod statim arripuerunt recentiores editores), etsi etiam, in scholiis suis, vers. 67, idem vet. schol. legit: « *Trechedipna*, vestimenta « parasitica, ut caligulas græias « (leg. graias) currentium ad cenam »; attamen, nota sequenti, ad vers. 68, idem ait: « *Niceteria*. « Vestes peregrinas victis conuenientes. Vel RECHEDIPNA est « ipse, qui cenam facit, ut sit « ordo; ô Quirine, ille tuus rusticus RECHEDIPNA sumit, et « fert niceteria collo ceromatico, « et est sensus: En tibi, ô Romule, rustici tui, in omnem dif- « fundi luxum jam didicerunt, et « palæstris frui et syllateriis: nam « niceteria syllateria sunt, quæ ob « victoriam fiebant, et de collo « pendentia gestabantur. » Ex his apparet, et codicem Pithoei olim, cum nostris omnibus, legisse RECHEDIPNA. Unde fit, ut ea lectio nostra sit sola vera et sincera: nam, quid in quinquaginta codd. consensu universo contra reponendum? Sed quid sibi velit illa vox *rechedipna*, et unde veniat? Ego vero me nescire ingenue fateor; et illud fateri multo satius

V. 67. *Rechedipna*. Cur hanc lectionem primus, consentientibus codd. revocaverim, vid. sup. comment.

Et ceromatico fert niceteria collo.

Hic alta Sicyone, ast hic Amydone relictæ,

Hic Andro, ille Samo, hic Trallibus, aut Alabandis, 70

Esquillas, dictumque petunt a vimine collem,

Viscera magnarum domuum, dominique futuri.

judico, quàm, mutata sine ulla auctoritate, Juvenalis lectione, lectorem in errorem inducere. Ex illis, quæ de vet. schol. retulimus, et ex his quæ idem ad vers. 67 dixit: « Ecce in quantum Romani rustici didicerunt luxuriam, et *palæstris* uti, et *fracteriis*, ut « *athletæ* ad vincendum »; ex aliis præterea vett. gloss. quibus assentiuntur Britannic. Calderin. et Turneb. Advers. III, cap. 17, colligere licet *rechedipna*, verbum nobis incognitum significare vestimentum in gymnasiis usitatum et peregrinum; ut satis aperte innuit hæc vox *niceteria*, v. seq. ornamentum, quod victores in gymnasiis et ludis palæstricis collo ferebant, in signum victoriæ. Ita ordo et sensus: ô Romule! Romanus ille tuus antea rusticus, nunc sumit *rechedipna*, vestimenta palæstrica, et fert collo *niceteria*, signa infamis suæ victoriæ. Porro, vile et infame apud Romanos veteres, et adhuc rusticos certamen agonicum, et gladiatorium exercitium. Alii, qui legunt *trechedipna*, interpretantur vestem cursoriam, a *τρέχω* *curro* et *δείπνον*, *cæna*, quâ cursitent ad cænam

rectam, vel ad sportulam, ut sup. sat. I, sed ea interpretatio nullâ auctoritate firmatur, nec cum versu sequenti concordat, ut satis supra declaratum est. A.

68. *Ceromatico fert niceteria collo.*] Gladiator factus fert *niceteria*, *νικητήρια*, signa victoriæ collo ceromatico, collo peruncto *ceromate*, quod ex oleo, cera, et pulvere fit.

69. *Hic alta Sicyone, etc.*] Ad Græcos redit, qui ex omnibus Græciæ aut Asiæ partibus Romam confluunt, ut et alienis pecuniis locupletentur. — *Sicyone*. Urbe Achaiæ, in Peloponeso. — *Amydone*. Civitate Pæoniæ, in Macedonia.

70. *Hic Andro, etc.*] Andro, primâ Cycladum. — *Samo*. Insulâ in mari Aegeo. — *Trallibus*. Urbe Ioniæ. — *Alabandis*. Urbe Cariæ, in Asia minori.

71. *Esquillas.*] Esquilinus mons, quinta regio Romæ, pro urbe tota. — *Dictum a Vimine collem*. Collis Viminalis, a Viminum silva, et ara Jovi Viminio ita dictus.

72. *Viscera magnarum domuum.*] Quippe qui suis artibus, in maximas familias sese insinuant, quarum veluti *viscera*, pars interior, et *domini* futuri sunt.

V. 70. *Ille Samo, hic, etc.* Hiatus apud Juvenal. frequens. Vid. sat. I, v. 151. Virgil. Aeneid. lib. I, v. 16:

Posthabitâ coluisse Samo. Hic illius arma. F. D.

Ingenium velox, audacia perdita, sermo  
 Promptus, et Isæo torrentior. Ede, quid illum  
 Esse putes? quemvis hominem secum attulit ad nos: 75  
 Grammaticus, rhetor, geometres, pictor, aliptes,  
 Augur, schænobates, medicus, magus: omnia novit.  
 Græculus esuriens in cælum, jusseris, ibit.  
 Ad summam, non Maurus erat, nec Sarmata, nec Thrax,  
 Qui sumpsit pennas, mediis sed natus Athenis. 80  
 Horum ego non fugiam conchylia! me prior ille

73. *Ingenium velox.*] Opponitur ingenio tardo. — *Audacia perdita*, ἀπόνοια in Theophr. charact. VI.

74. *Et Isæo torrentior.*] Isæus, orator græcus, Demosthenis præceptor. Item, alius Trajani temporibus, eloquentissimus, de quo vid. Plin. lib. II, epist. 3. — *Torrentior.* Concitator, uberius. Ubertas et vis ingenii et orationis passim torrenti, vel rapido amni comparantur. Homer. II. α, 249.

Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέειν αὐδῆ.

— *Ede.* Dic. — *Quid illum esse putes?* Qualem censeas istum esse Græcum?

75. *Quemvis hominem.*] Tam astutus versutusque omnis Græcus, ut nulla sit ars, quam non profiteatur. Lepidum satis epigramma poetæ gall. J. B. Rousseau sic incipit:

Chrysologue toujours opine,  
 C'est le vrai Grec de Juvénal;  
 Tout ouvrage, toute doctrine  
 Ressortit à son tribunal.

76. *Aliptes.*] Ab ἀλείφω, ungo. Unctor servus dicitur, qui domi-

num ungit, et minister balnearius, qui lavantes, postquam sudarunt in balneo, perfricat et ungit. Alii: is qui athletas in gymnasiis ungebat, quique præterea, eos in arte gymnastica instituebat; quod verisimilius est. Vid. Fabr. Agonist. II, 5. Forsan, et medicus ophthalmicus, qui lippos ungebat, et oculis illinebat collyria; quod accedit ad eos, quos Galli vocant *charlatans*, *marchands d'orviétan*. A.

77. *Schænobates.*] Ασχίνες funis, et βαίνω incedo: funambulus, gall. *danseurs de corde*.

78. *In cælum jusseris ibit.*] Præclare de iis hominibus, qui omnia se posse profitentur; imprimis, si esuriunt, si fame premuntur, quique Dædali exemplo, qui et Græcus erat, *in cælum, si jusseris, ibunt*.

80. *Qui sumpsit pennas.*] Dædalus. De quo vid. sat. I, v. 54. — *Mediis sed natus Athenis.* Ideoque Græcus.

81. *Horum ego non fugiam conchylia!*] Et non ego Roma profugiam; ubi Græculos istos video

V. 76. *Geometres.* XVI codd. habent *geometer*. Quidam *geometra*.

Signabit, fultusque toro meliore recumbet  
 Advectus Romam, quo pruna et cottana vento!  
 Usque adeo nihil est, quòd nostra infantia cœlum  
 Hausit Aventini baccâ nutrita Sabinâ?  
 Quid, quòd adulandi gens prudentissima laudat  
 Sermonem indocti, faciem deformis amici,  
 Et longum invalidi collum cervicibus æquat  
 Herculis Antæum procul a tellure tenentis;

85

conchyliatos, divites superbos, ac nobiles factos!—*Conchylia*. Vestes purpureæ conchyliorum liquore infectæ.

82. *Signabit!*] Hæc omnia summam indignationem spirant. Ego huic Græculo primatum concedam! Ille *prior me signabit* tabulas nuptiales, testamenti! etc.—*Fultusque toro meliore recumbet!* In conviviis honoratiori loco accumbet; lecto digniori, medio, et aulæis ditioribus strato, et plumâ delicatiori farto!

83. *Advectus Romam, etc.*] Ipse servus advectus Romam e Syria, eodem vento, eadem nave, quâ *pruna* damascena, et *cottana*, etc. Prunæ autem e Damasco tunc advehebantur optimæ. Eædem etiam nunc in honore sunt, et dicuntur *prunes de Damas.*—*Cottana.* Κόττανα, εἶδος συκῶν μικρῶν, Hesych. fici genus optimum.

84. *Usque adeo nihil est, etc.*] Romanus loquitur, et merito indignatur, quòd cùm Romanus sit, nihil ei inde proficiat; quòdque

extranei, Græculi, Asiani, etc. opes et honores solis sibi ferant. Quot nunc hodie, non merito minus eadem Galli dicerent! A.—*Cœlum hausit Aventini.* Quòd Romæ nati simus et nutriti? *Haurire cœlum*, ut ap. Virg. Aeneid. X, 899.

85. *Baccâ.... Sabinâ.*] Ita vocatur fructus quilibet minor pomo; ut sunt cerasa, olivæ, etc. apud Sabinos, Italiæ populos, olivæ nascebantur eximiæ.

86. *Quid quòd adulandi gens prudentissima.*] Quid dicam, referam? adde, quòd ista gens peritissima sit, in arte adulandi. Hic, egregia adulatoris descriptio, cui comparatur Horat. in arte poët. v 428, et Theophr. char. V, περικολακείας, et Lucian. passim.

88. *Et longum invalidi collum.*] Infirmitatis et invaliditatis signum erat longum collum: breve contra collum, et *pectorosa cervicis repandæ ostentatio*, ut ait Plin. XIV, 22, in athletic potissimum desiderabatur.

89. *Herculis Antæum, etc.*] Her-

V. 83. *Cottana.* Sic V ex nostris optimis codd. et tres Al. Rup. Alii *coctana*, seu *cottona*: sed, melior nostra lectio, quæ probatur Plin. lib. XIII, 5, seu 10, Athen. lib. IX, et Hesych.

V. 85. *Aventini.* Quidam codd. habent *Aventinum*.

Miratur vocem angustam, quâ deterius nec  
 Ille sonat, quo mordetur gallina marito?  
 Hæc eadem licet et nobis laudare : sed illis  
 Creditur. An melior, cùm Thaida sustinet, aut cùm  
 Uxorem comædus agit, vel Dorida nullo  
 Cultam palliolo? Mulier nempe ipsa videtur, 95

culis cum Antæo, Terræ filio, cu-  
 jus tractu in certamine vires col-  
 ligebat, satis omnibus pugna nota.  
 Stat. Thebaid. lib. VI :

. . . . . Cùm fraude reperta,  
 Raptus in excelsum, nec jam spes ulla  
 cadendi,  
 Nec licet extremâ matrem contingere  
 plantâ, etc.

90. *Miratur vocem angustam, etc.*] Exilem, stridulam, raucam, qua-  
 lem edit gallus gallinaceus ascen-  
 dendo gallinam admordens. Ita  
 omnes interpretes. At illud, ut  
 innuit Alex. Rup. offendit, quòd  
 vox stridula sit attributa gallo gal-  
 linam ascendenti, eamque mor-  
 denti; cùm, contra, ex effectu,  
 constet in eo actu gallinam, non  
 gallum vocem hanc emittere. Un-  
 de, quibusdam placuit textum  
 emendare, et legere :

Miratur vocem angustam, quâ dete-  
 rius nec

*Ille* sonat cùm mordetur gallina ma-  
 rito.

Et sic interpretantur : miratur  
 vocem angustam, quâ non sonat  
 deterius illa gallina, cùm morde-  
 tur a marito gallo gallinaceo. Quæ  
 interpretatio rationi, et veritati  
 magis convenit : attamen, omnes  
 codd. habent, *ille* et *quo*. A.

91. *Marito.*] Sic Virg. eclog. VII,  
*virum gregis caprum* appellat.

92. *Hæc eadem, etc.*] Et nos Ro-  
 mani, ut isti, laudes adulatorias  
 spargere et dare immeritis possu-  
 mus; sed illis tantum creditur.  
 Nero a quibusdam, ut cantaret ro-  
 gatus respondit : *Solos scire audire*  
*Græcos, solosque se, et studiis suis*  
*dignos.* Suet in Ner. cap. 21.

93. *An melior, etc?*] Non tantum  
 egregii sunt adultores, sed et his-  
 triones : nam, quis Græco *melior*  
 est *comædus*, cùm alienam perso-  
 nam, et partes, vel mulierum sus-  
 tinet? — *Thaida.* Meretricem. —  
*Sustinet.* In tragædiis et comædiis  
 apud veteres, mulierum personæ  
 a viris agebantur, quod omnibus  
 notum est. A.

94. *Uxorem.*] Matronam honestam.—  
*Dorida.* Scortum, Nympharum  
 more, et Doridis Deæ marinæ  
 nudum. Doricæ autem mulieres  
 φαινομηρίδες, unde et Δωριάζειν, τὸ  
 παραφαίνεῖν καὶ παραγυμνεῖν πολὺ  
 τοῦ σώματος τὰς γυναῖκας σημαίνει.  
 Brod. Miscell. IV, 6.

95. *Cultam palliolo.*] Meretrices,  
 ut et molles, et ægroti caput ob-  
 nubebant : atqui Græculus in sce-  
 na, ne palliolo quidem tectus, co-  
 ram tot spectatoribus meretricem,



Non persona loqui : vacua et plana omnia dicas  
 Infra ventriculum , et tenui distantia rimâ.  
 Nec tamen Antiochus , nec erit mirabilis illic  
 Aut Stratocles , aut cum molli Demetrius Hæmo.  
 Natio comæda est. Rides , majore cachinno 100  
 Concutitur : flet , si lacrymas conspexit amici ,  
 Nec dolet : igniculum brumæ si tempore poscas ,  
 Accipit endromiden : si dixeris , æstuo , sudat.  
 Non sumus ergo pares : melior qui semper et omni

pudore prostituto , scientissime agit.

96. *Non persona loqui.*] *Persona* , πρόσωπον , facies ficta histrionis , vel vir personatus , histrio , etc. — *Vacua et plana* , etc. Jurares omnia , etiam pudenda illis muliebria , non virilia esse , tam bene mulieres agunt.

97. *Rimâ.*] Σχίσμα Poll. lib. II , p. 126. In sensu obscæno sumitur.

98. *Nec tamen Antiochus* , etc.] *Nec soli admirabiles illic* , scilicet , in hac arte fallendi et decipiendi , Antiochus , Stratocles et Demetrius , cum molli Hæmo ; omnis enim *natio comæda est*. Aliter nonnulli interpretantur : non tamen Antiochus , aut Demetrius , aut Stratocles , aut Hæmo erunt mirabiles *illic* , in patria sua ; nam omnis *natio comæda est*. At ingrata , et aliena certe est ista interpretatio. A. — *Antiochus* , celebris comædus , sed non aliunde notus.

99. *Aut Stratocles* , aut *Demetrius* , etc.] Demetrius et Stratocles ex Quintil. Instit. XI , 3 , noti. De *Hæmo* , vid. sat. VI , 198.

100. *Rides* , majore *cachinno* , etc.] Festiva adulatoris adumbratio , qui , ut indicet , quantopere probet magni et divitis amici scommata , non contentus ridenti arrire , in effusio rem risum solvitur.

101. *Flet* , si *lacr. conspexit amici*.] Non contentus amico flenti dolere , eumque consolari , flet ipse. Alii sic : *Flet* , si *lacrymas* , etc. *Nec revera dolet* , sed dolorem fingit , ut omnia.

103. *Accipit endromiden*.] *Vestem crassam et villosam* , ad arcendum frigus aptissimam , e Gallia venientem. Hâc in gymnasiis utebantur post exercitationes , ne calefacti frigus et morbos conciperent. Plutarchus de discr. amici et adul. Σὺ μὲν ἐγάλας , ἐγὼ δ' ἐξέθησκον γέλωτι. Et Theophr. charact. II :

V. 103. *Endromiden*. Hanc lectionem præferebat Al. Rup. quam reipsa in sex ex optimis meis codd. inveni , inter quos præsertim numerantur Alexandrinus vetustissimus , Puteanus , Mazarineus. Alii *Endromadem* , *Andromidem* , quidam vitiosius.

Nocte, dieque potest alienum sumere vultum , 105  
 A facie jactare manus , laudare paratus ,  
 Si bene ructavit, si rectum minxit amicus ,  
 Si trulla inverso crepitum dedit aurea fundo.  
 Præterea sanctum nihil est, et ab inguine tutum :  
 Non matrona laris , non filia virgo , neque ipse 110  
 Sponsus levis adhuc , non filius ante pudicus.  
 Horum si nihil est, aviam resupinat amici.

Σκώψαντι πικρῶς ἐπιγέλασαι , τὸ τε  
 ἱμάτιον ὄσαι εἰς τὸ σῶμα , ὡς δὴ οὐ  
 δυνάμενος κατασχεῖν τὸν γέλωτα.

106. *A facie jactare manus.*] Ab  
 ore, quo eas osculatus est, jactare,  
 et porrigere, id est, jacere oscula,  
 quod adulationis signum est.

107. *Si bene ructavit.*] *Moliere*,  
 in *Tartuffe* :

Et s'il vient à rotter, il lui dit : Dieu  
 vous aide.

108. *Si trulla inverso crepitum de-*  
*dit.*] Sensus est : *si trulla aurea*, lasa-  
 num, sella familiarica, *la chaise per-*  
*cée*, *crepitum dedit sub fundo*, ano di-  
 vitis alvum exonerantis, *inverso*,  
 imaspectante; si igitur dives ami-  
 cus alvum exonerans, crepitum  
 recte dederit. Ita nos, ex auctori-  
 tate vet. schol. et nonnullorum  
 interpp. quod re ipsa melius cum  
 præcedentibus cohæret. Sic Græ-  
 cus noster amicum, quâvis occa-  
 sione, laudat : si bene ructavit,  
 si rectum minxit, si bene crepi-  
 tum edens, alvum exoneravit.  
 Alii vero, his volunt, honestiore  
 fateor de causa, significari *trullam*  
*auream*, calicem aureum, de manu  
 divitis cadentem, et sonitum eden-

tem : alii, bibacitatem divitis trul-  
 lam exhaurientis, et labellorum  
 crepitu id testantis : alii denique,  
 lusum cottaborum, κοτταβόν, qui  
 ita fit, cum reliquum vini in pa-  
 vimentum ejectum ( id inverso  
 poculo evenit ), clarum edit so-  
 num, quod felicitatis amoris indicium  
 est. Sed hæc minus ad rem veniunt  
 explicationes. A.

109. *Et ab inguine tutum.*] A li-  
 bidine suâ.

110. *Non matrona laris.*] Mater-  
 familias.

111. *Levis.*] Λεῖος, proprie poli-  
 tus, non asper tactu; hinc tener,  
 imberbis.

112. *Aviam resupinat amici.*] Vet.  
 schol. « Si nullus horum sit, qui  
 « possit corrumpi : si fuerit anus,  
 « ad ipsam se convertit. » Ita, si  
 nullum inveniatur, cui stuprum in-  
 ferre possit, *aviam ipsam amici sui*  
*resupinat*, hoc loco, futuit. Atta-  
 men omnes codd. habent *aulam*,  
 non *aviam*; quod recte explicari  
 nequit, nec sensum offert præce-  
 dentibus aptum, quæ egregiam in  
 sensu obscæno gradationem exhi-  
 bent. Ille Græcus adeo salax est,

Scire volunt secreta domûs , atque inde timeri.

Et quoniam cœpit Græcorum mentio , transi

Gymnasia , atque audi facinus majoris abollæ. 115

Stoicus occidit Baream , delator amicum ,

Discipulumque senex , ripa nutritus in illa

Ad quam Gorgonei delapsa est penna caballi.

Non est Romano cuiquam locus hîc , ubi regnat

. Protogenes aliquis , vel Diphilus , aut Erimarchus ; 120

ut nihil sit *ab ejus inguine tutum* : nec mater-familias , nec filia virgo , nec filius ; si horum nihil est , etc. Alii per hæc , *aulam resupinat* , intelligunt : ille intervertit domum , scrutatur omnia , et omnia miscet , confundit. At cuivis lectori hanc explicationem perpendenti , insulsum illud et languidum , præ cæteris apparebit. Ego igitur , vel *aviam* servandum , ( Quæ lectio vet. schol. soli probatur ) ; vel , si *aulam* , ut cæteri omnes reposueris ; quiddam obscœnius adhuc inesse sub his verbis fatearis necesse est : nam , et de salacitate Græculi quæstio est , et verbum *resupinat* satis indicat quid sit intelligendum. A.

113. *Scire volunt , etc.* ] Nulla enim certior ratio secreta domûs aucupandi , quàm rem habere cum iis qui in domo sunt.

114. *Transi gymnasia.* ] Omitte nunc vulgus Græcorum , et *gymnasia* , artes , exercitationes eorum. Hæc sunt leviora flagitia , etc.

115. *Facinus majoris abollæ.* ] Proverbium , inquit vet. schol. , quasi majoris togæ , id est , sce-

leris potioris. Vel per ironiam dixit , quasi sanctioris philosophi. *Abolla* species est majoris vestis , quasi pallii majoris. Hoc vestis genere utebantur philosophi , item et viri principes. Cæteris *abolla* erat minor , ut militibus et aliis.

116. *Stoicus occidit Baream.* ] P. Egnatius , philosophus stoicus , Baream Soranum , discipulum suum et amicum occidit , id est , delationibus suis perfecit , ut ille damnaretur , atque occideretur.

117. *Ripa nutritus in illa , etc.* ] Oriundus e Tarso , Ciliciæ urbe , quam rigat amnis Cydnus , cujusque conditor fuit Perseus , qui nomen ei indiderit , ἀπὸ τοῦ τάρσου , quia ipsi , vel Pegaso ibi una ex talaribus pennis exciderit.

118. *Gorgonei.... caballi.* ] Pegasi scil. e sanguine Medusæ procreati.—*Caballi.* Καβῶλλης , proprie jumentum dossuarium , aut pistri-nense ; nomen inhonestius equi , quo poëta usus est ad contemptum , quia Græcos oderat , eorumque fabulas.

120. *Protogenes , etc.* ] Ut et Di-

V. 120. *Erimarchus.* Hanc lectionem prætulî , ex antiquissimis codd. Alii , *Erimanthus* , alii , *Helimachus* , alii , aliter.

Qui, gentis vitio, nunquam partitur amicum :  
 Solus habet : nam, cùm facilem stillavit in aurem  
 Exiguum de naturæ patriæque veneno,  
 Limine summoveor : perierunt tempora longi  
 Servitii : nusquam minor est jactura clientis. 125  
 Quod porro officium, ne nobis blandiar, aut quod  
 Pauperis hîc meritum, si curet nocte togatus  
 Currere, cùm Prætor lictorem impellat, et ire  
 Præcipitem jubeat, dudum vigilantibus orbis,  
 Ne prior Albinam et Modiam collega salutet? 130  
 Divitis hîc servi claudit latus ingenuorum  
 Filius : alter enim, quantum in legione Tribuní

philus, et Erimarchus. Nomina ficta forsitan adulatorum græcorum.

121. *Nunquam partitur amicum.*] Græci artibus suis alios omnes a gratia excludunt patronorum, et soli in ea esse volunt; scilicet ut inde fructum percipiant.

122. *Stillavit.*] Insusurrando immisit.—*Facilem... in aurem.* Amici et patroni, qui facile mala credit, quæ Græculus de aliis refert.

123. *Exiguum de naturæ patriæque veneno.*] Vel partem aliquantulam hujus veneni, calumniæ scilicet, quod ab indole sua, et a patria acceptum hausit.

124. *Limine summoveor.*] Domo patroni repellor, rejicior.

125. *Servitii.*] Propter multa ac molesta clientium officia.—*Nusquam minor.* Nullo in alio loco, quàm Romæ, minor est, levior ducitur jactura clientis.

126. *Quod porro officium, etc.*] Quid prodest clienti; quid pauperis meritum est, si togatus curet tota fere nocte currere ad offi-

cia erga patronum exsequenda, cùm Prætor eadem, et melius faciat?

127. *Togatus.*] Quia civis est Romanus: nam, sine toga foras ire indecorum videbatur.

128. *Cùm Prætor lictorem impellat.*] Præ festinatione, et aviditate sportularum. Vid. sup. sat. I, v. 100.

129. *Dudum vigilantibus orbis.*] Matronis viduis, et sine liberis, et divitibus, quas Prætor salutatur, vel sportulæ accipiendæ causâ, vel earum hereditatis captandæ.

130. *Albinam et Modiam.*] Nomina matronarum divitum.—*Collega.* Alter Prætor.

131. *Divitis hîc servi, etc.*] Hîc, Romæ, *filius ingenuorum*, ingenuus ipse *claudit latus*, comitem se præbet *servo diviti*, liberto, idque a sinistra, cedens illi viam.

132. *Alter enim.*] Non filius ingenuorum, ut male quidam interpretati sunt, sed servus ipse,

Accipiunt, donat Calvinæ, vel Catienæ,  
 Ut semel, atque iterum super illam palpitet: at tu,  
 Cùm tibi vestiti facies scorti placet, hæres, 135  
 Et dubitas altâ Chionen deducere sellâ.  
 Da testem Romæ tam sanctum, quàm fuit hospes  
 • Numinis Idæi: procedat vel Numa, vel qui

ut sit sensus: iste enim servus tantum donat Calvinæ, vel Catienæ, quantum, etc. — *Quantum in legione Tribuni accipiunt.* Tribunorum legionum stipendia satis ampla erant. Cuique enim pediti XII nummi aurei temporibus Domitiani erant; et quod pedes accipiebat, duplex centurioni, triplex equiti, quadruplex tribuno dabatur. Ita, pro stipendio XLVIII numm. aureos tribunus accipiebat. Just. Lips. de milit. rom. lib. V, 16. Nummi autem aurei (*le sou d'or, taillé 45 à la livre de douze onces*) pondus erat 7 gramm. 4525  $\frac{1}{2}$   $\frac{3}{5}$  (*un gros, 67 à 68 grains*); valor, 19 fr.  $\frac{1}{2}$   $\frac{7}{8}$ . Ita, XII nummi aurei peditis stipendium æquant 234 fr.  $\frac{3}{8}$ , et XLVIII Tribuni 937 fr.  $\frac{1}{2}$ . A.

133. *Calvinæ, vel Catienæ.*] Nobilissimis, ea tempestate, meretricibus.

134. *Ut... super illam palpitet.*] Illud in sensu obscæno accipitur. — *At tu, etc.* Ingenue, qui pauper es.

135. *Vestiti... scorti.*] Scortum vestitum, scil. bene, nitide, venuste, et forte togatum, more meretricum. Unde non male interpretantur quidam: « togatæ et « plebeïæ meretricis. »

136. *Altâ... deducere sellâ.*] Me-

retrices altâ sellâ sedebant, ante fornicum limen (unde *sellariæ* dictæ), ut accedentes scortatores venalem mercedem attentius considerarent, et illarum membra omnia curiosius perlustrarent, sicut servi venales in catasta prostabant; nam, licet togatæ essent, perlucebant nihilominus Cois indutæ, et tale tamen scortum diobolare, pauper, ingenuus licet, non audebat ex *alta deducere sella*, quòd paucis obolis careret. — *Chionem.* Notam e Martial. lib. I, 35, 93. III, 34, etc.

137. *Da testem, etc.*] De contemptu pauperum queritur, quibus, vel sanctissimis, nulla fides Romæ haberetur. — *Da testem.* Verbum juris, ut *dare testes, judices, cognitorem, litem, judicium*, etc. — *Hospes numinis Idæi.* P. Corn. Scipio Nasica, qui vir optimus a senatu judicatus, dignusque, qui, intra parietes suos, reciperet hospitio simulacrum matris Deûm e Phrygia advectum, illudque servaret, donec ei Deæ templum exstructum foret. Quique deinde templum Cybeles consecravit. Tit. Liv. lib. XXIX, 14, XXXV, 10.

138. *Vel Numa.*] Qui Romanos inter reges religione inclÿtus, et religionis auctor fuit. Vid. sup. v. 12, et Tit. Liv. lib. I. — *Vel*

Servavit trepidam flagranti ex æde Minervam :  
 Protinus ad censum , de moribus ultima fiet 140  
 Quæstio. Quot pascit servos ? quot possidet agri  
 Jugera ? quàm multâ magnâque paropside cœnat ?  
 Quantum quisque sua nummorum servat in arca ,  
 Tantum habet et fidei. Jures licet et Samothracum ,  
 Et nostrorum aras , contemnere fulmina pauper 145  
 Creditur , atque Deos , Dîs ignoscentibus ipsis.

qui, etc. L. Cæcilius Metellus cos. ann. V. C. DII, et DVI, Dict. Magist. Eqq. et Pont. Max. qui palladium ex incendio ædis Vestæ rapuit ; unde, cùm oculos amisisset, propter virtutem suam, ei a senatu præcipuus honor tributus, ut, quoties in senatum iret, curru veheretur sublimi ad Curiam.

139. *Trepidam.* ] Propter deflagrationem, et romani Imp. periculum, cujus pignus erat palladium.

140. *Protinus ad censum.* ] Omis-  
 sa quæstione de moribus et virtutibus, confestim quæritur, quid habeat ? quantas possideat opes ?

141. *Quot pascit servos.* ] Divitiæ enim apud Romanos ex numero servorum æstimabantur.

142. *Paropside.* ] Græc. παροψις, vas in quo obsonia apponuntur, patina, lanx. Hæc ad apparatus mensæ, luxumque spectant.

143. *Quantum quisque sua, etc.* ] De hac sententia, Heu ! vera nimium, vid. Horat. lib. I, sat. 1,

v. 62. Ovid. fast. I, 217. Sic quoque Lucilius ex vet. schol.

Aurum atque ambitio specimen virtutis utrique est,  
 Tantum habeas, tantum ipse sies, tantique habearis.

144. *Jures licet et Samothracum.* ] Licet jures per Deos peregrinos et romanos, ut ὄμνυμι τοὺς Θεοὺς. — *Samothracum.* Samothracia, maris Aegei insula, Thraciæ adjacens, hodie *Samandrachi*. Inde in Phrygiam Dardanus Penates Deos, e Phrygia in Italiam Aeneas asportavit. Qui vero illi Dii ? μεγάλοι Θεοί *magni Dii, Dii Cabiri* ; Jupiter, Juno, Aeneid. III. Vid. Macrob. lib. III, cap. 4. Addunt alii Minervam et Mercurium.

145. *Et Nostrorum.* ] Martis scilicet et Quirini, qui Dii Romanis peculiariæ erant. — *Contemnere fulmina pauper creditur.* Adigente paupertate, ac durissimo necessitatis telo, facilius pejerare creditur pauper, ut victum habeat, et præsentis malo futuri metum vincat.

146. *Dîs ignoscentibus ipsis.* ] Dii

V. 142. *Paropside.* Omnes nostri codd. quatuor exceptis habent *parabside*, quod probabant Lubinus, Turnebus, et Schrad. propter etymologiam.

Quid, quòd materiam præbet causasque jocosum  
 Omnibus hic idem, si fœda et scissa lacerna,  
 Si toga sordidula est, et ruptâ calceus alter  
 Pelle patet; vel si, consuto vulnere, crassum 150  
 Atque recens linum ostendit non una cicatrix?  
 Nil habet infelix paupertas durius in se,  
 Quàm quòd ridiculos homines facit. Exeat, inquit,  
 Si pudor est, et de pulvino surgat equestri,

quoque pauperi facilius ignoscere putantur; quòd necessitate magis quàm improbitate peccaverit. Opinio ridicula ista est divitum, qui sibi solis Deos esse putant; nec eosdem attendere ad peccata et scelera pauperum.

147. *Quid, quòd, etc.*] Adde, quòd pauper ridiculus videtur.

148. *Si fœda et scissa lacerna.*] « Veteribus, inquit Casaub. ad « Theophr. character. XIX, 3, in « foro honeste vestiri moris erat, « domi quod satis esset: aliud enim « homini, aliud humanitati satis « esse censebant, ut ait Varro.... « Qui igitur fœde vestiti in publi- « cum prodirent, odio erant et « irrisui. » — *Lacerna.* Vid. sup. ad sat. I, v. 62.

149. *Si toga sordidula est.*] Tantillum sordida, minus candida. Toga porro alba erat. — *Et ruptâ calceus, etc.* Id est, corio rupto apertus est, ob fissuram et rupturam, et lacer hiat.

150. *Consuto vulnere.*] Rupturâ, rimâ, fissurâ.

151. *Non una cicatrix.*] Rupturæ et sarturæ vestigia.

152. *Nil habet infelix paupertas, etc.*] Epiphonema, quo egestatis miserias adauget. Crates comic. ap. Stob. tit. *πενίας ψόγος*, dixit:

Οὐκ ἔστι πενίας οὐδὲν ἀθλιώτερον  
 Ἐν τῷ βίῳ σύμπτωμα· καὶ γὰρ ἂν  
 φύσει  
 Σπούδατος ἦς, πένης δὲ, κατὰ γε-  
 λως ἔσῃ.

153. *Exeat, etc.*] Homines ad inopiam redacti etiam publice de loco, quem olim occupaverunt, turpiter dejiciuntur. — *Exeat, inquit.* Designator ordinibus in theatro disponendis præpositus. Martial. lib. V, epig. 26:

Quadringenta tibi non sunt, Chæres-  
 trate; surge.

Lectius ecce venit: sta, fuge, curre,  
 late.

154. *De pulvino surgat equestri.*] Ex quatuordecim illis gradibus theatri, qui senatoribus et equitibus servabantur, quique pulvillis insternebantur, ne nudis la-

*Parabsis*, inquit Isidor. in orig. *quadrangulum et quadrilaterum vas, id est, paribus absidis.* Vulgatam tamen lectionem servavimus. Vid. comment.

Cujus res legi non sufficit, et sedeant hîc 155  
 Lenonum pueri quocumque in fornice nati.  
 Hîc plaudat nitidi præconis filius inter  
 Pinnirapi cultos juvenes, juvenesque lanistæ.  
 Sic libitum vano, qui nos distinxit, Othoni.  
 Quis gener hîc placuit censu minor, atque puellæ 160  
 Sarcinulis impar? quis pauper scribitur heres?

pidibus, vel asseribus insiderent.

155. *Cujus res legi non sufficit.* ] Rosciæ, quâ L. Roscius Otho, trib. pleb. pauperes a ditioribus distinxit in teatro, vetuitque, ne quis in theatri gradibus sederet, nisi eques, aut equestri censu polens. Censu autem equestri erat CCCC. H. S. Vid. sat. II, v. 117.

156. *Lenonum pueri, etc.* ] *Lenonum pueri*, et *præconis filius*, et *juvenes lanistæ* hîc sedeant, quia censum habent equestrem, vel artibus suis, quæ erant quæstuosæ, vel alio quocumque inhonestiore modo. — *Lenonum pueri*. Tales enim sæpe pro nobilissimis supponebantur, ut sat. VI fusius explicabitur. — *Fornice*. Cellâ fornicatâ, concameratâ, ac subterraneâ, quas scorta inhabitare solebant.

157. *Præconis filius.* ] Præconis officium quæstuosum valde erat; de quo vid. quæ not. ad sat. VII, v. 6.

158. *Pinnirapi... juvenes.* ] Pinnirapus dicitur retiarius, qui Mirmillonis galeam pinnâ insignitam arripere, ac reti involvere nitebatur. Pulman. et Turneb. lib. III Advers. cap. 8. Vet. schol. « *Pinnis pavonum ornari solebant gladiatores, si quando ad pompam*

« *descenderent.* » Vid. notam ad sat. II, v. 143. Hîc, *pinnirapi juvenes*, pro quibuslibet gladiatorum filiis. — *Juvenesque lanistæ*. Lanista dicebatur gladiatorum magister, qui eorum magnam interdum familiam alebat, docebat, et ad munera edenda vendebat.

159. *Vano... Othoni.* ] De Othone, et de lege ejus vid. sup. ad v. 155. — *Vano*. Cum vi et indignatione dictum: nam, is fuit, qui, in lege ferenda, non ad mores, virtutesque respexit; sed ad opes tantum atque divitias, res vanas et inutiles: unde, merito, *vanus* dicitur hujus legis auctor.

160. *Quis gener hîc placuit?* ] Quis filiam pauperi elocat? Rectius Themistocles: *Malo virum sine pecunia, quàm pecuniam sine viro.*

161. *Sarcinulis.* ] Supellex, vel idem quod census, bona quæ quis possidet, opes, facultates. Vet. sc. « *Nunc doti.* » At melius, meo judicio, quod Galli dicunt *le trousseau*, qui æque nuptæ et sponso convenit. — *Quis pauper scribitur heres?* Nam, *habenti supra dabitur; et nihil habenti, etiam auferretur ab eo*; quia, ut nostri proverbialiter dicunt, *l'eau va toujours à la riviere.* A.



Quando in consilio est Aedilibus? agmine facto  
 Debuerant olim tenues migrasse Quirites.  
 Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat  
 Res angusta domi; sed Romæ durior illis 165  
 Conatus. Magno hospitium miserabile, magno  
 Servorum ventres, et frugi cænula magno.  
 Fictilibus cœnare pudet, quod turpe negavit  
 Translatus subito ad Marsos, mensamque Sabellam,

162. *Quando in consilio est Aedilibus?* ] In consilio esse, vel adesse dicuntur assessores magistratûs, qui publico, vel privato iudicio præest, eosque in consilium advocat, adhibet. Pauperes autem parum sapientes videntur; ideoque nunquam ad consilia vocantur. Ovidius :

Curia pauperibus clausa est.  
 — *Aediles.* Alii erant majores et curules, alii plebei et minores. Illis ludorum, sacrorum et solemnium pomparum, insuper, theatrorum, studiorum, fori ac mœniorum reficiendorum cura erat demandata; his, omnium, quæ ad Urbis salubritatem, ad inspectionem alimentorum, ponderum ac mensurarum; ita quoque ad ædificiorum publicorum privatorumve conservationem spectarent.

163. *Debuerant olim, etc.* ] Sensus est: Bene profecto plebs olim romana a potentioribus oppressa in montem sacrum secessit; et melius fortasse consulisset rebus suis, si nunquam rediisset in gra-

tiam cum magnatibus, a quibus contemnitur, et male habetur. — *Tenues.* Pauperes Romani.

164. *Haud facile emergunt, etc.* ] Indubitatum ubique axioma; et præsertim in amplissima civitate, ubi per amicos, et civilem potentiam, veluti per instrumenta, necesse est pleraque effici.

165. *Sed Romæ durior illis conatus.* ] Propter annonæ caritatem: omnia enim vilia magno constant.

166. *Magno hospitium miserabile.* ] Domus conductitia.

167. *Servorum ventres.* ] Magno pretio servi aluntur. — *Et frugi cænula, etc.* Tenuis et prope famelica cœna.

168. *Pudet.* ] Supple, hodie Romanos. — *Quod turpe negavit.* Ea universe accipienda; nec, ut quidam volunt, ad Man. Curium Dentatum, vel ad P. Cornelium Scipionem referenda. Sic: *Quod turpe negat, vel negare solet quisquis, etc.* — *Negavit.* Ἀορίσως, præterit. profut. vel præsentis.

169. *Translatus subito, etc.* ] Qui-

V. 168. *Negavit.* Sic omnes codd. At Grangæo, Ferrar. elect. II, 9, corrigendum videbatur *negabit*; sed, perperam sollicitaretur vulgata lectio; nam, plana est, et conveniens. Vid. sup. comment.

Contentusque illic veneto, duroque cucullo. 170  
 Pars magna Italiae est, si verum admittimus, in qua  
 Nemo togam sumit, nisi mortuus. Ipsa dierum  
 Festorum herboso colitur si quando theatro  
 Majestas, tandemque redit ad pulpita notum  
 Exodium, cum personae pallentis hiatum 175

libet Romanorum Urbe recedens ad eos populos, qui frugali mensa utuntur, quales Sabini, Samnites, etc.

170. *Veneto duroque cucullo.*] *Veneto*, id est, caerulei coloris, marinis fluctibus similis, quo viliores panni tingebantur.—*Cucullo.* Humerorum capitisque tegmen erat *cucullus*, gall. *capuchon*, *durus*, villosus, crassioris villi, et densus, quo imber frigusque arcebantur, et quo non viri tantum, sed et mulieres, et servi etiam utebantur; imprimis in municipiis, et parvis urbibus.

172. *Nemo togam sumit nisi mortuus.*] Civis Romae sine toga in publicum prodire non esset ausus; in municipiis vero toga induebatur raro; cives enim tunicati usque videri non erubescabant. Togam autem amicti, cum mortui essent, in vestibulo aedium, ad januam collocabantur, quippe quod toga eis tunc honestissimum esset ornamentum.—*Ipsa dierum, etc.* Ordo est: Si quando ipsa majestas dierum festorum colitur in herboso theatro. . . videbis tunc aequales habitus, etc.

173. *Herboso. . . . theatro.*] Non lapideo, sed e vivo cespite, servata simplicitate antiqua. Quod

theatri genus pingit Virgilius Aeneid. V, v. 286:

. . . . . Tendit  
 Gramineum in campum, quem collibus  
 undique curvis  
 Cingebant silvae, mediaque in valle  
 theatri,  
 Circus erat.

— *Si quando.* Indicat, quam raro id fiat.

174. *Tandemque redit.*] *Tandem*, anno vertente, quia ludi anniversarii, *exodium notum*, non novum, saepius recantatum *redit ad pulpita*. Pulpitum proprie locus in quo recitabant auctores; λογείον Græcis. Hic, pro scena ipsa.

175. *Exodium.*] Exodia, carmina risum moventia, quae sub fine fabulae, atellanæ potissimum, cani solebant. De iis, vid. ad sat. VI, v. 71. — *Personae pallentis hiatum.* Rictum pingit, et oris aperturam personae larvatae et pallentis. Inter πρόσωπα, seu fictas facies, quibus histriones olim utebantur, erant manduci, μαστολοκεῖα magnis malis lateque hiantia, oreque patente immodice deformia, et dentibus crepitantia. Στόμα κεληνός πάμμεγα ὡς καταπιόμενος τοὺς θεατάς. Lucian. περὶ ὄρχησ. Vid. consimiles figuras ad Mus. Napol. antiq. Paris. *Salle des Muses.*

In gremio matris formidat rusticus infans ;  
 Aequales habitus illic, similesque videbis  
 Orchestram, et populum : clari velamen honoris,  
 Sufficiunt tunicæ summis Aedilibus albæ.  
 Hic ultra vires habitûs nitor : hic aliquid plus, 180  
 Quàm satis est : interdum alienâ sumitur arcâ.  
 Commune id vitium est : hic vivimus ambitiosâ  
 Paupertate omnes. Quid te moror ? Omnia Romæ  
 Cum pretio. Quid das, ut Cossum aliquando salutes ?

176. *Formidat rusticus infans.* ] De infantulis, quos ad spectaculum ludorum secum afferebant, Plaut. Pœnuli prologo :

Nutrices pueros infantes minutulos Domi, ut procurent, neu quæ spectatum afferant.

177. *Illic.* ] In his urbibus parvis.—*Similesque videbis orchestram et populum.* Orchestram, hoc est, decuriones, senatores et populum, plebem simili habitu, vel parum dissimili, omnes eodem vestis genere indutos, nec distinctos, ut Romæ, laticlavio, angusticlavio, togis, prætextis, etc.

178. *Orchestram.* ] Proprie locus in theatro proprius choris et saltatoribus, ab ὄρχησμαι, salto, juxta quem sedilia erant senatoribus destinata. — *Clari velamen honoris.* Dignitatis ædilitiæ insigne et ornamentum.

179. *Tunicæ... albæ.* ] Candidæ et recens lotæ, nec, ut Romæ, purpuris distinctæ.—*Summis Aedilibus.* Aediles magistratus municipales erant; et in quibusdam mu-

nicipiis soli et unici magistratus : unde, hoc loco, *Summi* dicuntur.

180. *Hic.* ] Romæ. — *Ultra vires.* Scil. opes, facultates.

181. *Alienâ sumitur arcâ.* ] Non contenti necessariis, quæ possunt e suo habere, e mutuato, et conducto, luxui indulgent.

182. *Ambitiosâ paupertate.* ] Pauperes sumus, et tamen divites videri volumus. — « *Ambitiosa paupertas*, inquit Casaub. ad Theophrast. charact. XXI, est μικροφιλότητις eorum, qui vellent quidem laudem posse mereri aliâ ratione, sed quia inopes sunt, et iis præsidiis destituuntur, quæ ad consequendos honores veros desiderantur, quâ possunt ratione tentant innotescere, etc. » Vid. infr. ad VII, v. 50.

183. *Omnia Romæ cum pretio.* ] Etiam aditus ad optimates.

184. *Quid das, etc.?* ] Scil. janitoribus, ut intromittaris ad Cossum, hominem præpotentem, salutandum ?

V. 177. *Similesque.* IX ex nostris codd. habent *Similemque.* Sed parum distat.

Ut te respiciat clauso Vejento labello ? 185  
 Ille metit barbam , crinem hic deponit amati ;  
 Plena domus libis venalibus. Accipe, et istud  
 Fermentum tibi habe : præstant tributa clientes ;  
 Cogimur et cultis augere peculia servis.  
 Quis timet, aut timuit gelidâ Præneste ruinam, 190

185. *Ut te respiciat clauso... labello?*] Ut te nutu tantum, non sermone, seu colloquio dignetur: quo superbia hominis notatur. — *Vejento*. De eo vid. sat. IV, v. 113.

186. *Ille metit barbam* ] Si alius dives servo grandiori primam barbam metit, etc. Festus porro dies ille habebatur, quo primum raderent barbam, et capillos tonderent, quos fere cuiquam Deo consecrabant. — *Hic*. Si alius dives deponit capillos servi sui amati, et catamiti, tunc plena domus, etc. Hæc aliter explicant Lubinus, Prateus, et Alex. Rup. quasi poëta dixisset: *Ille* cliens, ut domini gratiam mereatur, assentatur et famulatur etiam servulo ejus, quem ei dilectum novit. Ita: ille cliens ipse metit barbam servi amati; *hic*, alius cliens deponit, etc. Sed extra sensum eorum interpretatio nobis visa est, nec tam apte sequentibus cohærens. — *Deponit*. Ἀνατίθησι, tanquam ἀνάθημα Phœbo, vel Aesculapio consecrat. A.

187. *Libis venalibus*.] Festo eo

die celebrato, clientes, ut gratiam patroni divitis demereantur, *liba* ex melle, farre, et oleo puero mittunt, quæ vendat, inde sibi peculium comparaturus. — *Accipe, et illud fermentum tibi habe*. Audi, et hanc causam iræ tibi habe.

188. *Fermentum*.] Farinam ferverefacit, attollit, tandemque rumpit, et tam acorem, quàm tumorem habet; unde vox illa transfertur ad animi affectus, præcipue ad iram, cui vel minima causa est fermentum, quod ebullientis sanguinis motum excitat. A.

189. *Et cultis augere peculia servis*.] Vocatur *peculium* illa peculiaris summa, quam sibi servandam et propriam recollegit servus, quæque ei propria est, et extra potestatem domini. — *Cultis... servis*. In deliciis habitis.

190. *Quis timet, aut timuit, etc.*] Nova deserendæ Urbis causa, ex incendiis et ædium ruinâ petita. — *Præneste*. Urbe Latii, hodie *Pa-lestrina*. — *Gelida*. Ob aquas frigidas, et situm inter montes. Steph.

V. 187. *Libis venalibus*. X ex nostris codd. et quidem antiquioribus habent, *libris venalibus* (quibusdam addita est glossa, *panibus*), quod recte nequit explicari; ideo, vulgatam lectionem prætulimus.

V. 188. *Præstant*. Hanc lectionem revocavi ex omnibus fere codd. Quidam, sed paucissimi, habent: *præstare tributa clientes cogimur, etc.*, eodem fere sensu.

Aut positis nemorosa inter juga Volsiniis, aut  
Simplicibus Gabiis, aut proni Tiburis arce?

Nos urbem colimus tenui tibiae fultam

Magnâ parte sui : nam sic labentibus obstat

Villicus, et veteris rimæ contexit hiatum,

195

Securos pendente jubet dormire ruinâ.

Vivendum est illic, ubi nulla incendia, nulli

Nocte metus. Jam poscit aquam, jam frivola transfert

Ucalegon : tabulata tibi jam tertia fumant;

de Urb. Πραίνεσος, πόλις Ἰταλίας ἀπὸ τοῦ Πραίνεσος τοῦ Λατίνου τοῦ Ὀδυσσεύος καὶ Κίρκης υἱοῦ.

191. *Volsiniis.*] Hodie *Bolsena*. Etruriæ oppidum in summo lacu Volsiniensi, quod totum fulmine concrematum est.

192. *Simplicibus Gabiis.*] Gabii, urbs Latii, inter Romam et Prænestem sita, Tarquinii dolo capta; unde, forte, hic simplex vocatur: etsi, vet. schol. explicat *simplicibus*, non ornatis. — *Proni Tiburis.* Tibur, hodie *Tivoli*, Romam prope, in præcipiti posita et declivi. Horat. lib. IV, od. 3, hanc urbem vocat, *Tibur supinum*.

193. *Tenui tibiae fultam.*] Cujus ædificia maxima ex parte vetusta et ruinam minitantia, exiguis sæpe fulcris sustentantur. — *Tibiae.* In ædificiis ita vocantur adminicula et columnæ, quæ ruituris interdum ædibus adhibentur. Gall. *étaie*. *Tibicines ita dici existimantur*, inquit Festus, *a similitudine tibiis canentium, qui, ut canentes sustinent, ita illi ædificia, hoc est, eorum tecta.*

195. *Villicus.*] Villæ procurator,

οἰκονόμος, vocatus a domino jubetur subvenire labenti domui quam locat: ille vero utcumque ruinas sarcit, ac hiatus parietum calce contegit. Ita interpp. plerique. Ego vero, malim *villicum* intelligi subrusticum murorum structorem (*un maçon de village*), cui dominus resarciendæ domus labentis curam mandat, ne nimios sumptus faciat. — *Et veteris rimæ, etc.* Vet. sc. « Rupturas parietum calce modica perfundunt, et inquilinos jubent manere, tanquam si restaurassent ruinam. » A.

197. *Vivendum est illic, etc.*] Scil. Gabiis, Volsiniis, Prænestem, aliisve oppidulis. Vid. sup. 190, et inf. 223, 224.

198 *Jam poscit aquam.*] Quia domus ardet. — *Jam frivola transfert.* Vilia vasa et supellectilem transfert, postquam res majoris pretii servavit.

199. *Ucalegon.*] Sic vocat illum, cujus domus ardet, ex Virgilio, *Aeneid. II, 312*:

..... Proxi nus ardet  
Ucalegon.

— *Tabulata tibi jam tertia fumant.*

Tu nescis : nam, si gradibus trepidatur ab imis, 200  
 Ultimus ardebit, quem tegula sola tuetur  
 A pluvia, molles ubi reddunt ova columbæ.  
 Lectus erat Codro Proculâ minor, urceoli sex,  
 Ornamentum abaci; nec non et parvulus infra  
 Cantharus, et recubans sub eodem marmore Chiron;  
 Jamque vetus Græcos servabat cista libellos, 206

Si domus ardet, dominus vel frivola quævis prius exinde transulit, quàm de periculo imminente inquilinos pauperes, quibus summa ædium tabulata locavit, certiores faciat, vel eis subveniat. — *Tabulata.... tertia*, gall. *le troisieme étage*. Cœnaculum, ὑπερῶον, summa pars ædium, in qua pauperes habitant.

200 *Trepidatur*.] Vox præcipientem eorum actionem, qui restinguendo, vel evitando student incendio, apprime depingens.

201. *Ultimus ardebit*.] Postremo ardebit cœnaculum, quod pauper conduxit sub tegulis.

202. *Ubi reddunt ova columbæ*.] Vocem græcam ὑπερῶον poeta eleganter περιφράζει, quam compositam putant ex ὑπερ, et ὶον, ut sit quasi locus in quo columbæ ova sua ponant, ita igitur describitur, quod Galli vocant *le grenier*.

203. *Lectus erat, etc.*] Pauperi bonis suis exuto nemo est qui subveniat; sed, divitem simili calamitate afflictum, omnes juvant. — *Codro*. Poëtæ pauperrimo, de quo forte sat. I, v. 2, sermo fuit. — *Lectus erat Proculâ minor*. Lectus brevior conjuge sua brevissima. — *Urceoli*. Vasa potoria, et qui-

dem minima, in quæ vinum et aqua ex cantharo diffundebantur. Ad eundem usum adhibebantur quo, apud nos, *les gobelets*.

204. *Ornamentum abaci*.] Abacus, mensa marmorea, quæ et *delphica*, *ministerium*, ac *repositorium* quoque vocabatur, et in qua, tam ad usum, quàm ad magnificentiam exponebantur vasa aurea et argentea, imprimis potoria, ut hoc loco, *sex urceoli* et *cantharus*, qui certe, Codro, non pretiosi magis, quàm *abacus* quem ornant censendi sunt. Hunc morem apud nos, his temporibus, fuisse renovatum crediderim: nam, plerumque in mensa marmorea porcellana vasa, interdum exponuntur apud divites, ut olim aurea et argentea, aut fictilia apud Romanos. A.

205. *Cantharus*] Vas capax et ansatum, ex quo vinum in minora pocula diffundebatur. Vid. Virg. eclog. VI.—*Et recubans sub eodem marmore Chiron*. Chiron trapezophorus, statua, vel pes mensam sustinens, effigiem Centauri Chironis referens, ex eodem, quo mensa, marmore. Commune autem apud Romanos erat marmor; ideoque apud pauperes abaci mar-

Et divina opici rodebant carmina mures.  
 Nil habuit Codrus : quis enim negat ? et tamen illud  
 Perdidit infelix totum nihil. Ultimus autem  
 Aerumnæ cumulus , quod nudum , et frustra rogantem  
 Nemo cibo , nemo hospitio , tectoque juvabit. 211  
 Si magna Asturi cecidit domus , horrida mater ,  
 Pullati proceres , differt vadimonia Prætor.  
 Tunc gemimus casus Urbis , tunc odimus ignem.

morei erant , apud divites autem citrei , eburnei , aliæve pretiosâ quâvis materiâ. A.

207. *Et divina opici rodebant, etc.*] *Divina carmina.* Hoc εἰρωνεικῶς dictum , procul dubio , de Theseide Codri , de quâ sup. sat. I , v. 2. — *Opici.* Seu *Osci.* Proprie Ausonum gens , primi populi Italiæ rudes et imperiti , qui vix latine loqui scirent , multo minus græce. Sic , jocosè , *mures* dicuntur *opici* , qui divina Codri , quæ nescirent , carmina roderent.

210. *Frustra rogantem.*] Veteres adverbium in *a* exeuntia interdum corripuerunt. Ruf. Festus , Arati prognost. v. 1519 :

Ima vehunt cæli , luxit dum frustra frequenter.

212. *Si magna Asturi, etc.*] Hæc eadem diviti accidant , aliud est. — *Asturi.* Nomen fictum divitis , non aliunde noti. — *Horrida*

*mater.* Inornatæ , incultæ matronæ , ut in publico luctu squalent.

213. *Pullati proceres.*] Patres , equitesque vestes mutant , et togas *pullas* induunt , quod in luctu , et calamitate publica fit. Color autem pullus est ferrugineus , nec purpureus aut ater , sed inter utrumque medius (*brun ou minime*) : alii volunt violaceum esse aut pavonaceum , cujus coloris vestibus honoratiores olim , ut nunc reges , in luctu utebantur , etsi atris quoque induti erant. Voss. ad Catull. p. 168 , et Kirchman. de fun. IV , 2. — *Differt vadimonia Prætor.* Ut in publicis calamitatibus , quibus justitium indici solitum. Tit. Liv. passim.

214. *Tunc geminus casus Urbis.*] Tunc reipsa tectorum lapsus , et incendia nobis gravia et horrenda videntur. — *Tunc odimus ignem.* Exsecramur , igni etiam ipsi male dicimus.

V. 210. *Frustra.* Omnes nostri codd. duobus exceptis , ita legunt. Quidam Al. Rup. *frusta.* Non male , certe , et forte elegantius , ut sit sensus : Frustra panis rogantem.

V. 212. *Asturi.* Variant in hoc nomine proprio scribendo codd. ut solent. Alii *Asturici* , alii *Arturii* , etc. *Ostori* suspicabatur Pulman. Et noti sunt e Tacito P. Ostorius Scapula , et M. filius ejus , et Ostorius Sabinus.

Ardet adhuc, et jam occurrit, qui marmora donet, 215  
 Conferat impensas. Hic nuda, et candida signa,  
 Hic aliquid præclarum Euphranoris, et Polycleti,  
 Phæcasianorum vetera ornamenta Deorum.  
 Hic libros dabit, et forulos, mediamque Minervam,  
 Hic modium argenti. Meliora, et plura reponit 220  
 Persicus orborum lautissimus, et merito jam

215. *Ardet adhuc, etc.*] Vivida adumbratio studii, quo stultum vulgus divitibus opitulatur, si quid eis acciderit.

216. *Conferat impensas.*] Ad novas ædes exstruendas. — *Hic nuda.* More græco. Signa nuda opponuntur togatis, paludatis, etc. Plin. lib. XXXV, cap. 5. *Togatæ effigies antiquitus ita dicebantur. Placere et nudæ tenentes hastam, ab ephëborum et gymnasii exemplaribus, quas Achilleas vocant. Græca res est, nil velare: at contra romanæ ac militaris, thoracas induere. A.*

217. *Euphranoris.*] Statuarius celeberrimus, et, teste Fabio, in pingendo, æque ac fingendo artificiosissimus. — *Polycleti.* De eo vid. infr. ad VIII, v. 103.

218. *Phæcasianorum vetera ornamenta Deorum.*] « Ut minianus « Jupiter, pro miniato a M. Tull. « famil. epist. lib. IX, 16, item « hic *phæcasianus*, pro phæcasiano, id est, phæcasiiis calceato. « Phæcasium interpretatur calceamentum rusticum Hesych. « Apud Plutarchum, calceus est

« græcanicus. Deorum igitur Græciæ, et templorum ornamenta « Juvenalis significat. Nam, in « templis erant tabulæ pictæ et « signa ». Sic Turneb. Advers. lib. X, cap. 27, cui assentimur. Perperam enim præeunte vet. sch. legunt, *hæc Asianorum*. Omnes nostri codd. ad unum habent *phæcasianorum*, vel *fecasianorum*; quod idem est. A.

219. *Forulos.*] Thecas, capsulas, armaria in quibus libri, aliæque res reponuntur. — *Mediamque Minervam.* Statuam Minervæ dimidiatam, a vertice ad umbilicum expressam (*un buste*).

220. *Modium.*] Sextam partem medimni, hic pro magnâ summâ. De mensuris veterum, vid. sat. XIV, v. 126. — *Reponit.* Et longe plura recipit.

221. *Persicus.*] Dives quilibet, cujus ædes conflagrârunt. Forte idem de quo vid. infra sat. VIII, 14. — *Orborum lautissimus.* Ideo plura recipit Persicus, quia orbus est, id est, sine liberis, et quia ditissimus est, duæ rationes,

215. *Occurrit.* Ita omnes nostri codd. Editores soli hanc lectionem, sine auctoritate, mutandam judicaverunt, et legerunt *accurrit*.

V. 218. *Phæcasianorum.* Revocavi ex codd. Vid. sup. comment.



Suspectus, tanquam ipse suas incenderit aedes.  
 Si potes avelli Circensibus, optima Soræ,  
 Aut Fabrateria domus, aut Frusinone paratur,  
 Quanti nunc tenebras unum conducis in annum. 225  
 Hortulus hîc, puteusque brevis, nec reste movendus;  
 In tenues plantas facili diffunditur haustu.  
 Vive bidentis amans, et culti villicus horti,  
 Unde epulum possis centum dare Pythagoreis.  
 Est aliquid, quocumque loco, quocumque recessu, 230

cur ei plus adulentur heredipetæ.

222. *Suspectus, etc.*] Eadem de Tongiliano Mart. lib. III, epig. 51: Empta domus fuerat tibi, Tongiliane, ducentis,

Abstulit hanc nimium casus in Urbe frequens.

Collatum est decies. Rogo, non potes ipse videri

Incendisse tuam, Tongiliane, domum.

223. *Si potes avelli Circensibus, etc.*] Si te avellere potes a ludis Circensibus, et deliciis Urbis, emendas reperies domos Soræ, aut Fabrateriae, pro eodem pretio, quo hic domum obscuram et tenebrosam locas ad unum annum.

— Præclare, et *σαρκαστικῶς*, *Avelli Circensibus*, propter insanum ludorum studium, quo Romani tenebantur. Vid. infra VI, 87, VIII, 118, X, 80, etc. — *Sora*. Urbs Latii ad Lirim fluvium, hodie, in *Aprutio ulteriori*, sub eodem nomine nota.

224. *Fabrateriae.*] Hodie *Falvaterra*, prope fluv. Lirim civitas Volscorum in veteri Latio. — *Frusinone*. Hodie *Frusilone*, in Campania romana.

225. *Tenebras.*] Obscuram et tenebrosam domum.

226. *Hortulus hîc.*] In his oppidis tibi est. — *Puteus brevis*. Parum profundus. — *Nec reste Movendus*. Unde aqua non fune, sed manu potest hauriri.

228. *Vive bidentis amans.*] *Bidens* proprie ovis: significat etiam rastrum. Hoc loco, per metonym. designat agriculturam. Ita, vive rei rusticæ, agriculturæ intentus.

229. *Unde epulum possis, etc.*] Cujus horti fructibus, centum alere possis homines. *Pythagorei* oleribus, herbis, leguminibus vescantur, atque etiam quibusdam leguminibus (fabis, lathyro, erebintho), animaliumque carne abstinebant, ob frugalitatem, et *μετεμψύχωσιν*; quod omnibus notum. Notissimus quoque ille versus de Pythagoræ symbolo:

Ἴσόν τοι κυάμους ἔσθιεν, κεφαλὰς τε τακίων,

quem sic interpretatur Plut. sympos. lib. II, quæst. 3. διαφέρειν μηδὲν τὸ ἐσθίειν ὡς τοῦ χρῆσθαι τοῖς τίκτουσι τὰ ὡς ζωῆς.

Unius sese dominum fecisse lacertæ.

Plurimus hîc æger moritur vigilando : sed illum 232

Languorem peperit cibus imperfectus, et hærens

231. *Lacertæ.* ] Vet. schol.  
 « Notandum, quia in feminino  
 « genere dixit *lacertæ*, cum Vir-  
 « gilius masculino dixit *lacertos*.  
 « Et aut ad animal retulit, quia  
 « sunt in agro quàm plurimi, aut  
 « *lacertam* pro horto posuit, per  
 « quem discurrere et latitare con-  
 « suevit. » Hic locus, propter  
 verbum *lacertæ*, quosdam inter-  
 pretes cruciavit; et, reipsa, si,  
 quod ad mentem poëtæ spectat,  
 sensus phrasidis non obscurus est;  
 tamen, propter verbum, diffi-  
 cultatem aliquam præ se fert. At,  
 omnes nostri codd. habent *la-*  
*certæ*. Et omnes vett. gloss. per  
 hoc verbum intelligunt, *horti*  
*parvuli*: unde licet interpretari  
 per metonymiam: *lacertæ*, exigui  
 agri aut hortuli, ubi lacertæ com-  
 morari et apricari solent: ita su-  
 mitur contentum pro continenti.  
 Sensus est igitur: ex urbe mi-  
 grantem quocumque te recepe-  
 ris, optimum putato domicilium,  
 ubi tuam habeas domum et hor-  
 tum tam exiguum, ut vix una  
 ipsum decurrat lacerta. Fere si-  
 milem hortuli descriptionem de-  
 dit Martialis, lib. XI, epig. 19.  
 Quidam interpretes, quibus hæc  
 explicatio parum apta visa est,  
 textum immutaverunt, legentes  
*lacernæ*. Ita, dominus esse unius  
*lacernæ*, erit, unam tantum ves-

tem habere, sed quæ nemini de-  
 beat. Minus ea interpretatio præ-  
 cedentibus cohæret: *vive biden-*  
*tis amans, et culti villicus horti, etc.*  
 Alii *lacerti* pro *lacertæ* legerunt;  
 et, ad hæc, Heinsius Advers. lib.  
 IV, cap. 8: « Lacertus tenuis  
 « pisciculus salsus a mænis non  
 « discrepans, cujus meminit Api-  
 « cius in opson. parandis lib. X,  
 « cap. 9, et Papinius, Lusu Sa-  
 « turnalitia: »

Quales aut Libycis madent olivis,  
 Aut Byzantiacos olent lacertos.

« . . . et hinc de mænæ domino  
 « capiendus Martialis. Tenuis *la-*  
 « *certus* eidem Martiali semel at-  
 « que iterum, quòd tenuis ho-  
 « minum egenorum victus es-  
 « set. » Inde sane explicat Juve-  
 nalis locum Heinsius, hoc mo-  
 do: est aliquid, quocumque loco,  
 etc. esse pauper aut tenui victu:  
 quæ explicatio minus etiam præ-  
 cedentibus conveniens erit, ne  
 dicam plura. Ad nostram igitur  
 reverti necesse est, quæ etsi paulo  
 contorta videtur, et venit ad rem,  
 et, præterea, proverbium forte  
 fuit his temporibus usitatum,  
 ad designandum exiguum domi-  
 nium. A.

232. *Plurimus hîc æger, etc.* ]  
 Vid. Boileau, sat. VI.—*Hîc. Romæ.*

233. *Languorem.* ] Morbum.—  
*Cibus imperfectus.* Haud concoctus,

V. 231. *Lacertæ.* Non male quoque, nostro iudicio, *lacerta*, humilis  
 et parva casa, quale est lacertæ latibulum. Gall. *un trou de lézard.* Vid.  
 sup. comment. F. D.

Ardenti stomacho : nam quæ meritoria somnum  
 Admittunt? magnis opibus dormitur in Urbe. 235  
 Inde caput morbi. Rhedarum transitus arcto  
 Vicorum in flexu, et stantis convicia mandræ  
 Eripiunt somnum Druso, vitulisque marinis.  
 Si vocat officium, turba cedente, vehetur  
 Dives, et ingenti curret super ora Liburno, 240  
 Atque obiter leget, aut scribet, vel dormiet intus :

non sane coctus, crudus, et ideo ad concoctionem difficilis. Quam difficultatem cibi concoquendi creant Urbis incommoda et agitatiō. A.

234. *Meritoria.* ] Proprie dicuntur, quæcunque mercede locantur, hoc loco, forte, cubacula, vel *tertia illa tabulata* a pauperibus conducta, de quibus sup. ad v. 199.

235. *Magnis opibus dormitur in Urbe.* ] *Boileau*, loco præcit.

Ce n'est qu'à prix d'argent, qu'on dort en cette ville.

236 *Inde caput morbi.* ] *Inde prima mali origo.* — *Rhedarum transitus.* Frigor et strepitus curruum, clamor aurigarum, concurrentium hominum simul ac rhedarum confusio, etc. — *Arcto vicorum in flexu.* Erant certe veteris Romæ vici angusti, et parum directi: quod patet ex Liv. in fin. lib. V, ubi, post incensam et dirutam a Gallis Urbem, Romani promiscue ædificasse dicun-

tur. *Festinatio*, addit idem, *curam exemit vicos dirigendi, dum omissis sui alienique discrimine, in vacuo ædificant: formaque urbis occupatæ, magis quàm divisæ similis fuit.*

237. *Et stantis convicia mandræ.* ] Id est, dum mulio verberibus et voce increpat *mandram* non progredientem. — *Mandra*; proprie stabulum, caula, ovile, hic, pro equis et jumentis, per metonymiam accipitur.

238. *Druso.* ] Somnolento homini, qualis a quibusdam notatur *Claudius Drusus Cæsar.* — *Vitulisque marinis.* Vituli marini, ceu *phocæ* altissime dormiunt, teste Plinio, lib. IX, cap. 13.

239. *Turbâ cedente vehetur.* ] *Lecticâ*, vel *sellâ.*

240. *Super ora.* ] Super capita aliorum civium altius vehetur. — *Liburno.* In lectica a proceris e Liburnia servis lecticariis vecta.

241. *Obiter.* ] Ἐν παρόδῳ, ἐν παρέρ- γῳ, inquit Tull. Gall. *en passant.*

V. 238. *Eripiunt.* Ita X ex optimis et antiquissimis codd. Totidem habent *eripiunt*; quidam *eripiant*; alii *eriperent.*

*Ibidem. Druso.* Frustra probabat Alex. Rup. *somnos urso*; quæ lectio nullius est codicis; et, præterea, inutilem loci planissimi offert emendationem.

Namque facit somnum clausâ lectica fenestrâ.  
 Ante tamen veniet : nobis properantibus obstat  
 Unda prior : magno populus premit agmine lumbos  
 Qui sequitur : ferit hic cubito, ferit assere duro 245  
 Alter ; at hic tignum capiti incutit, ille metretam.  
 Pinguia crura luto : plantâ mox undique magnâ  
 Calcor, et in digito clavus mihi militis hæret.  
 Nonne vides quanto celebretur sportula fumo ?  
 Centum convivæ : sequitur sua quemque culina. 250  
 Corbulo vix ferret tot vasa ingentia, tot res

242. *Namque facit somnum, etc.*] De lectica, vide quæ diximus ad sat. I, v. 65.

243. *Ante tamen veniet.*] Etiam si legit aut dormit, tamen veniet, prius quàm nos pauperes.

244. *Unda prior.*] Multitudo populi, populus frequens undas reciproco fluctu æstuantis imitatur.

245. *Ferit assere duro.*] Ligno, perticâ, amite oblongo ac prominente, quo lectica sustinetur.

246. *Ille metretam.*] Metreta, μετρητής, mensura Attica capacissima: hic, cadus, ceu amphora.

247. *Pinguia crura luto.*] Subaudi, mea sunt. — *Planta.... magna.* Pede ingenti cujusvis bajuli.

248. *In digito.*] Subaudi, pedis. — *Clavus... militis.* Scilicet clavus infixus caligæ militis. Diversa apud Romanos, ut apud Græcos calceamentorum genera, atque genti utrique communia, quibus pro sua quisque civium conditione uteretur, variis eadem nominibus distincta. Sic *calceus*, *Mullaus*, *pero*, *phæcasium*, quibus

pes totus induebatur : *solea*, *crepida*, *bacca*, *sandalium*, denique *caligæ*, quæ plantam solum tuebantur, reliquum vero pedis nudum linquebant. *Caligæ* autem militibus erant propriæ. Sub iis infigebantur *clavi*, ne ascendentes, aut descendentes pessum irent. De *lunulâ* senatoribus propriâ loquemur sat. VII, v. 192.

249. *Sportula.*] Hic non centum quadrantes, ut sup. I, v. 95; sed cæna ipsa, cibaria, δειπνον ἐν σπυρίδι. — *Quanto celebretur.... fumo.* Hominum confluxu et studio petatur, quod ex fumo intelligitur, quem vides.

250. *Centum convivæ.*] Ad accipiendam sportulam. — *Sequitur sua quemque culina.* Hoc est, servus capite ferens foculos, vel calefactorios, ne, sportula accepta in transitu intepescat, aut frigescat.

251. *Corbulo.*] Vir fortis, et bellicis artibus clarus, qui Neronis tempore floruit. De eo Tacit. lib. XIII. *Corpore ingens, verbis magnificus, super experientiam, sa-*

Impositas capiti, quas recto vertice portat  
 Servulus infelix, et cursu ventilat ignem.  
 Scinduntur tunicæ sartæ: modo longa coruscat  
 Sarraco veniente abies, atque altera pinum 255  
 Plaustra vehunt, nutant altæ, populoque minantur.  
 Nam si procubuit, qui saxa Ligustica portat  
 Axis, et eversum fudit super agmina montem,  
 Quid superest de corporibus? quis membra, quis ossa  
 Invenit? obtritum vulgi perit omne cadaver, 260

*pietiamque etiã specie inanium validus.*

253. *Et cursu ventilat ignem.*] Hoc est, in cursu exsuscitat ignem supponendum obsoniis, ne extingatur.

254. *Scinduntur tunicæ sartæ.*] In turbâ et tumultu lacerantur vestes nuper *sartæ*, quales servis ac pauperibus esse solent. — *Modo longa coruscat, etc.* Aliud impedimentum ac periculum, a plaustris per urbem vehementibus magnas moles. Cæterum, ex his Juvenalis querelis, Politicæ providentiam de circuitu libero ac tuto in urbe fuisse minimam apparet, etsi tamen huc spectat legis antiquæ fragmentum, quâ cautum est *ne quis interdium plostrum, post solem ortum, neve ante horam X diei, duceret* (Quâ horâ, Romani a negotiis cessabant, et post lavationem cœnam inibant.), *nisi ædium sacrarum ædificandarum, operisve publici faciendi, vel sacrorum ludo-*

*rum, triumphorumque causâ.* Vid. Maittair. an. 1738. Conrad. in Parergis, et Mazocch. ad tabul. Heracl. Lex illa temporibus Juvenal. obliterata, a Trajano fuit renovata, et deinde ab Hadriano, teste Spartian. cap. 22. — *Coruscat.* Ulro citroque movetur, tremat, nutat.

255. *Sarraco.*] Est genus essedi, ceu vehiculi longioris, ad onera deportanda. Gall. *une charrete.* Senec. lib. XIV, epist. 2. *Longo vehiculi ordine pinus aut abies deferebatur, vicis timentibus.*

256. *Altæ.*] Scil. abies et pinus.

257. *Saxa Ligustica.*] Marmor, quo omnis Alpium maritimarum tractus, totumque Ligusticum litus, præcipue vero Luna urbs Etruriæ, ejusque portus abundabant. Strab. V, p. 153 vel 222, vel 339. Plin. lib. XXXVI, 6 et 18.

258. *Super agmina montem.*] *Agmina.* Hominum turbam. — *Montem.* Hyperbolice, pro ingenti saxo.

V. 252. *Quas.* Rectius certe legeretur *quot*; sed, omnes codd. habent *quas*:

V. 255. *Sarraco.* Ita omnes codd. paucis exceptis, qui habent *serraco*.

More animæ. Domus interea secunda patellas  
 Jam lavat, et buccâ foculum excitat, et sonat unctis  
 Strigilibus, et pleno componit lintea gutto.  
 Hæc inter pueros varie properantur: at ille  
 Jam sedet in ripa, tetrumque novicius horret 265  
 Porthmea, nec sperat cœnosi gurgitis alnum  
 Infelix, nec habet, quem porrigat, ore trientem.  
 Respice nunc alia, ac diversa pericula noctis:

261. *More animæ.*] Ita corpus pauperis obteritur, ut de eo non sit plus quàm de anima, quæ nusquam videtur. — *Domus interea.* Lepido commento rem imaginemque exornat poëta, fingens, servum, qui sportulam petierit (sup. v. 253), tali plaustro, vel saxo obtritum periisse, et conservos, hujus calamitatis ignaros, ejusque adventum expectantes, cœnam balneumque parâsse domino, sportulam cum servo petenti.

262. *Et buccâ foculum excitat.*] Oris et buccarum spiritu ignem accendit.

263. *Strigilibus.*] Pro strigilibus, quo corpus radebatur, sudorque et oleum tergebantur. Hoc Apul. lib. Florid. graphice depingit. — *Componit lintea.* Ad siccandum corpus, post lavationem. *Gutto.* Postquam corpus lintheis siccatum erat, perfundebatur oleo odorifero, unguento guttatim effuso. — *Gutto.* Vasculo ad hos usus proprio.

264. *At ille, etc.*] Servus plaustro saxove obtritus.

V. 263. *Strigilibus.* Contractionem non admittunt quidam codd. et permulti: nam, nostrorum pars magna habet *strigilibus*: sed metrum, cum hoc verbo, laborat.

265. *In ripa.*] Acherontis et Stygis. — *Novicius.* Novissime, recens adventus.

266. *Porthmea.*] Charontem portitorem. Accus. græc. a πορθημῶς. — *Nec sperat, etc.* Quia mortuus est insepultus. Hanc autem salse de inferis opinionem ridet noster poëta, quam sic graviter describit Virg. Aen. lib. VI: Nec ripas datur horrendas, nec rauca fluenta

Transportare prius, quàm sedibus ossa quierunt.

Centum errant annos, volitantque hæc littora circum:

Tum demum admissi stagna exoptata revisunt.

— *Cœnosi gurgitis.* Stygis. — *Alnum,* cymbam ex alno arbore factam.

267. *Trientem.*] Charon, pro vecturæ pretio a mortuis trientem, sive tertiam assis partem exigebat. Hunc mortuis in os ingerebant, quasi Charonti dandum.

268. *Respice nunc alia, etc.*] Alia incommoda ex altitudine ædium, e quibus decidunt testæ,

Quod spatium tectis sublimibus, unde cerebrum  
 Testa ferit, quoties rimosa, et curta fenestris 270  
 Vasa cadunt; quanto percussum pondere signent,  
 Et lædant silicem. Possis ignavus haberi,  
 Et subiti casûs improvidus, ad cœnam si  
 Intestatus eas: adeo tot fata, quot illâ  
 Nocte patent vigiles, te prætereunte, fenestræ. 275  
 Ergo optes, votumque feras miserabile tecum,  
 Ut sint contentæ patulas defundere pelves.  
 Ebrius ac petulans, qui nullum forte cecidit,  
 Dat pœnas, noctem patitur lugentis amicum

vel dejiciuntur, potissimum noctu.

269. *Quod spatium.*] Subaudi sit a tectis sublimibus ad terram: nam, ut scribit Vitruv. *Cum aræ complanatæ recipere non possent tantam multitudinem ad habitandum in urbe, ad auxilium coacti sunt Romani ad altitudinem ædium devenire.*

270. *Curta.*] Mutilata, aut fracta.

272. *Ignavus.*] Negligens tui, incautus.

274. *Intestatus.*] Non prius condito testamento.

275. *Vigiles... fenestræ.*] Hoc est, conclavia, in quibus homines adhuc vigilant.

277. *Ut sint contentæ.*] Scil. fenestræ, seu potius homines, qui e fenestris aliquid defundunt. — *Pelves.* Proprie vasa ad lavandos

pedes. Hic aquam sordidam, urinam, et alia in his vasis contenta.

278. *Ebrius ac petulans, etc.*] Aliud malum nocte ambulanti bus imminet a juvene ebrio, in quem si incidas, pugnos, et contumelias experiri coges, si pauper fueris. Legitur autem ap. Suet. in Oth. Othonem solitum noctu vagari, atque invalidum quemque obviorum, vel potulentum corripere, ac distento sago impositum in sublime jactare. Nero quoque post crepusculum, accepto pileo, popinas inibat, circumque vicos vagabatur ludibundus; a cœnâ redeuntes verberare, ac repugnantes vulnerare, cloacisque demergere assueverat. Suet. Ner. 26. Tac. ann. XIII, 25. Dio et Xiphil.

279. *Dat pœnas.*] Adeo dis-

V. 271. *Vasa cadunt.* XII ex nostris codd. habent *vasa cadant*; quidam *vasa cadent*.

V. 277. *Defundere.* Ita optimi et antiquissimi XII ex nostris codd. Alii *diffundere*: quidam *effundere*.

Pelidæ, cubat in faciem, mox deinde supinus. 280  
 Ergo non aliter poterit dormire? Quibusdam  
 Somnum rixa facit: sed, quamvis improbus annis,  
 Atque mero fervens, cavet hunc, quem coccina læna  
 Vitari jubet, et comitum longissimus ordo,  
 Multum præterea flammaram, et aënea lampas. 285  
 Me, quem Luna solet deducere, vel breve lumen  
 Candelæ, cujus dispenso et tempero filum,  
 Contemnit. Miseræ cognosce proœmia rixæ,

cruciatur, si nemo ei obviam veniat, quem cædere possit, ut ne somnum quidem capiat. — *Noctem patitur, etc.* Non magis dormire potest, quàm Pelides, hoc est, Achilles, amici Patrocli mortem lugens ab Hectore interfecti, de quo Homer. II. ω, v. 10: Ἄλλοτ' ἐπὶ πλευρὰς κατακείμενος, ἄλλοτε δ' αὖτε Ἴππιος, ἄλλοτε δὲ πρηνῆς, τότε δ' ὀρθὸς ἀναστὰς.

281. *Ergo non aliter, etc.*] Verba poëtæ sermonem Umbricii interruptentis, vel potius Umbricii ipsius se interrogantis. — *Quibusdam somnum rixa facit.* Responsio.

282. *Improbus annis.*] Audax propter juvenile robur.

283. *Cavet hunc.*] Cavet ne la cessat eum, quem coccina læna, etc.

id est, præpotentem et divitem. — *Coccina.* Coccus granum est, ex quo macerato fit color eximii ruboris. — *Læna.* Vestis lanea, purpurea augurum, senatorum, militum propria.

285. *Multum flammaram.*] Faces multæ prælatæ. — *Aënea lampas.* Divites et præpotentes antecedebant servi, qui candelabra aënea ferrent accensa.

287. *Cujus dispenso.*] Cujus funiculum dispono, ne citius absumatur, aut extinguatur. Bene poëta exprimit ridiculam pauperis industriam in parcimonia rerum: solent enim pauperes digitis extendere candelam, quasi non plus sit arsurum, quàm ipsi digitis extenderent. Britan.

288. *Proœmia.*] Proœmium est proprie initium symphonix a

V. 285. *Aënea.* Ita omnes fere nostri codd. non *ænea*: nam, vox aënea quadrilitera est; nec, hoc loco, metrum laborat. Vid. Gell. II, 3. Drakenb. ad Sil. V, 606. interpp. Horat. od. I, 33, 11. et Virg. Georg. I, 296. etc.

V. 288. *Proœmia.* Ita scribendum; non *premia*, vel *præmia*, quæ est scriptura vitiosa codd. Quod mendum forte accidit, propter com-



Si rixa est, ubi tu pulsas, ego vapulo tantum.  
 Stat contra, starique jubet: parere necesse est. 290  
 Nam quid agas, cum te furiosus cogat, et idem  
 Fortior? Unde venis? exclamat: cujus aceto,  
 Cujus conche tumes? quis tecum sectile porrum  
 Sutor, et elixi vervecis labra comedit?  
 Nil mihi respondes? aut dic, aut accipe calcem. 295  
 Ede ubi consistas? in qua te quæro proseucha?

πρὸ, ante, et αἴμη cantus. Citharædi enim levioribus modulis præludunt, et quasi præparant se.

289. *Si rixa est, etc.*] Mutua enim altercatio, et utrimque pugna requiritur, ut rixa vere dicatur.

291. *Et idem fortior.*] Ad hoc recte monet Hesiod. Ἔργ. v. 210:

Νῆπιος ὅσγ' ἐθέλει πρὸς κρείσσονας  
 ἀντιφερίζειν.  
 Νίκης τε εἴρεται πρὸς τ' αἴσχεσιν  
 ἄλγεα πάσχει.

292. *Exclamat: cujus aceto, etc.*] Insultat pauperi, quasi vilissimis alicubi cibus onusto. — *Aceto.* Vino acido et vapido.

293. *Cujus conche tumes?*] Fabis in siliquis coctis, usque non oleo unctis, sed aceto conspersis. — *Conchis* autem, fabæ genus, quæ, elixa cum cortice, pauperibus cibus erat. — *Tumes.* Apposite dictum, nam fabæ inflant ventrem. — *Sectile porrum.* Antiqui ita porri naturam distinxerunt, ut alterum sectile, alterum capitatum appellarent. Vid. Plin.

lib. XX, cap. 6. De *sectile*, quod facile scinditur, quodque vilius erat (Gallis *Pail* ou *Péchalotte*), loquitur poëta.

294. *Labra vervecis.*] Caput vervecinum, quod in apophoretis, inter cætera munera mittebatur pauperibus. — *Vervex* autem, quasi cui natura versa, aries castratus.

295. *Accipe calcem.*] Ictum calcis, quod non solum turpe, sed et molestum erat, propter clavos infixos.

296. *Proseucha.*] Græc. προσευχή, proprie preces, per metonym. locus precibus ad Deum fundendis idoneus, et præcipue synagoga, ubi Judæi legis interpretationes audire, et sacra precesque ter singulis diebus facere sueverant. Notatur autem, hoc loco, petulantia juventutis Romanæ, quæ, nocturnorum grassatorum more, obvios quosque ingenuos homines et oives, pro Judæis in summo contemptu tunc temporis habitis, insolenter tractabat, ictibusque plectebat.

pendium: in multis enim codd. reperitur *pmia*, cum lineolâ (—) supra, vel infra posita; unde inepti librarii legerunt *præmia*.

V. 293. *Conche.* Plerique codd. *concha*. At rectius, qui legunt *conche*.

Dicere si tentes aliquid, tacitusve recedas,  
Tantumdem est : feriunt pariter : vadimonia deinde.

Irati faciunt. Libertas pauperis hæc est :

Pulsatus rogat, et pugnâ concisus adorat, 300

Ut liceat paucis cum dentibus inde reverti.

Nec tamen hæc tantum metuas : nam, qui spoliât te,

Non deerit, clausis domibus, postquam omnis ubique

298. *Vadimonia deinde, etc.* ]  
Clamant adeo, se a te læsos et injuria affectos, et litem intendunt.  
— *Vadimonia faciunt.* Proprie, jubent te, datis vadibus, ad diem certam, ea de re, ad dicendum in jus adire.

299. *Libertas pauperis hæc est.* ]  
Hoc εἰρωνικῶς dictum.

300. *Adorat.* ] Instanter orat.

301. *Ut liceat paucis cum dentibus, etc.* ] Beneficii loco habent pauperes, quòd iis non omnes excutiuntur dentes.

302. *Nam qui spoliât te, etc.* ]  
Optime, et festivius, meo judicio, locum hunc sic imitatus est, atque amplificavit *Boileau*, sat. VI, v. 82 et seqq.

Car, sitôt que du soir les ombres pacifiques

D'un double cadenas font fermer les boutiques ;

Que, retiré chez lui, le paisible marchand

Va revoir ses billets et compter son argent ;

Que dans le Marché-Neuf tout est calme et tranquille ;

Les voleurs à l'instant s'emparent de la ville.

Le bois le plus funeste et le moins fréquenté

Est, au prix de Paris, un lieu de sûreté.

Malheur donc à celui qu'une affaire imprévue

Engage un peu trop tard au détour d'une rue !

Bientôt quatre bandits lui serrant les côtés,

La bourse ! . . . Il faut se rendre ; ou bien non, résistez,

Afin que votre mort de tragique mémoire,

Des massacres fameux aille grossir l'histoire.

Pour moi, fermant ma porte, et cédant au sommeil,

Tous les jours je me couche avecque le soleil.

Mais en ma chambre à peine ai-je éteint la lumière,

Qu'il ne m'est plus permis de fermer la paupière :

Des filoux effrontés d'un coup de pistolet,

Ebranlent ma fenêtre, et percent mon volet : etc.

Immutatam in melius nunc urbis Lutetiæ faciem reperiret nos-

ter poëta : nam, nostris temporibus, et providentia principum,

et, politiæ vigilantia, et lampa-

V. 297. *Tentes.* Codd. quidam, et antiquiores, habent *temptes*. Quæ forte scriptura veteri Gallicæ linguæ debetur, in qua sæpe littera *p* jungitur cum littera *m*. Dicebatur enim *Dampmartin*, pro *Dammartin*, *dampnation*, pro *damnation*, etc. F. D.

Fixa catenatæ siluit compago tabernæ.

Interdum et ferro subitus grassator agit rem, 305

Armato quoties tutæ custode tenentur

Et Pomptina palus, et Gallinaria pinus.

Sic inde huc omnes tanquam ad vivaria currunt.

Quâ fornace graves, quâ non incude catenæ ?

dum accensarum inventione, eo tutior est noctu illa civitas, quo antea periculosior fuit. A.

304. *Compago.*] A *compingendo*, est combinatio ex asseribus, in taberna meritoria. — *Catenatæ.... tabernæ.* Catenis firmatæ adversus expilatores, vel petulantes, qui tabernas noctu effringere solebant, et, in his, ipsum Neronem. Vid. Suet. et Tacit. loc. præcit.

305. *Grassator.*] A *grassari* quod est, supra modum sævire, unde grassatores dicuntur latrones. Horum autem multitudo et in Italia, et Romæ maxima erat. Suet. Aug. cap. 32 et 43. — *Ferro subitus.... agit rem.* Inopinantem invadit, spoliat, adacto in jugulum ferro.

306. *Armato quoties tutæ, etc.*] Quoties palus Pomptina, et *pinus*, silva pinorum Gallinaria dicta, loca insidiis latronum apta, ejectis latronibus tuta sunt, et armato milite occupantur, tum latrones Romam petunt, et currunt velut ad vivaria.

307. *Pomptina palus.*] Hodie *paludi Pontine, les marais Pontins,*

inter Nymphæum et Ufentem fl. sita, inter Privernum, Terracina, Setiam, ab Astura ad Terracinam. Cùm autem in dies, crescentibus aquis, ex fluviis et torrentibus, qui ex montibus in planitiem defluunt, aër pestiferis inficeretur vaporibus; ingentes sumptus a Cornel. Cethego cos. an. V. C. DXC primum, a Jul. Cæsare, ab Augusto, Trajano, Theodorico, nostris deinde temporibus, a summis pontificibus Sixto V, et Pio VI in paludes siccandas impensi fuerunt; et nondum opus absolvitur. — *Gallinaria.* Silva inter Vulturum ac Literni ostia in Campania et sinu Cumano, et in eodem tractu, quo *Pomptina palus* sita. Ἰλη ἀνδροῦ καὶ ἀμμόδης, ἣν Γαλλινάριαν ὕλην καλοῦσι. Strab. V, p. 168.

308. *Ad vivaria currunt.*] Ad paratam escam: nam, vivaria dicuntur loca ubi animalia habentur ad saginandum.

309. *Quâ fornace, etc.*] Quâ in fornace, quâ in incude non conficiuntur catenæ, quibus grassatores constringantur? adeo tantus est eorum numerus.

V. 307. *Pomptina.* Codd. pars maxima habet *Pontina*. At excellentissimus cod. Puteanus, n° 7900 *Pomptina*, et alii tres quos secuti sumus.

Maximus in vinclis ferri modus, ut timeas, ne 310  
 Vomer deficiat, ne marræ, et sarcula desint.  
 Felices proavorum atavos, felicia dicas  
 Sæcula, quæ quondam sub Regibus, atque Tribunis  
 Viderunt uno contentam carcere Romam!  
 His alias poteram, et plures subnectere causas: 315  
 Sed jumenta vocant, et sol inclinat: eundum est.  
 Nam mihi commotâ jam dudum mulio virga  
 Annuit: ergo vale nostrî memor; et quoties te  
 Roma tuo refici properantem reddet Aquino,

310. *Maximus.... modus.*] Maxima copia ferri absumitur in vinclis fabricandis, adeo ut timeas ne brevi materia desit ad fabricandos vomeres, marras et sarcula.

311. *Marræ.*] Genus ligonis. — *Sarcula.* Ferramentum bicornis, quo commovetur terra, a sarriendo, vel fodiendo.

312. *Felices proavorum atavos.*] Præclare sui sæculi infelicitatem, cum priscis sæculis comparat.

313. *Sub regibus atque tribunis.*] Potestas suprema penes fuit primo reges, quod omnibus notum; deinde consules, demum tribunos plebis, post secessionem populi in montem sacrum. Horum tanta fuit in rebus gerendis auctoritas atque potentia; ut, post rempublicam eversam, titulum dignitatis adeo non respuerint Imperatores, sed et inter præcipuos annumeraverint, ita ut, per numerum annorum tribunitiæ suæ potestatis

suam dominationem computarent; quod patet ex numismatt. et inscripp. vett. A.

314. *Uno contentam carcere.*] Hic, de quo agitur carcer ab Anco Martio inchoatus, et a Servio Tullio sexto rege ad finem perductus, ideo Tullianus dictus fuit. Dicitur quoque Mamertinus, a L. Pinario Mamertino, qui hunc instaurandum curavit. *Cæterum*, inquit Sallust. *inculta tenebris et odore fædo, atque terribilis ejus facies fuit.* Extant adhuc vetustissimi illius carceris vestigia, super quæ sacrosanctam ædem, sub invocatione S. Josephi, erexerunt Christiani.

317. *Mulio.... Annuit.*] Scuticâ, vel flagello quassato signum dat.

319. *Refici properantem.*] Cupientem recreari. — *Tuo.... Aquino.* Latii novi oppido, nunc, sub eodem nomine noto. Hæc Juvenalis patriam satis aperte declarant.

Me quoque ad Elvinam Cererem, vestramque Dianam  
 Convelle a Cumis. Satirarum ego, ni pudet illas, 321  
 Adjutor gelidos veniam caligatus in agros.

320. *Elvinam Cererem.*] In agro Aquini proximo, fons erat nomine *Elvinus*, juxta quem Cereris templum, quam colebant Aquinates, ut frumenti inventricem, annonæque præsidem. Alii *Elvinam* putant Cererem dici, ab *cluendo*, hoc est, lavando, quòd sacris hujus Deæ initiandi lavarentur. Vet. schol. videtur eam deduxisse ab *Helviis*, seu *Helvis*, populis Galliæ, his dictis: « Namque apud « Aquinum colunt numina earum

« Dearum, quas colunt in Galliis. »

321. *Cumis.*] Quo Umbricius migrabat. — *Satirarum ego*, etc. Id est, ego ad te veniam, et in satiris scribendis, te juvabo, nisi illas satiras, ceu potius te ipsum auxilii mei pudet.

322. *Caligatus.*] Ut miles instructus, et acer vitiorum hostis. Turneb. Advers. lib. X, cap. 27. — *Gelidos.... in agros.* Aquini, quos gelidos vocat propter flumina, silvas, et colles.

---

## SATIRÆ QUARTÆ

### ARGUMENTUM.

VITAM CRISPINUS LAUDAT, VENTREMQUE NERONIS.

Hâc satirâ Flacci ingenium assecutus certe est, si non prætergressus Juvenalis. Tot enim facetiis et salibus, a principio ad finem usque sparsis conditur, tantaque contextitur arte illud opus, ut, nihil Aristarcho vel maxime severo, quod reprehendat, videbitur unquam. Quid, postquam in Crispinum invecus iterum est, qui mullum sex millibus H. S. emerat (v. 1—27), unde poëta occasionem sumpsit calvi Neronis, hoc est, Domitiani insectandi, et ridiculum patrum super rhombo pisce magnitudinis portentosæ consilium describendi; quid, inquam, hac ipsa descriptione jucundius? Et primum, invocantur Musæ, tanquam in re gravi (v. 34). Quid deinde festivius amicorum tyranni adumbratione? En *Pegasum* adverte, Lector, Urbis non præfectum, sed villicum, raptâ properantem abollâ (v. 75); *Crispum*, senem ingenio mitem, et dissimulatione tutum in aula (v. 81); *Rubrium*, improbissimum, atque offensæ veteris reum (v. 104); *ventrem Montani*, abdomine tardi, cujus lepida vicit de rhombo pisce sententia (v. 107 et 131); *Crispinum* eumdem matutino sudantem amomo, quantum vix redolent duo funera (v. 108); *Fuscum*, marmoreâ meditantem prælia villâ (v. 112); *Catullum*, cæcum, qui nunquam visæ flagrat amore puellæ, quiq; in lævam conversus admiratur rhombum illi dextrâ jacentem (v. 113); *Vejentonem* denique, divino quasi spiritu inflatum, et super rhombo vaticinantem. His adde Crispini insanam luxuriam, Domitiani Imp. sibi omnes terrarum orbis delicias vindicantis ridiculam tyrannidem (v. 28, 45, 136); ejusdem sævitiam et nugas (v. 73—103); servile quoque ingenium, et adulationem scitam hominum tam infimo, quàm summo loco natorum; et aulæ Domitiani, et consimilium ei

\*

104 SATIRAE QUARTAE ARGUMENT.

tyrannorum absolutissimam inde tabulam feres, propter quam,  
de nostro poëta dixit satiricus *Boileau*, *Arte Poët.* cantu II :

Soit qu'il fasse au conseil courir les sénateurs,  
D'un tyran soupçonneux pâles adulateurs,

. . . . .

Ses écrits pleins de feu, partout brillent aux yeux.

Satiram autem illam post mortem Domitiani scriptam ex  
versu 153 constat; sed, quo anno, non liquet. Cujus operis  
stylus, nihilominus argumento, quod sibi proposuit auctor,  
aptus atque conveniens.



---

---

## SATIRA IV.

RHOMBUS.

**E**CCĒ iterum Crispinus, et est mihi sæpe vocandus  
Ad partes, monstrum nulla virtute redemptum  
A vitiis, æger, solaque libidine fortis :  
Delicias viduæ tantum aspernatur adulter.  
Quid refert igitur, quantis jumenta fatiget 5  
Porticibus ? quanta nemorum vectetur in umbra ?

1. *Ecce.*] Exordium abruptum. Particulâ autem *ecce* utimur in rebus mirabilibus et improvisis. Sic Virgil. *Aeneid.* lib. II, v. 203 : *Ecce autem gemini a Tenedo, tranquilla per alta.*

— *Crispinus.* Idem, de quo jam locutus est, sat. I, v. 27 ; unde hoc loco, dixit *iterum.* — *Mihi.* A me.

2. *Ad partes.*] Operis mei, et in scenam quasi producendus. Metaphora ducta a comædiis, et scena, ubi personæ primas, secundas et tertias partes agere dicuntur.—*Nulla virtute redemptum a vitiis.* Qui nullam in se virtutem habet, quâ sese a vitiis, tanquam pretio redimat. Translatio a captivis et mancipiis, qui sunt in potestate dominorum, donec quovis pretio redimantur.

3. *Æger.*] Libidinibus enervatus, et debilis animo et corpore.

— *Solaque libidine fortis.* Ut ap. Senec. *Controvers.* lib. I, p. 62 : *Isti vulsi atque expoliti, et nusquam nisi in libidine viri.*

4. *Delicias viduæ, etc.*] *Adulter,* non scortator *tantum*, aspernatur voluptates Venereas cum viduis. Ideo autem aspernatur, quia voluptatis, non lucri gratia mœchatur, ut pauperes, qui viduas sectantur avaras, et quia, præsertim, Quod licet ingratum est, quod non licet acrius urit.

Ovid. *Am.* II, 19, 3 et seqq.

5. *Quantis jumenta fatiget, etc.*] *Exquisite,* pro quâ amplas habeat porticus. In immensis autem his porticibus, Romani æstivo pluvioque tempore, vel gestabantur a servis, vel jumentis essedo junctis vehebantur.

6. *Nemorum... in umbra.*] *Viridaria* et hortos intellige.

V. 1. *Et est.* Codd. permulti habent *adest*, quod eundem offert sensum ; sed nostra lectio doctior est. Subaudiri enim eleganter potest verbum *adest*.

V. 4. *Aspernatur.* Codex Pithoei legit *spernatur*, item Puteanus, et nonnulli ex nostris codd. ; quæ lectio forsân vera est, et mutata, quod non alius eo verbo usus est, cum tamen deponens esse possit, ab act. *spernere* deductum.



Jugera quot vicina foro, quas emerit ædes?  
 Nemo malus felix; minime corruptor, et idem  
 Incestus, cum quo nuper vittata jacebat  
 Sanguine adhuc vivo terram subitura sacerdos. 10  
 Sed nunc de factis levioribus: et tamen alter  
 Si fecisset idem, caderet sub iudice morum.  
 Nam quod turpe bonis, Titio Seioque, decebat  
 Crispinum. Quid agas, cum dira, et fœdior omni

7. *Jugera quot vicina foro.* ] Vet. schol. « Hortos aut spatia in suburbio. » Sic *forum*, hic pro *Urbe* dictum. Melius vero interpretantur, qui hæc de hortis, et domibus foro vicinis intelligunt: nam, inquit Plinius lib. XXIX, cap. 4, *hortorum nomine, in ipsa Urbe, delicias, agros, villasque possident. A.*

8. *Corruptor.* ] Stuprator, vel qui alios ad nequitiam abducit.

9. *Incestus.* ] Non is tantum, qui cognatis stuprum infert legibus moribusque vetitum; sed et qui Vestales, ac cæteros religioni consecratos polluit.—*Vittata... sacerdos.* Vestalis vittis redimita.

10. *Terram subitura.* ] Virgo Vestalis incesti convicta, ex instituto Tarquini Prisci (nam ex instituto Numæ virgis tantum cædebatur), Pontificum iudicio damnata, in campo scelerato viva defodiebatur. Id autem hoc modo fiebat: *Prope portam Collinam, intra Urbem, subterraneam domum, seu foveam extitisse (constat), in qua lectulus, et lucerna ardens, panis item, et aqua; lac etiam, atque*

*oleum parata erant. Illuc rea feretro inclusa deferebatur per forum, ac per scalas demittebatur, ante a ministris soluta, gravi et summo ubique silentio, atque horribili mœstitia.* Plutarch. vit. Num. Pomp.

11. *De factis levioribus.* ] Præ aliis faciioribus ejusdem Crispini.

12. *Sub iudice morum.* ] Domitianum designat, qui, quo facilius sibi invisos morte plecteret, *iudicis morum*, eundem ac Censoris titulum usupaverat; unde Martialis ejus adulandi causa dixit, lib. VI, epig. 4:

Censor maxime, principumque princeps.

Poëta autem respexit ad acerbam Domitiani censuram, et damnationem Corneliæ, de qua vid. Suet. Domit. cap. 8.

13. *Titio, Seioque.* ] Viris optimis et jurisconsultis, ut videre est in *L. Titius et Seius D. de heredibus*, et passim in jure civili.—*Decebat Crispinum.* His tangit Domitianum ipsum, qui corruptus ipse, incestus et adulter, in adulteros sæviebat, sed humiles.

14. *Quid agas.* ] Quid dices,

V. 13, *Seioque.* Codd. nostri, duobus exceptis, habent *Serioque*; male, nam notus est *Seius* (vid. comment.), et omnino ignotus iste *Serius*.

Crimine persona est? Mullum sex millibus emit, 15  
 Aequantem sane paribus sestertia libris,  
 Ut perhibent, qui de magnis majora loquuntur.  
 Consilium laudo artificis, si, munere tanto,  
 Præcipuam in tabulis ceram senis abstulit orbi.  
 Est ratio ulterior, magnæ si misit amicæ, 20  
 Quæ vehitur clauso latis specularibus antro.  
 Nil tale expectes: emit sibi. Multa videmus,  
 Quæ miser et frugi non fecit Apicius. Hoc tu

objicies. — *Dira. Dei ira nata.* Festus, in *Dirus*.

15. *Mullum.*] Mullus piscis marinus, Gall. *surmulet*, de quo fuse Plin. loquitur lib. IX, cap. 7. — *Sex millibus.* Subaudi sestertiis, nostræ monetæ 1175 fr. 928  $\frac{5}{81}$ .

16. *Aequantem sane, etc.*] Ironica hyperbole est, cum neget Plin. mullum inveniri, qui pondere duas excedat libras, multo minus sex. Horatius tamen ostendit trium librarum posse reperiri: dixit enim, lib. II, sat. 2, v. 33:

. . . . . Laudas, insane, trilibrem Mullum, in singula quem minuas pulmenta necesse est.

17. *Qui de magnis, etc.*] Adulatores scilicet et parasiti, qui scurræ Palatino et vernulæ Aegyptio parasituri, gravissimum piscis pretium elevaverint, mentito ejus pondere.

18. *Consilium laudo artificis, etc.*] Id est, non reprehenderem Crispini luxuriam, si mullum tanti

emptum dono misisset *seni orbo*, aut *magnæ*, hoc est, illustri et locupletæ matronæ, ut hereditatem, aut eorum gratiam captaret. — *Artificis. Crispini.*

19. *Præcipuam... ceram.*] Hereditatis partem præcipuam, in tabulis testamenti ceratis.

20. *Magnæ... amicæ.*] Vid. sup. sat. I, v. 37.

21. *Clausum... antro.*] Scilicet, lecticâ clausâ. Vid. sup. sat. I, v. 64. — *Latis specularibus.* Fenestris lecticæ obtendi solebant *specularia*, id est, quædam clathra e lapide pellucido, vitro, lino, papyro, etc. quæ lucem admitterent, excluso vento.

22. *Multa videmus.*] Crispinum fecisse.

23. *Apicius.*] Hoc nomine tres fuere helluones gulâ celebres. Primus stante republica, alter Augusto, Tiberioque Imp. tertius Trajano principe florebat. Horum celeberrimus secundus cujus forsitan hoc loco meminit

V. 18. *Si munere tanto.* Decem tantum e nostris codd. ita legant; alii omnes in *munere tanto*. Nos lectionem vulgatam servavimus, veluti metro convenientiorem. Forsan ita legendum esset, *si in munere, etc.*

Succinctus patriâ quondam, Crispine, papyro!

Hoc pretium squamæ! Potuit fortasse minoris 25

Piscator quàm piscis emi. Provincia tanti

Juvenalis, qui plures de paranda cœna libros, de juscillis quoque, et condiendis cibis edidit, ac præsertim de *gulæ irritamentis*; quique, cùm immensam summam devorâset, relictis sibi adhuc satis amplis opibus, laqueo sibi gulam fregit. Hunc Plin. vocat *Neptotum altissimum gurgitem*. — *Miser et frugi*. Εἰρωνικῶς, et si Crispino comparetur. A.

24. *Succinctus patriâ papyro.*] Tu olim servus e Niliaca plebe, et verna Canopi. Vid. sat. I, v. 26. *Papyrus* autem in Aegypto nascitur, ut docet Plin. lib. XIII, cap. 11. *Cujus radice pro ligno incolæ utuntur, nec ignis tantum gratia, sed ad alia quoque utensilia vasorum: ex ipsa autem papyro navigia texunt, et e libro vela, tegetes-*

*que, necnon et vestem* (unde, hoc loco, *succinctus patriâ papyro*), atque *stragula et funes*. — *Succinctus*. Nam servorum tunicæ, ubi ministrabant, non fibulâ, sed nodo quodam supra collum, vel humeros religari solebant. Similis est locus Anacreontis IV, 4 seq. qui forte Juvenalis oculis, vel menti obversabatur:

Ὁ δ' Ἔρωσ, χιτῶνα δῆσας  
Ἵπερ ἀχένοσ παπύρω  
Μέθυ μοι διακονεῖτω.

Al. Rup.

25. *Hoc pretium squamæ!*] Id amarè dictum. Hoc pretium, tanta summa a te, *squamæ*, id est, pro pisce squamoso datur! Vid. infr. var. Lect.

26. *Provincia tanti, etc.*] Sensus est: *provincia*, scilicet, extra Ita-

V. 24. *Patriâ*. Markland in epist. crit. p. 152, hunc locum sic emendat, et distinguit:

. . . . . Multa videmus,  
Quæ miser, et frugi non fecit Apicius: hæc tu  
Succinctus *Phariâ* quondam, Crispine, papyro!  
Hoc pretium squamæ! . . . . .

Et optimas affert rationes, quibus stabilire conatur hanc mutationem verbi *patriâ* in *Phariâ*. Sed perperam: et periit eruditio ejus: nam, omnes codd. et edd. habent *patriâ*, non *Phariâ*. Uno verbo, nobis videtur Markland eodem morbo irretitum fuisse, quo interpretes multi nostris temporibus, et præsertim *Dusaulx*, scil. cùm locum non intelligunt, lectionem sine ulla auctoritate mutant, atque ita nodum solvunt.

V. 25. *Hoc pretium squamæ*. Ita omnes nostri codd. præter vet. schol. qui legit: *hoc pretio squamæ*, hoc est, tanto *pretio squamæ piscis* a te emuntur, quanto piscator, etc. quam lectionem doctiorem judicat Al. Rup. Tanto melius! at, ego, non ei plaudo.

Vendit agros, sed majores Apulia vendit.

Quales tunc epulas ipsum glutisse putemus 28

liam, pro eodem pretio, agri et latifundia satis ampla emuntur; et Apulia, quæ est Italiæ pars, ampliores etiam tibi offert, atque vendit. Quare vero minoris quam alibi venduntur agri Apuliæ? An poëta respicit ad Apuliæ partem aliquam montibus asperam et sterilem, de qua Horat. loquitur lib. I, sat. 5, et Senec. epist. 87? An quòd Apulia infestatur a tabulo vento, qui plantas frigore adurit et devastat. Vid. Plin. lib. XVII, cap. 24. A. Gell. lib. II, cap. 22.

27. *Apulia.*] Sita est non procul ab ostio sinûs Adriatici, Dauniam inter et Calabriam. Hodie pars regni Neapolitani, vulgo *la Pouille*. Ad hæc, Henninius ita disserit: « Oblique vero taxat  
« Romanos, qui usque adeo ab  
« antiqua frugalitate Curiorum  
« et Fabriciorum desciverint, ut  
« susque deque habita agri co-  
« lendi ratione, præ nimio gulæ  
« luxu, piscem potius emerent, cu-  
« jus singulas libras, si modo adu-  
« latoria vanitate de magnis ma-  
« jora non fuerint dicta, venien-  
« tibus etiam in ponderis ratio-  
« nem *squamis*, et interaneorum  
« rejectaneis, singulis millibus  
« pensarent; quàm ut eo pretio  
« agrum sibi compararent, ad imi-  
« tationem priscorum illorum Ro-  
« muli nepotum, quibus dictato-

« res fortissimi et sapientissimi ab  
« aratro arcessebantur, quod et  
« conqueritur in *præf. ad lib. de*  
« *R. R.* Columella. Obiter etiam  
« vellicat superbum illud delica-  
« torum nepotum patrii soli fas-  
« tidium, qui non dubitabant plu-  
« ris emere agros in *provinciis*,  
« quàm ut *majores* fertilioresque  
« eodem pretio in ipsa Italia, in  
« fertili illa *Apulia* sibi compara-  
« rent. Legendum ergo in Juve-  
« nalesensu plano et obvio:

« . . . . . Provincia tanti  
« Vendit agros: et majores Apulia  
« vendit.

« Quòd de tanto pretio, quo em-  
« ptus est nullus a vernula illo  
« Aegypto, potuisset emi ager ali-  
« quis in provinciis; immo et in  
« fertili illa Italiæ regione, quam  
« *non piger Appulus arat*, ut cum  
« Horat. III, 16, 24, loquar, *ma-*  
« *jores* agros eopse pretio, quàm  
« in provincia emissas. Tangit  
« etiam obiter Appulorum gulam,  
« cui ut obsequerentur, agros suos  
« viliori pretio vendebant. » Vid.  
infr. var. lect.

28. *Glutisse.*] Ingurgitasse, devorasse. Jam ipsum Imperat. Domitianum aggreditur. Recte autem *glutire*, ut infra *ructarit*, de homine guloso, qui ita se cibis exonerat, ut postea *ructare* coactus sit.

V. 27. *Sed majores Apulia vendit.* Ita legunt omnes nostri codd. Henninius corrigendum proposuit *et pro sed* (vid. comment.); quod inutile nobis visum est: nam *et pro sed*, et vice versa *sed pro et* interdum sumi apud optimos auctores, omnibus notum est.

## Endoperatorem? cùm tot sestertia, partem

29.

29. *Endoperatorem.*] Vid. infr. varias lection. — *Cùm tot sestertia.* Sestertius minuta moneta argentea quartam partem denarii romani referens, ceu asses duos cum dimidio. Sic notatur H. S. id est, *dupondium*, seu duo pondera cum semi supra. Apud scriptores fere semper plurali numero reperitur; ita, ut, pro *sestertii*, inusitato, dicatur *sestertia*, *sestertiorum* et *sestertiùm*. — *Sestertia*, *sestertiùm*, moneta rationaria mille parvos referens nummulos, quos supra sestertios vocavimus. Ita, quotiescumque hanc vocem cum numero quovis conjunctam videris, semper *millia* subaudies: sic *decem sestertia*, idem ac decem millia sestertiùm. *Centum sestertia*, idem ac centum millia sestertiùm. *Millia sestertia*, ceu potius decies

H.S. idem ac decies centena millia sestertiùm, un million de sesterces. Si doctissimo viro Gassendi fidem adhibeamus, *as* romanus tempore ipsius æstimabatur in Gallia novem tantum denariis francicis (uncia argentea septuaginta solidis Turonicis constante), et sestertius uno solido decem denariis cum dimidio. Nunc, (eadem uncia argentea lege lata die 17 mens. germinal. an. XI, 7 april. MDCCCLIII, 6 fr. 172  $\frac{68}{67}$  constante) *as* romanus æstimandus est 1 s.  $\frac{47}{80}$ , et *sestertius* 3 s.  $\frac{31}{32}$ . Quod si ad tabulam insequentem oculos dejicere volueris summas romanas ad nuperas nostras, quantum potuit accuratius, ab uno sestertio ad decies centena millia, æstimatas reperies. Quod, forte, non inutile erit.

As reductus. (uncia cuprea, 30 gram. 5941 $\frac{2}{13}$ ).	o fr. 078 $\frac{32}{81}$
SESTERTIUS (entre 17 et 18 grains d'argent; entre 0. gr. 9029 $\frac{445}{823}$ et 0 gr. 9560 $\frac{568}{823}$ ). . . . .	o 195 $\frac{80}{81}$
X. Sestertii. . . . .	1 959 $\frac{71}{81}$
C. Sestertii. . . . .	19 598 $\frac{62}{81}$
M. Sestertiùm, seu mille sestertii. . . . .	195 987 $\frac{53}{81}$
X.H.S. Decem millia sestert. . . . .	1959 876 $\frac{44}{81}$
L.H.S. Quinquaginta mill. sestert. . . . .	9799 382 $\frac{58}{81}$
C.H.S. Centum mill. sestert. . . . .	19598 765 $\frac{34}{81}$
IV.C.H.S. Quadringenta mill. sest. (cens. eq.)	78395 061 $\frac{59}{81}$
V.C.H.S. Quingenta mill. sestert. . . . .	97993 827 $\frac{13}{81}$
X.H.S. Decies centena mill. sest. (cens. senat.)	195987 654 $\frac{26}{81}$

Cætera monetæ signatæ sunt, supra sestert. DENARIUS argent. 1 gros, vel 3 grammes 9204  $\frac{19}{104}$ . Constat 15 sol.  $\frac{7}{6}$ , vel o fr. 783  $\frac{77}{81}$ . (taillé 96 à la livre de 12 onces), QUINARIUS, seu *Victoriatius*,

V. 29. *Endoperatorem.* Imperatorem. Ex recensione Al. Rup. scripsimus *Endoperatorem* pro *Induperatorem*, quam lectionem male auctores medii ævi priori substituerunt: nam veteres Romani pro *in* vel *in* legebant, *endo*, ut Græci ἐνδοϋ. Vid. Fest. voc. *endostruere*, *endoitio*, *endoplorato*, etc.

## Exiguam, et modicæ sumptam de margine cœnæ, 30

dimidia pars Denar. o fr.  $396 \frac{72}{81}$ .  
**NUMMUS AUREUS** (*taillé 45 à la liv. de 12 onces*) 1 gros 67 à 68 grains, vel 7 gramm.  $4525 \frac{13}{25}$  constat 19 l.  $\frac{27}{2}$ , vel 19 fr.  $29 \frac{1}{81}$ . Monetæ autem infra assem sunt. *Quadrans, triens, semis, etc.* de quibus vid. sup. sat. I, v. 40. Cæterum, istæ monetæ respectu tantum materiæ ac ponderis ad nostram comparantur, non autem pretii et commercii: nam, cuilibet attentius perpendenti ingentes Romanorum divitias, cum summarum, tum in nostro auctore, tum in aliis relatarum tenuitate, apparebit, easdem in auro argentoque signato non tam constitisse, quàm in veris et naturalibus divitiis, scil. agris amplis, servorum copiâ, pecoribus, villis, domibus, signis, tabulis, gemmis, vestibus, etc. præterea, monetæ usum fuisse tunc multo rariorem, quàm nostris temporibus, quibus et Americæ, et Indiæ Orientalis investigatio, adeoque commercii maxima extensio, et frequens productionum regionum quarumque permutatio, nos, præter aurum argentumque signatum, signa fictitia creare coëgit, ut, ea quæ recentiores vocant *billets à ordre, bons au porteur, lettres de change, billets de banque, rentes perpétuelles et viagères*, et alia hujus generis. Quæquidem, quanquam æque ac antea naturæ bona repræsentant, non eorum summam adaugent: unde fit, ut, ille qui olim quingentos, sexentosve servos habuerit, et agros amplissimos, et latifundia, reipsa ditior esset, cum censu

tantum equestri, summa modica, præilla nostrorum divitum, quàm qui nunc fundi 1500000 l. possidet: quod satis historiâ comprobatur. Scil. in Evangelio, Judas Salvatorem prodidit pro triginta denariis (24 l.), quibus ab eo reditis, Judæi agrum emerunt ad sepulturam peregrinorum. Alicubi memini me legisse bovem duobus tantum denariis Tib. Imp. constitisse. Satirâ I, Juvenalis exclamat: *Simplexne furor sestertia centum millia perdere*; hodie, et quaque horâ vespertinâ, in ludis publicis, viginti aleatores multo ampliores summas perdunt, et nemo propterea debacchatur. Olim merces lavationis in balneis erat quadrans: hodie, 5 vel 6 s. Hoc loco, dicit Juvenalis de Crispino, *Mullum sex millibus emit*; et addit, v. 25, *potuit fortasse minoris piscator, quàm piscis emi. Provincia tanti vendit agros; sed majores Apulia vendit*. Hodie demum, vix duo jugera, pro eodem pretio haberes, multo minus agros. Ex his, et similibus infero: et divitias Romanorum ad nostras collatas circiter accedere sicuti numerus 20 ad unitatem; et, vice versâ, signa monetaria sicuti unitas ad numerum 20; ita, ut, Lucullus homo privatus, cui census senatorius contigisset, montes aperuerit, lacus siccaverit, ad extruendas villas; ad quæ opera perficienda nostri nunc reges, cum reditu annuo totius regni vix sufficerent. — *Cum tot sestertia. Ferculum tot sestertiis emptum. A.*

30. *Exiguam (partem) et modi-*

Purpureus magni ructârit scurra Palatî,  
 Jam princeps equitum, magnâ qui voce solebat 32  
 Vendere municipes fractâ mercede siluros?

cæ, etc.] Sensus est : quæ tamen Crispini dapes, et sumptuosa convivium, si cum epulis Domitiani conferantur, non erunt, nisi pars exigua duntaxat, et ultima, atque veluti *margo* cœnæ et mensæ Imperatoriæ. — *Sumptam de margine cœnæ*. Ferculum minus in margine, non majus, in media cœna convivis appositum.

31. *Purpureus.... scurra Palatî.*] Crispinus aulæ parasitus, adulator, risûs captator. Vid. sat. I, v. 27.

32. *Jam princeps equitum.*] Ex ἰχθυοπώλα eques factus. Hic, *princeps equitum*, non *magister equitum*, ut vult vet. schol. neque, ut alii interpretantur, *princeps juventutis*; sed unus ex primis equitibus, propter divitias suas, et gratiam Domitiani; vel relatus inter *illustres equites*, de quibus vid. Ryck. Lips. et Ernesti ad Tacit. Annal. II, 59 et XI, 4. A.

33. *Municipes.... siluros.*] Siluri pisces erant viliores fluminis Nili. Hos ideo *municipes* vocat, quòd ex eadem, quâ ipse Crispinus, regione essent oriundi. — *Fracta mercede*. Hæc phrasis inusitata, propter obscuritatem suam, multiplices secum attulit explicationes. Plerique interpp. textum mutaverunt. Alii *pacta mercede*,

id est, quos non sibi vendit, sed aliis, pacto ante sui laboris pretio. Alii, *facta mercede*, eodem fere sensu. Quidam, ex conjectura Salmasii, legerunt *Phariâ de merce*; quoniam, ut ille inquit, in quibusdam legitur *farta de merce*, unde *Faria*, ceu potius *Pharia* conjicio, mutato: imperitia librariorum, τῶ i in t. quod sæpe accidit; et idem interpretatur *Pharia de merce*, id est, Aegyp-tia: et certe, Aegyptius erat Crispinus. Sic ante, v. 24, dixit, *succinctus patria papyro*. Ingeniosa sane est hæc Salmasii conjectura; sed mera conjectura, nec veritatis loco recipienda: nam omnes fere codd. habent *fracta mercede*, quod sic veteres glossæ interpretantur: « *Fracta mercede*, « defraudata, mutilata, quia non « tantum ei dabatur, quantum « poscebat ». Vet. schol. Pithoei Lubinus et Autumn. « *Fracta de* « *merce* (quidam codd. ita quo- « que legunt), id est, fracto vase « sardarum ejusdem municipii, « unde ipse Aegyptius ». Farnab. e fracto vase, vel aliena merce subreptos. Gronov. siluros chartaceo cucullo involutos, qui raptus erat. Alii, aliter. Nos primæ vett. Glossarum interpretationi arridemus, ut sit sensus: *fracta*

V. 31. *Ructârit*. Triginta fere codd. habent *Ructaret*. Sed illud parvi refert.

V. 33. *Fractâ mercede*. Hanc lectionem revocavi, ex nostris codd. At vid. comment.

Incipe, Calliope, licet hîc considerare : non est  
 Cantandum, res vera agitur. Narrate, puellæ 35  
 Pierides : prosit mihi vos dixisse puellas.  
 Cùm jam semianimum laceraret Flavius orbem  
 Ultimus, et calvo serviret Roma Neroni ;  
 Incidit Adriaci spatium admirabile rhombi

*mercede*, mutilata, adeoque minima, id est, pro vilissimo pretio, à très vil prix. Quæ explicatio et simplex, et auctoritate codd. fulta, et huic loco aptissima nobis videtur. A.

34. *Incipe, Calliope.*] Ironice pariter et facete invocatur Musarum principem, et Heroïci carminis præsidem, ad describendam rhombi magnitudinem, et Domitiani voracitatem. Similiter Homer. Batrach. v. 1, et seqq. et Horat. lib. I, sat. 5, v. 51. — *Licet hîc considerare.* In re gravi, non est leviter agendum, sed attentius considerandum. — *Non est cantandum.* Ut in re ludicra, aut fabulosa, quæ a poëtis decantari solet. Simili modo nostri dicunt, *ce ne sont point là des chansons.* A.

36. *Pierides.*] Notissimum Musarum nomen, a monte Pierio iis sacro. — *Prosit mihi vos dixisse puellas.* Propitiæ mihi sitis, quòd vos dixerim *puellas*; et id honori habeatis, cùm tam rara sint nunc castæ virginitatis exempla, cùmque jam pro ætate vestra, et amore poëtarum in vos, vestræ virginitati difficilius sit fidem adhibere. Ratio lepidissima.

37. *Cùm jam semianimum, etc.*]

Magnificum exordium, quasi grandia narraturi.—*Semianimum... orbem.* Romam orbis dominam Domitiani sævitia oppressam. — *Flavius... ultimus.* Domitianus Imp. postremus e gente Flavia. Tres fuere Imperatores ex ea gente, obscura quidem, et sine imaginibus, at reipublicæ nequaquam pœnitenda, ut ait Suet. Vespas. c. 1. Scilicet, Vespasianus, Titus, et Domitianus. Ille tamen ultimus tantopere a placidis patris sui ac fratris moribus desciverat; ut de iis Martialis, ait vet. schol. sed poëta alius, ut quidam volunt (de quo vid. Wernsdorf in poët. latin. min. tom. III, p. 95), dixerit :

Flavia gens quantum tibi tertius abstulit heres !

Pæne fuit tanti non habuisse duos:

38. *Calvo... Neroni.*] Domitiano scilicet, quem a morum similitudine appellat Neronem. Hoc uno tantum ille dissimilis, quòd calvus esset; qui quidem calvitio sic offendebatur, ut in contumeliam suam traheret, si cui alii calvities, vel joco, vel jurgio objectaretur. Ita Suet. Domit. cap. 18.

39. *Incidit (et infra) implevitque sinus.*] Phrasis ordo est : *spatium*

V. 39. *Adriaci.* Docti interpretes permulti hæc verba *Adriaci*, ut *Iberia, Asdrubal, Amilcar, Annibal*, etc. cum aspiratione *H* scribi volunt



Ante domum Veneris, quam Dorica sustinet Ancon,  
 Implevitque sinus: neque enim minor hæserat illis, 41  
 Quos operit glacies Mæotica, ruptaque tandem  
 Solibus effundit torpentis ad ostia Ponti  
 Desidiâ tardos, et longo frigore pingues.  
 Destinât hoc monstrum cymbæ linique magister 45  
 Pontifici summo. Quis enim proponere talem,

*admirabile rhombi*, pro rhombus immensæ magnitudinis incidit in rete piscatoris cujusdam, atque illud implevit. — *Adriaci...* *rhombi*. Piscis in Adriatico mari nutriti et capti, quod est Italiam inter, Illyricum et Græciam, hodie *le golfe de Venise*. — *Spatium admirabile*. Exquisite, pro ingens et incredibilis magnitudo rhombi. — *Rhombi*. Ignotum piscis genus, quem putant esse nostrum *turbot*. Plin. lib. IX, cap. 20: *Marinorum piscium, inquit, alii sunt plani, ut rhombus, cui situs dexter resupinatus est, etc.*

40. *Ante domum*.] Ante templum. — *Dorica.... Ancon*. Ancon (Græc. Ἀγκών, hodie *Ancone* portus et urbs) dicitur *Dorica*, id est, Græca, per Synecdochen, quod Syracusani a Græcis oriundi Dionysium tyrannum fugientes, eam condidere, in agro Piceno; atque, ut Pomp. Mela scribit, in angusto duorum promontiorum sinu, in modum cubiti coëuntium, unde *Ancon* fuerit appellata.

41. *Neque enim minor, etc.*]

*Hadriaci, Hannibal, etc.* propter auctoritatem codd. et nummorum: sed auctoritas illis par est, qui sine aspiratione dicunt Ἀδρίακας, Ἰβηρία, Ἀννίβας, Ἀσδρούβας, etc.

V. 43. *Ostia*. Male quidam codd. *hostia*.

Rhombus iste, qui hæserat reti- bus, non erat magnitudine inferior illis, qui detinentur in fundo paludis Mæotidis, quamdiu gelu constricta est, ac inde exeuntes, rupta glacie, solis ardore, postea natant in Ponto Euxino, tardi et pingues, ob longam desidiam.

42. *Glacies Mæotica*.] Mæotis palus (hodie *mer de Zabache*) est, quam efficit Tanais Fluvius, inter minorem Tartariam Europæ, et Circassiam Asiæ partem; cum ille Euxino mari, per Bosphorum Cimmerium connectitur. Illuc Boreas plurimam convehit glaciem.

43. *Solibus*.] Solis ardore. — *Ponti Euxini*, scil. qui olim vocabatur ἄξένος, inhospitalis. Idem Amazonius, Scythicus, Tauricus, Colchicus, Sarmaticus dictus est, nunc *mare nigrum*, inter Thraciam, Sarmatiam, et Asiam minorem. — *Torpentis*. Prope stagnantis, vel gelidi.

45. *Lini*.] Retis, ex lino confecti.

46. *Pontifici summo*.] Ipsi Do-

Aut emere auderet, cùm plena et littora multo  
 Delatore forent? dispersi protinus algæ  
 Inquisitores agerent cum remige nudo,  
 Non dubitaturi fugitivum dicere piscem, 50  
 Depastumque diu vivaria Cæsaris, inde  
 Elapsum, veterem ad dominum debere reverti.  
 Si quid Palfurio, si credimus Armillato,  
 Quidquid conspicuum, pulchrumque est æquore toto,

mitiano. Solebant enim Cæsares summi Pontificis dignitatem cum Imperatoria jungere. Vulgo putant poëtam hoc loco respexisse ad sacerdotes Albanos, quorum quasi Pontifex Maximus fuerit Domitianus; sed, rectius mentem ejus cepit Grangæus, qui monet signanter illum *Pontifici* dixisse, ut tangeret *Pontificum cænas*, ex quarum luxu proverbium natum.

47. *Cùm plena... forent, etc.*] Graphica imago delatorum, et gulosi principis, verbis aptissimis depicti.

48. *Algæ inquisitores.*] Delatores ipsam quoque algam explorantes, ne piscator in ea lateret. — *Algæ.* Alga, herba marina satis nota. Hic forsitan *Alga*, pro littore sumitur.

49. *Agerent.*] Piscatorem reum protinus agerent, ac raperent in jus, quasi piscem e vivariis Cæsaris elapsum expiscatus esset. — *Cum remige nudo.* Cum paupere piscatore, ac misero, cui res om-

nis in solo remige, cymba, ac reti constat.

51. *Vivaria.*] Vid. sup. sat. III, v. 308.

53. *Si quid Palfurio.*] Vet. schol. « Palfurius Consularis in agone, « cum virgine Lacedæmonia, sub « Nerone luctatus est. Post inde, « a Vespasiano senatu motus, « transivit ad Stoicam sectam, in « qua, cùm prævaleret et eloquen- « tiâ, et artis poëticæ gloriâ, abu- « sus familiaritate Domitiani, « acerbissime partes delationis « exercuit; quo interfecto, sena- « tu accusante, damnatus est: « cùm fuissent inter delatores « potentes apud Domitianum, et « hi Armillatus, Demosthenes et « Latinus Archimimus, sicut Ma- « rius Maximus scripsit. » — *Ar- millato.* Hujus quoque meminit Suet. vit. Domit. cap. 13. De talibus delatoribus, et patriam tyranno vendentibus, non male dicebat Demosthenes orator: *Ce sont des hommes sur le front desquels on croit lire en gros caracteres:*

A LOUER, A VENDRE.

V. 54. *Est æquore.* Quidam codd. et edd. prisc. *ex æquore.* Alii, sed vitiose, metri causâ, *in æquore.* Sed hoc parvi refert.

Res fisci est, ubicumque natat. Donabitur ergo, 55  
 Ne pereat. Jam letifero cedente pruinis  
 Autumno, jam quartanam sperantibus ægris,  
 Stridebat deformis hyems, prædamque recentem  
 Servabat: tamen hic properat, velut urgeat Auster.  
 Utque lacus suberant ubi, quanquam diruta, servat 60

Quot sunt nostris temporibus istis similes! A.

55. *Fisci.*] Vulgo ærarium principis, proprie calathum vimineum, ceu corbis, et sporta, in qua pecunia reponebatur. — *Donabitur ergo, ne pereat.* Quod retineri non potest, inquit piscator, donabitur cito et libenter, ne vi abripiatur, sicque ne meæ *pereat* obedientiæ meritum. Al. Rup. hæc verba vult esse poëtæ notantis iniquam legum jurisque fiscalis interpretationem; et suadentis, ut piscis captus non vendatur, sed donetur Cæsari, qui etiam ea, quæ jure naturali communia sunt, sibi vindicet, *ne pereat*, scil. piscator. At illa interpretatio nobis longius petita videtur. A.

56. *Jam letifero.... Autumno.*] Oratio insurgit, more poëtarum satiricorum, quoties res de quâ agitur, poëticam tractationem admittit. — *Letifero.* Letifer autumnus, quia frequentes excitat morbos. — *Cedente pruinis.* Hyemi, dum ab iis excipitur.

57. *Quartanam.*] Febrim. —

V. 57. *Autumno.* Scribit Al. Rup. *auctumno*, quia, inquit, vox descendit ab *augere*, ut et *auctor*, *auctoritas*. Vulgatam tamen scripturam retinimus.

V. 58. *Hyems.* rectius scribitur, quàm *hiems*; venit enim a græco ἵω, *pluo*. F. D.

*Sperantibus.* Expectantibus. Verbum sperare, hoc loco expectationem timore immixtam indicat. Quidam hujus verbi genuinam et propriam significationem retinendam contendunt, quasi dixisset: ægris sperantibus morbos letiferos, quos autumnus attulerat, in quartanas febres multo minus periculosas, esse abituros.

59. *Auster.*] Ventus meridionalis tepescens atque humidus, carnes et opsonia facile corrumpens. Cæterum, nocens, ac morbos facile afferens; de quo Horat. lib. II, od. 14:

Frustra per autumnos nocentem  
 Corporibus metuemus Austrum.

60. *Utque lacus suberant.*] Cùm piscator et inquisitores, vel illi, qui eum comitati fuerant, lacus et montes Albanos transivissent, et pergerent ad Domitianum, etc. *Quanquam diruta.* Alba ab Ascanio Aeneæ filio condita, a Tullo Hostilio diruta fuerat, soloque adæquata, exceptis tamen templis ubi Vesta colebatur, et sacer ignis servabatur. Ibi quoque villam Domitianus habebat sub col-

Ignem Trojanum, et Vestam colit Albā minorem,  
 Obstitit intranti miratrix turba parumper.  
 Ut cessit, facili patuerunt cardine valvæ.  
 Exclusi spectant admissa opsonia patres.  
 Itur ad Atridem. Tum Picens, accipe, dixit,  
 Privatis majora focus: genialis agatur  
 Iste dies, propera stomachum laxare saginis,  
 Et tua servatum consume in sæcula rhombum.  
 Ipse capi voluit. Quid apertius? et tamen illi

65

libus Albæ sitam; quo secessu adeo delectabatur, ut eam quasi regiam haberet, immo, et curiam, quò sæpissime patres evocabat in consilium, ut nunc super rhombo. Hujus villæ situs et magnificentia describuntur a Stat. silv. IV, 2, 18, seqq.

61. *Ignem Trojanum.*] Cujus perpetuo alendi, in templo Vestæ, quòd fatale esset pignus Imperii, mos inventus ab Aenea Trojanisque, et hinc a Romanis assumptus. — *Vestamque minorem.* Id est, ubi minore cum religione et sumptu colitur Vesta, quàm Romæ.

63. *Facili... cardine.*] Qui facile movebatur, mobili, volubili. *Facilis* autem aditus erat homini, et munus, et rem valde mirabilem afferenti.

64. *Exclusi.*] Præ foribus astantes. — *Opsonia.* Piscem, rhombum.

65. *Atridem.*] Satirice admo-

dum Domitianum huic comparat Agamemnoni, quem Homerus vocat regem regum; simul atque Atræi, Atræidarumque mentione facta, superbiam et crudelitatem principis acriter perstringit. — *Picens.* Piscator e Piceno prope mare Adriaticum oriundus.

66. *Privatis majora focus.*] Piscem majorem, quàm ut ab hominibus privatis consumi possit et debeat. — *Genialis.* Lætus, ut natalis, quo indulgetur genio. Vid. Pers. Sat. II, v. 3.

67. *Stomachum laxare.*] Solvere, evacuare, ut has delicias capiat. Hæluonibus mos erat, ut, post primam, aut secundam mensam, vomitum provocarent, quo venter laxatus, facilius novas saginas caperet, atque devoraret. — *Saginis.* Id est, cibus, escis. Aliàs, *sagina* est σίτευσις, fartura.

69. *Ipse capi voluit.*] Addit piscator. — *Quid apertius?* Quid manifestius ista adulatione? Hæc

V. 63. *Ut cessit.* Solus fere vet. schol. legit, *ut cessit.* Alii codd. *Et cessit;* quod idem sensum offert: id est, obstitit pisci intranti turba parumper; et cessit: tunc facili patuerunt, etc. Alii, sed vitiose, *excessit.*

V. 64. *Spectant.* XXIV codd. habent *expectant.* Non male quoque,

Surgebant cristæ. Nihil est, quod credere de se 70  
 Non possit, cùm laudatur Dīs æqua potestas.  
 Sed deerat pisci patinæ mensura. Vocantur  
 Ergo in consilium proceres, quos oderat ille,  
 In quorum facie miseræ magnæque sedebat

sunt verba poëtæ. — *Et tamen illi.* Scil. Imperatori.

70. *Surgebant cristæ.* ] Id est, ille (Imperator), intumescerebat. Translatio ducta a gallis gallinaeis, quibus lætitia cristas erigit, et contra deprimit mæstitia. Eodem sensu nostri dicunt, *lever la crête*, et contra, *baisser la crête*. Alia autem hæc Prætæo magis aridet sententia: *Ipse* (piscis) inquit piscator, *capi voluit, quid apertius*, evidentius, pergit idem? *Et tamen*, salse subjungit poëta, *illi* (pisci) *surgebant cristæ*, spinæ in dorso arrectæ suam satis ostendebant indignationem, quòd captus esset: verum, *nihil est quod*, etc. et ea nobis quoque potior videtur ratio interpretandi. A.

71. *Dīs æqua potestas.* ] Regia aut Imperatoria potestas. Principes adulationibus facile capi testis est Alexander Magnus, qui dicentibus eum Jovis esse filium, non modo credidit; verum aliis idem pro certo teneri voluit.

Testes quoque Antiochus, et reges Orientis θεοείκελοι, ἐναλίγκιοι ἀθανάτοισιν, (κατὰ) δέμας ἀθανάτοισιν εἰκότες, Caligula, Aurelianus, Carus, Diocletianus, etc., et iste præsertim de quo loquimur Domitianus, qui dictans epistolam, ita incipit: *dominus ac deus noster sic fieri jubet*: unde, non alio deinceps nomine appellari institutum. Hinc in Domit. salse Martial. lib. V, epig. 8:

Edictum domini, Deique nostri.

72. *Sed deerat patinæ mensura.* ] Id est, patina satis magna, ut integrum caperet piscem. Martial. lib. XIII, epig. 81:

Quamvis lata gerat patella rhombum, Rhombus latior est tamen patella.

— *Vocantur in consilium proceres.* De rhombo, tanquam de re instanti, et reipublicæ saluti gravissima.

73. *Quos oderat ille.* ] Domitianus tyrannorum more nobiles imprimis oderat.

74. *In quorum facie, etc.* ] Quàm recte depinguntur, hoc versu et

ut sit sensus: *patres exclusi*, id est, præ foribus stantes, et in vestibulo *expectant* dum opsonia, etc.

V. 73. *Consilium.* Quidam codd. habent *concilium*. Sed nostram lectionem firmant et auctoritas MSS. et distinctio verborum *concilium* et *consilium*. Ita, ut, illud cœtum significet hominum, qui audiendi causâ conveniant, a *cieo*; hoc, de conventu eorum, qui deliberandi causâ veniant, dicatur. Græc. βουλή. Ernesti Clav. Cicer. Grœnov. ad Liv. XLIV, 2, etc.

Pallor amicitiae. Primus, clamante Liburno, 75  
 Currite, jam sedit, raptâ properabat abollâ  
 Pegasus, attonitæ positus modo villicus Urbi.  
 Anne aliud tunc præfecti? quorum optimus, atque  
 Interpres legum sanctissimus, omnia quanquam  
 Temporibus diris tractanda putabat inermi 80

sequenti, aureæ illæ compedes aulicorum, vita aulica, et amicitia regum magna quidem, sed misera, et periculi plena! unde non absurde a quopiam dictum: *Malle se in caula, quàm in aula vivere.* Quàm insidiosa fuerit Domitiani familiaritas aperte demonstrat Suet. in vit. Domit. cap. 11: *Is enim, ait, non magnæ solum, sed etiam callidæ, inopinatæque erat sævitia... Aretinum Clementem Consularem virum e familiaribus suis, capitis condemnaturus, in majore quàm ante gratia habuit... Auctorem Summarum, pridie quàm crucifigeret, in cubiculum vocavit, assidere juxta coëgit, parte cœnæ suæ dignatus est, denique securum hilaremque dimisit. A.*

75. *Clamante Liburno.*] Servo nomenclatore, qui in senatum patres vocaret: nam, ut diximus ante, ex Liburnia, servi proceræ staturæ mittebantur, qui quidem essent quoque sonorâ, et validâ voce, atque ad id officium apti. Vid. sat. III, v. 240.

76. *Currite.*] Clamat Liburnus. — *Jam sedit.* Imperator. — *Abolla.* Vestis militaris ex Nonio; philosophica etiam, sup. sat. III, v. 115, necnon senatoria. Dicitur quasi *abulla*, quòd undique

bullata. Prudent. epig. 20, lib. I, contra Symmach.

Adjectus fastis palmatâ insignis abollâ.

77. *Pegasus.*] Jurisconsultus fuit temporibus Vespasiani celeberrimus, a quo urbis præfectus fuit. De jure multa scripsit. Unde *jus Pegasianum.* Vet. schol. — *Modo.* Recenter a Vespasiano. *Villicus.* Proprie villæ gubernator, *εὐνομέος*, hinc cùm Roma absque libertate et privilegiis, sub Imperatoribus, sicuti villa esset, *villicus* nuncupatur, non præfectus. — *Attonitæ... urbi.* Metu tyrannidis, vel potius, ut Valesio placet, tom. I, dissert. academ. inscript. quasi *stupentis* et *consternatæ*, ob Domitiani desidiam et segnitiam, qui re super tam ridicula, patres convocaret, dùm in Germaniâ superiore L. Antonius rebellaret, atque Urbi, belli imminentis, ac gravissimi terrorem incuteret. A.

78. *Anne aliud tunc præfecti?*] Explicatio verbi *villicus*, quo usus est. Ita: anne fuerunt præfecti aliud quàm villici? — *Quorum optimus.* Scil. Pegasus fuit.

80. *Tractanda putabat, etc.*] Patienter sustinendam procellam, ac serviendum tempori, quo non jus vigeat, sed Imperatoria tan-

Justitiâ. Venit et Crispi jucunda senectus,  
 Cujus erant mores, qualis facundia, mite  
 Ingenium. Maria ac terras, populosque regenti  
 Quis comes utilior, si clade, et peste sub illa  
 Sævitiâ damnare, et honestum afferre liceret  
 Consilium? Sed quid violentius aure tyranni,  
 Cum quo de pluviis, aut æstibus, aut nimbo  
 Vere locuturi fatum pendebat amici?  
 Ille igitur nunquam direxit brachia contra

85

tum sævitia, cui si quis obex opponeretur, non levaret malum, sed augetet. — *Inermi justitia.* Al-  
 ludit poëta ad imaginem *justitiæ*,  
 ceu *æquitatis* quæ in nummis et  
 inscript. passim altera manu gla-  
 dium, vel hastam, altera libram  
 tenet.

81. *Crispi jucunda senectus.*] Hoc  
 est, Crispus senex et jucundus;  
 ut, ἱερὸν μένος Ἀλκινόοιο, Ἴς Τελε-  
 μάχοιο, et *sapientia Lælii*. De hoc  
 Crispo, ita Quintil. lib. X: *Vibius Crispus compositus et jucundus,*  
*et delectationi natus; privatis tamen*  
*causis, quàm publicis melior.* Idem,  
 ut scribit Suet. vit. Domit. cap.  
 3, interroganti cuidam, essetne  
 quis intus cum Cæsare, facete  
 respondit, *ne musca quidem.* Sole-  
 bat autem Domitianus muscas in  
 cubiculo persequi, et aureo sty-  
 lo configere.

83. *Maria ac terras populumque regenti.* ] Orbem gubernanti Do-  
 mitiano.

84. *Clade et peste sub illa.* ] Sub  
 Domitiano clade et peste omnium  
 bonorum.

85—88. *Sævitiâ damnare,*  
*etc.*] Quàm vere hæc dicta sint  
 intelligitur ex Suet. vit. Domit.  
 cap. 10 — 12.

86. *Quid violentius aure tyranni.* ]  
 Hinc sapiens monet, Eccles. cap.  
 8: *Ne litiges cum homine potente.*  
 Et Proverb. cap. 23: *Quando se-*  
*deris cum principe, diligenter at-*  
*tende.... statue cultrum in gutture*  
*tuo.*

87. *Cum quo de pluviis, etc.* ] Id  
 est, a quo (tyranno) mors immi-  
 nebat amicis, si quid illi adver-  
 sus sententiam domini dixissent,  
 vel in levissimis rebus, ut pluviis,  
 æstibus, *sur la pluie et le beau temps.*

88. *Fatum pendebat.* ] Calami-  
 tas, ac mors impendebat.

89. *Ille igitur nunquam direxit*  
*brachia, etc.* ] Utebatur pruden-  
 tia, quam tempora suadebant,  
 quam tamen nemo fortis admira-

V. 85. *Sævitiâ.* Ita omnes fere nostri codd. Quidam, sed paucissimi,  
*sævitiem.* At, id parvi est momenti.

Torrentem, nec civis erat, qui libera posset 90  
 Verba animi proferre, et vitam impendere vero.  
 Sic multas hyemes, atque octogesima vidit  
 Solstitia. His armis, illa quoque tutus in aula,  
 Proximus ejusdem properabat Acilius ævi  
 Cum juvene indigno, quem mors tam sæva maneret, 95

bitur, ut animi constantiam παρρησίαν Thræseæ Pæti, Helvidii Prisci, Herennii Senecionis, Aruleni Rustici, aliorumque iis similitum. Præterea hæc est prudentia ipsa, quæ tyrannidem erigit atque nutrit. — *Direxit Brachia contra torrentem.* Potestati tyrannorum repugnavit. Id proverbialiter dictum, ut Græcis ἀντιπνέειν ἀνεμοῖσι, et Gallis quoque, *s'opposer au torrent.* A.

91. *Vitam impendere vero.*] Ut Papinianus ille, quem ferunt ab Antonino Caracalla occisum, quod huic, post interfectum fratrem Getam mandanti, ut facinus in senatu dilueret, responderit, *non ita facile parricidium excusari posse, quàm fieri.* Spartian. in Anton. Carac. cæterum memorandum illud dictum Juvenalis frequenter proverbii loco citatum, celeberrimi inter Gallos philosophi, *J. J. Rousseau* constanter fuit epigrammum; et, ut ait *Roucher*, in poëmate, cui titulus, *les mois* (tom. II, in-4<sup>o</sup>, p. 261):

De ce beau dévouement Rousseau fut  
 le modele :

A sa noble devise il expira fidele.

92. *Octogesima vidit solstitia.*] *Solstitia* et *hyemes*, pro annis. *Solstitium* autem semper fere æsti-

vum dicitur, ut hybernum, *bruma*. Interpreti Gall. *Dusaulx* hic (post solstitia), claudenda videtur propositio, cum apud alios fere omnes punctum sit post aulam; ita ut, sic altera incipiat: *His armis, illa quoque tutus in aula, proximus ejusdem properabat Acilius ævi.* Cujus auctoritatem nos quoque secuti sumus. A.

93. *His armis.*] Iisdem artibus, scilicet prudentiâ.

94. *Acilius.*] *Acilius Glabrio* consularis. In gente *Acilia* fuere clarissimi *Glabriones*, inde a temporibus *M. Acilii Glabrionis*, qui fuit Prætor an. V. C. DLVI et consul an. DLXII. — *Proximus.* Proxime post *Crispium*.

95. *Cum juvene.*] Cum veteri schol. *Acilii* ipsius filium intellige, qui sub *Domitiano* collega *Trajani* in consulatu fuit, et, ut tyranni sævitiam effugeret, *Bruti* exemplo, stoliditatem simulasse, et cum feris pugnasse dicitur; sed, ita, potius mortem suam maturavit, et quinto post consulatum anno, jussu *Domitiani*, propter invisas ei corporis, atque animi vires, in exilio occisus est. *Suet. Domit. cap. 10. Plin. Epist. I, 15, 6.* — *Indigno.* Non digno, quem mors tam sæva maneret.



Et domini gladiis jam destinata : sed olim  
 Prodigio par est in nobilitate senectus ;  
 Unde fit , ut malim fraterculus esse Gigantis.  
 Profuit ergo nihil misero , quòd cominus ursos  
 Figebat Numidas , Albanâ nudus arenâ  
 Venator. Quis enim jam non intelligat artes

100

96. *Jam destinata.* ] Ab hoc ipso tempore, destinata gladiis Domini, Domitiani scil. vid. infr. var. lect.—*Olim*, jam diu, jam dudum.

97. *Prodigio par, etc.* ] Hinc Eccles. cap. 10 : *Omnis potentatús brevis vita.*

98. *Fraterculus esse Gigantis.* ] Unus e minimis terræ filiiis. Gigantes dicuntur terræ filii, a γίγασθαι, et γῆ. Idem, ac si diceret, malim esse obscurus et ignobilis.

99. *Misero.* ] Juveni Acilio, qui in arena Albana cum feris pugnabat, ut ita se in gratiam Domitiani insinuaret, qui in Albano secessu eximias sæpe venationes edebat, et ipse summa arte con-

ficiebat feras. Vid. Suet. Domit. cap. 4, et 19.—*Ursos.... Numidas.* Id est, leones. Africa enim et Numidia sicca non habent ursos, qui frigidis gaudent; sed Romani veteres primos ex Africa advectos leones, obvia et nota voce, ursos dixere. Vid. Plin. lib. VIII, cap. 6. Sic Virgil. *Acestem*, lib. V, *tegit pelle Lybistidis ursæ*; scilicet leonina, viro forti, et exemplum Herculis insecuto digna.

100. *Nudus.* ] Id est, depositis vestibus, ut esset expeditior ad pugnandum.

101. *Artes Patricias.* ] Jam notæ sunt artes nobilium, qui, ut olim Brutus, metu mortis stultitiam simulant.

V. 96. *Jam destinata.* Hanc lectionem revocavi ex omnibus tum nostris codd. tum Alex. Rup. et editt. prisc. etiam adversante metro: nam, secunda syll. vocis *destinata* plerumque brevis est. At, in tam unanimi codd. consensu, et in re tam parvi pretii, auctoris mentem immutandam non judicavi. Idque eo libentius, quòd vox *destinata*, huic loco aptior mihi visa vox sit, quàm *designata*, seu *festinata* a Lipsio, et aliis editoribus, sine auctoritate intrusa.

V. 97. *In nobilitate.* Nostris omnes codd. pariter in hac lectione concordant. At editores recentiores, sine ulla auctoritate, reposuerunt *cum*. Scil. quòd, eorum judicio, ea lectio potior esset.

V. 98. *Gigantis.* Ita quoque omnes nostri codd. tribus exceptis, qui legunt *Gigantúm*.

Patricias? quis priscum illud miretur acumen,  
 Brute, tuum? facile est barbato imponere Regi.  
 Nec melior vultu, quamvis ignobilis, ibat  
 Rubrius, offensæ veteris reus atque tacendæ, 105  
 Et tamen improbior satiram scribente cinædo.  
 Montani quoque venter adest abdomine tardus;  
 Et matutino sudans Crispinus amomo,

102. *Priscum.... acumen.*] Prudentiam illam, quâ priscis temporibus istis usus es, cum homines adhuc rudes et simplices essent.

103. *Brute.*] Brutus satis ex historia notus. — *Barbato.... Regi.* Tarquinio Superbo. Romani, per CCCCXLIV annos barbati intonsique permansere, ac sine tonsoribus, donec eos in Urbem accersivisset Sicilia P. Ticinius Mena; testibus Varrone lib. II, de Rust. cap. ultim. et Plin. lib. VII, cap. 59. — *Imponere.* Est seducere, fallere. Simili modo nostri dicunt, *en imposer à quelqu'un.*

104. *Nec melior vultu.*] Nec lætior, hilarior. — *Quamvis ignobilis.* Adeo truculentus erat Domitianus, ut in infimos, æque ac in summos sæviret. — *Ignobilis.* Obscurus, sine nomine.

105. *Rubrius.*] Gallus erat, ut vulgo putant. Hujus meminit Tac. Histor. II, 51 et 99. — *Offensæ veteris.* Quæ fuerit hæc offensa non satis constat. Quidam censent, quòd contra Cecinnum pro Fl. Gabini locutus fuerit: alii, quòd,

cum Julia Titi filia concubuerit, quam offensam ideo *tacendam*, hoc loco, poëta dicit.

106. *Satiram scribente cinædo.*] Nerone ipso, qui probroso carmine Quintianum perstrinxit, eumque mollem et effeminatum appellavit, cum ipse cinædus esset. Tacit. an. XV.

107. *Montani.*] Fuere et plures *Montani.* Scil. Montanus Atticinus, Julius Montanus, Traulus Montanus, Votienus Montanus, Alpinus Montanus Trevir, Hispanus Montanus, Titius Montanus et Curtius Montanus, quem forte hoc loco memorat, ventrosus et pinguis, cujusque ideo *Ventrem* potiusquàm ipsum venire, scopitice dicit. De his Montanis vid. Tacit. Ann. IV, 42, XI, 36, XIII, 25, XVI, 28, 29, Hist. III, 35, IV, 31, 40, V, 19. — *Abdomine.* Abdomen est pars ima ventris.

108. *Crispinus.*] Idem de quo sup. v. 1 et seqq. et sat. I, 26 et seqq. — *Matutino.... amomo.* Non, ut quidam volunt, quòd *amomum* nascatur in Oriente, ubi

V. 102. *Miretur.* Rectius quàm *miratur*, quod invenitur ap. plerosque codd.

Quantum vix redolent duo funera : sævior illo

Pompeius tenui jugulos aperire susurro ;

110

Et, qui vulturibus servabat viscera Dacis,

Fuscus marmoreâ meditatus prælia villâ ;

Et cum mortifero prudens Vejento Catullo,

matutino tempore sol oritur ; sed, quia corpus lavaret atque ungeret mane, quod erat summæ luxuriæ nota. — *Aromum*. Frutex, flore candido, ex quo fiunt unguenta pretiosissima. Vid. Plin. lib. XIII, cap. 1.

109. *Quantum redolent duo funera*.] Tantum unguentorum suo corpori impendit, quantum vix impenditur duorum nobilium funeribus. Magna autem aromatum odorumque vis in lectum feralem, in bustum, in urnam, quæ cineres continebantur, in ossa mortuorum ab amicis collecta, et quotannis in sepulchrum spargi solebat ; quæ nota res est. Vid. Kirchman. de fun. Rom. III, 5.

110. *Pompeius*.] Forsan ille cognomine *Rufus*, de quo Plin. lib. III, epist. 9 : *Quin etiam duo consulares Pompeius Rufus, et Libo Frugi læserunt Norbanum testimonio, tanquam apud judicem sub Domitiano, Salvii Liberalis accusatoribus adfuisset*. At tamen, ut innuit Alex. Rup. Pompeius ille Rufus, et alter Pompeius, seu Pomponius Falco, de quibus loquitur Plin. ambo viri probi, non flagitiosi, vel delatores, atque satira Juvenalis minime digni fuisse videntur. — *Tenui jugulos aperire susurro*. Hellenismus, pro *sævior* in afferenda

morte multorum, *tenui susurro*, per tectas delationes, et insurrectiones apud principem.

111. *Et qui, etc.*] Cornelius Fuscus prætorio præfectus, cui, licet imperito, secundam in Dacos expeditionem commisit Domitianus, in qua periit infeliciter ; unde dicitur, hoc loco, viscera servasse *vulturibus Dacis*. Dacia autem Europæ regio satis ampla, Transylvaniam, Moldaviam, et Valachiam complectens.

112. *Marmorea meditatus, etc.*] Hoc *σαρκαστικῶς* dictum. Scilicet, a deliciis, et otiosa armorum meditatione, ad bellum profectus.

113. *Prudens Vejento*.] De quo jam ante, sat. III, v. 185, et post fusius, sat. VI. *Prudens* dicitur, vel quòd doctus esset, vel potius, quòd astute tempori serviret. — *Et cum mortifero*. Exitioso delatore. — *Catullo*. Plin. lib. IV, epist. 22 : *Cænabat, inquit, Nerva cum paucis, Vejento proximus, atque etiam in sinu recumbebat. Dixi omnia cum hominem nominavi. Incidit sermo de Catullo Messalino, qui luminibus orbatus, ingenio sævo, mala cæcitatibus addiderat. Non verebatur, non erubescibat, non miserebatur. Sæpius a Domitiano non secus ac tela, quæ et ipsa cæca et improvida feruntur, in optimum quemque contorquebatur, etc.*

Qui nunquam visæ flagrabat amore puellæ : 114  
 Grande et conspicuum nostro quoque tempore monstrum !

Cæcus adulator, dirusque a ponte satelles,  
 Dignus Aricinos qui mendicaret ad axes,  
 Blandaque devexæ jactaret basia rhedæ.

Nemo magis rhombum stupuit : nam plurima dixit  
 In lævam conversus ; at illi dextra jacebat 120

114. *Qui nunquam, etc.*] Senex et cæcus puellas deperibat nunquam visas, repugnante adagio : *ἐκ τοῦ ὁρᾶν γίνεσθαι τὸ ἐρᾶν*. Sic cæci cujusdam Asperi amores deridet Martial. lib. VIII, epig. 49 : Formosam plane, sed cæcus diligit Asper.

Plus ergo, ut res est, quàm videt Asper amat.

115. *Nostro quoque tempore.*] *Δεινῶς*, quo multa sunt monstra.

116. *Dirusque a ponte satelles.*] Sic hunc versum interpretatur *Dusaulx* : *Quoique aveugle, il étoit flatteur ; de mendiant, il devint satellite*. Non recte, meo judicio : nam hunc Catullum fuisse unquam mendicum, minime liquet ex historia, cùm contra eum nobilem, divitem, et præpotentem constet. Sic igitur Juvenalis ad cæcitatem ejus et malitiam alludens, ostendit eum veluti dignum magis, qui *stet a ponte satelles*, id est, custos pontis, et mendicans, ut solent cæci pauperes, quàm qui sit principis *satelles* et assecla. Quam interpretationem nostram

illustrabunt versus duo sequentes. — *Dirus*. Idem ac assiduus, importunus. A.

117. *Ad axes.*] Rotas, vel potius currus Ariciam tendentes, vel ex ea redeuntes. — *Ad axes Aricinos*, hoc est, ab iis, qui Ariciam vehuntur. Aricia autem urbs Latii erat colli imposita in via Appia, Hyppolito conditore, hodie, *la Riccia*. Quo loco, mendicantes degisse constanter apparet.

118. *Devexæ.*] Declivi, deflexæ, inclinatæ in descensu. — *Jactaret basia*. Hæc verba spectant ad veterem Orientis præcipue ritum, notumque venerationis signum, quo quis manui suæ oscula infigit, et tum ea quasi porrigit, jacitque ad eos, quibus honorem habet. Fere similiter dixit sat. III, v. 106. *A facie jactare manus*.

119. *Nemo magis, etc.*] Quàm cæcus Catullus.

120. *At illi, etc.*] Etsi hæc satis facete dixit Juvenalis, apparet Catullum non omnino cæcum, sed, cæcutientem tantummodo fuisse : quod vitium corporis a

V. 120. *In lævam*. Plerique codd. *in lævum*. At, perplacet nostra lectio ; utpote, quæ opponatur voci *dextra*, quæ mox insequitur.

Bellua. Sic pugnas Cilicis laudabat, et ictus,  
 Et pegma, et pueros inde ad velaria raptos.  
 Non cedit Vejento, sed ut fanaticus œstro  
 Percussus, Bellona, tuo divinat, et, ingens

122

Plinio, et poëta nostro in majus elatum fuisse, non male suspicabatur Catan. ad Plin. epist. lib. IV, 22. Aliter si omnino cæcus, non ea fuisset impudentia, ut sciente principe, et præsentem, laudaret quod non vidisset; alioquin Imperatorem deridere, nec ei adulari visus esset. Hæc igitur hyperbolice accipienda existimo. A.

121. *Cilicis.*] Gladiatoris insignis e Cilicia oriundi.

122. *Et pegma.*] de *pegmate* fuscus tractavit J. Lipsius, t. III, p. 571. Pegma autem græc. πήγμα, a πήγνυμι, compingo, quod moles fuerit lignea varia, et occultâ arte compacta. Et erat machina, vel ἀπομάτων in theatris adhiberi solitum, quod per se, cum summa spectatorum admiratione, in sublime insurgebat (nostri ea machina utuntur in theatro quod dicitur *l'Opéra*): hinc pueri solebant imponi, qui repente in sublime elati, ad velaria theatri rapiebantur. Claudian. de consul. Manl. Theodori:

Vel, qui more avium sese jaculantur in  
 auras,  
 Corporaque ædificant celeri crescentia  
 nexu  
 Quorum compositam puer augmenta-  
 tus in artem  
 Emicet, et vinctus plantæ, vel cruribus  
 hærens,

V. 121. *Bellua.* Quibusdam in membranis scribitur *belua*. At vulgatam retinuimus.

Pendula librato figat vestigia saltu,  
 Mobile ponderibus descendat pegma  
 reductis.

— *Velaria.* Vela quibus expansis, superne theatrum integebatur, adversus imbrem et solem.

123. *Non cedit Vejento.*] Fabricius Vejento non cedit Catullo in admiratione rhombi et adulatione principis. — *Fanaticus*, ἐνθεος κάττος ἐκ τῆς θεοῦ. — *Oestro.* Furore sacro, ejusque quasi stimulo. Oestrus, Οἶστρος, tabanus, asilus, Galli, *un taon*, vespæ genus armenta pungere solitum, et pecudes in furorem agere; hinc, apud poëtas, pro afflatu divino, ac furore sumitur. Virgil. Georgic. lib. III, v. 147:

. . . . . Cui nomen asilo  
 Romanum est, Oestron Graii vertere  
 vocantes;  
 Asper, acerba sonans; quo tota exter-  
 rita silvis  
 Diffugiunt armenta, etc.

124. *Percussus, Bellona, tuo divinat.*] Sensus est: sed Vejento, ut fanaticus percussus tuo œstro, ô Bellona, divinat. — *Bellona.* Dea Belli. Sensit Apuleius in metamorphosi sua, Cybelem, Bellonam, et Isidem easdem esse deas, eosdemque iis sacerdotes Gallos dictos.

Omen habes, inquit, magni clarique triumphi. 125  
 Regem aliquem capies, aut de temone Britanno  
 Excidet Arviragus. Peregrina est bellua. Cernis  
 Erectas in terga sudes? Hoc defuit unum  
 Fabricio, patriam ut rhombi memoraret et annos.  
 Quidnam igitur censes? conciditur? Absit ab illo 130  
 Dedecus hoc, Montanus ait: testa alta paretur,  
 Quæ tenui muro spatiosum colligat orbem.  
 Debetur magnus patinæ subitusque Prometheus.

125. *Omen habes, inquit, etc.*] His verbis, Vejento Domitianum alloquitur.

126. *Aut de temone Britanno.*] Cum insigni adulatione et delectu, Britanni nominantur inter gentes bellicosas, quas Domitianus olim in ditionem suam redacturus esset; Romani enim maximam Britanniae partem frustra expugnare conati sunt, nec nisi meridionalem in provinciae formam redegerunt: quæquidem pars sæpius rebellavit. — *De temone.* Excidet, et capietur. Hic *temo* proprie sumitur; nam curribus in præliis Britanni utebantur.

127. *Arviragus.*] Rex Britanniae. — *Peregrina est bellua.* Ergo, regem peregrinum devinces.

128. *Erectas.... sudes.*] Pinnae rhombi, vel spinas instar spiculorum rigentes et arrectas. Proprie *sudes*, telum rusticum, ceu paxillus igne torridus, et præacutus.

129. *Fabricio.*] Vejenti. Vid. sup. v. 113. — *Patriam ut rhombi*

*memoraret.* Εἰρωνικῶς, de adulate tam scite interpretante singula, et tot præclara ominante.

130. *Quidnam igitur censes?*] Inquit Imperator. — *Conciditur?* Totusne, an in partes concisus coquetur?

131. *Testa alta.*] Vas fictile profundum et capax, quale fuit illud, quod Vitellius ap. Suet. vit. Vitell. cap. 13, ob magnitudinem, Minervæ clypeum dictitabat.

132. *Tenui muro.*] Margine, quæ sit summæ tenuitatis. Laus est figuli in conficiendis vasis, ea ducere tenuia. *Murum* autem appellat testæ latera, cum *murus* proprie sit, qui publica ambiat, ut civitatem.

133. *Debetur.*] Requiritur, opus est. — *Prometheus.* Peritus figulus, qualis fuit Prometheus, qui ideo hominem primus ex argilla finxisse dicitur, quia primus ignis et argillæ usum hominibus ostendit. — *Subitus.* Qui sit operæ celeris, ac promptæ industriæ.

V. 127. *Excidet.* XXV codd. habent *Excidit.* Sed aptior nostra lectio.

Argillam atque rotam citius properate : sed ex hoc  
 Tempore jam , Cæsar , figuli tua castra sequantur. 135  
 Vicit digna viro sententia. Noverat ille  
 Luxuriam Imperii veterem , noctesque Neronis  
 Jam medias , aliamque famem , cùm pulmo Falerno  
 Arderet. Nulli major fuit usus edendi  
 Tempestate meâ. Circeis nata forent , an 140  
 Lucrinum ad saxum , Rutupinove edita fundo  
 Ostrea , callebat primo deprendere morsu ;  
 Et semel aspecti littus dicebat echini.

134. *Rotam.* ] Figularem. Plin. lib. VII , cap. 56 , *figulinas* , inquit , *invenit Coræbus Atheniensis , in iis orbem Anacharsis Scythes , ut alii , Hyperbius Corinthius.*

135. *Figuli tua castra sequantur.* ] Ut semper apud te , et in promptu sint. Sarcasmi vis satis per se patet.

136. *Vicit digna viro sententia.* ] Solemnis formula , ut apud Liv. , lib. II , 4. XXXVII , 19. XLII , 47. — *Digna viro.* Tali , Montano scil. Hoc acerbe dictum.

137. *Luxuriam Imperii veterem.* ] Ex his constat hunc Montanum fuisse ab intimis Neronis libidinibus. De Nerone Suet. cap. 17 : *Epulas a medio die ad mediam noctem protrahere : refotus sæpius calidis piscinis , ac tempore æstivo nivatis.*

138. *Aliamque famem.* ] Id est , fomenta , vel incitamenta , ad aliam novam et exquisitam famem rursus excitandam , ut sup. diximus v. 67. — *Falerno.* Falernus mons in Campania vini ferax generosissimi.

139. *Usus edendi.* ] Nulli major fuit peritia in ciborum delectu , quam ipsi Montano.

140. *Circeis nata forent , etc.* ] Similiter delicatorem hominum subtile palatum gulaque luxuriosa notatur ab Horat. sat. lib. II , 2 , v. 31 , 4 , 31 et seqq. — *Circeis.* Promontorium Circeium , a Circe , quæ illic habitavit , et sacellum habuit , situm in Campaniæ littore , ad mare Tyrrhenum , non longe a Terracina.

141. *Lucrinum ad saxum.* ] Lucrinus lacus erat Baias inter et Puteolos , in Campania : sed an. Christ. 1538 terræ motu absorptus est ; cujus tantummodo restat lutosa palus , quam Itali vocant *il mare morto*. — *Rutupino fundo.* Promontorium et littus a Rutupii oppido Cantiorum in Britannia , unde optimæ ostreae afferebantur , hodie *Richeborow*. — *Fundo.* Id est , mari.

142. *Ostrea.* ] Tull. de divin. , lib. II , cap. 33 , *Ostreis* , inquit , *et Conchylis omnibus contingit , ut cum luna crescant , pariterque decrescant.*

143. *Eschini.* ] De genere cancerorum piscis , spinis hirsutus , quibus utitur pro pedibus , atque

Surgitur, et misso proceres exire jubentur  
 Consilio, quos Albanam dux magnus in arcem 145  
 Traxerat attonitos, et festinare coactos,  
 Tanquam de Cattis aliquid, torvisque Sicambris  
 Dicturus, tanquam diversis partibus orbis  
 Anxia præcipiti venisset epistola pennâ.

se tuetur instar hericii. Gall. *hérisson*, ou *châtaigne de mer*. Ad hoc, Athenæus de Lacone quodam, lib. III, cap. 13, rem lepidam narrat. Hic, appositis echinis hactenus ipsi inusitatis, unum arripuit, atque in os immisit totum cum spinis et testa; dentibus autem licet offensis, ac palato, noluit rejicere, ait vero: ô nequam edulium! neque modo te dimittam, præ mollitie animi, neque te unquam posthâc sumam. A.

144. *Misso... consilio.*] Dimisso. Qui senatum habebat, sive coegerat, eum dimittebat, his verbis: NIL VOS MORAMVE P. C. VEL, NIL VOS TENET.

145. *Albanam... in arcem.*] Vid. sup. v. 60. — *Dux magnus.* Domitianus.

147. *Cattis.*] Catti sunt populi Germaniæ, hodie *Hessi*. Suet. Domit. cap. 6. *Expeditiones partim sponte suscepit, partim necessario: sponte in Cattos; necessario in Sarmatas.... In Dacos duas.... De Cattis Dacisque, post varia prælia, duplicem triumphum egit.* — *Torvis.*

Terribilibus a *terrendo*, quasi *tervis*. — *Sicambris.* Populi Germaniæ inferioris, incolentes Geldriam et Westphaliam. Ab his *Francos* ortos constat. *Sicamborum* nomine comprehendebantur Usipetes, Teucteri, et Bructeri. Hi autem Romanis plurimas intulerunt clades.

149. *Præcipiti... pennâ.*] Celeriter: *penna* enim est velocitatis symbolum. Veredarii autem, teste Dione, pennas, festinationis indicium in capite gestabant, unde ab Hesych. *πτεροφόροι*, et Plutarch. in Galba *πτηνοφόροι* dicuntur. Ad hæc, notam citat Platneri Al. Ruperti, quæ ita est: « Nuntii alati erant, vel pennati, « ipsorumque arma, idque, ut « opinor, ad exemplum eorum « præstitis Mercurii. Nuntii tris- « tis rei nigras, lætæ albas habe- « bant pennas. Hoc liquet ex « Martiale, X, 3, 10. Illud ex « Stat. Silv. V, 1, 92, 93. Ubi « lego, *nullaque fumosa*, etc. ut « sensus sit, a remotis mundi « partibus, militares nuntios lau- « reatis pilis venire, nec ullam

V. 147. *Cattis.* Omnes nostri codd. habent *Getis*. Sed, quia ei lectioni et metri leges, et historia etiam adversantur, vulgatam retinendam censemus. Vid. sup. comment.

V. 149. *Penna.* Quidam codd. *pinna*; quod idem est.



Atque utinam his potius nugis tota ille dedisset. 150  
 Tempora sævitæ, claras quibus abstulit Urbi,  
 Illustresque animas impune, et vindice nullo!  
 Sed periit, postquam cerdonibus esse timendus  
 Cœperat; hoc nocuit Lamiarum cæde madenti.

« *fumosam*, id est, nigram in lan-  
 « cea cursorum cerni pennam. »  
 Quidam interpretantur de avibus  
 et columbis, quæ litteras pedibus  
 sibi alligatas in castra et urbem  
 deferebant, ut in obsidione Mu-  
 tinensi. Minus bene.

150. *Atque utinam.*] Egregium  
 poëtæ epiphonema, mortem tot  
 ac tantorum virorum a Domitiano  
 interemptorum lugentis. — *His...  
 nugis.* Qualis fuit consultatio de  
 rhombo.

152. *Illustres animas.*] Ψυχὰς  
 ἰφιμίμους ap. Homer. Il. α, 3, et  
 alias passim. Nobiles autem et il-  
 lustres cives, inter quos Civ. Ce-  
 realis, Salvidienus, Orfitus,  
 Acilius Glabrio, Aelius Lamia,  
 Salvius Cocceianus, Metius Pom-  
 posianus, Sallustius Lucullus,  
 Junius Rusticus, permultique  
 alii, levissima de causa, jussu ty-  
 ranni occubuere. Vid. Suet. Do-  
 mit. cap. 10, 11, 15. A.

153. *Sed periit, etc.*] Non per  
 nobiles ignavos, sed per ignobiles  
 strenuos, postquam nobilium

cruore satur, in plebeios jam sæ-  
 vire aggredereetur. Ex hoc autem  
 loco, patet Juvenalem Domitiano  
 fuisse superstitem. — *Cerdonibus.*  
 Cerdones sunt qui, lucri gratia,  
 opus exercent, ἀπὸ τοῦ κέρδους.  
 Hoc loco, hominibus infimis, et  
 sordidis, ut infra VIII, v. 182,  
 ubi iidem opponuntur *Volesis* at-  
 que *Brutis*. Domitiani autem in-  
 terfectores fuere Clodianus Cor-  
 nicularis, Maximus Parthenius,  
 libertus cubicularius, et Stepha-  
 nus Domicillæ Flavillæ procura-  
 tor. Confossus est vulneribus  
 septem. Suet. Domit. cap. 17.

154. *Hoc nocuit.*] Id est, non  
 cædes tot ac tantorum virorum  
 nocuit; sed id solum, quòd cœ-  
 perit *cerdonibus esse timendus.* —  
*Lamiarum.* Horum familia Romæ  
 perillustris erat; cùm ab Lamo  
 rege Læstrigonum originem du-  
 ceret: de qua, sic Horat. lib. III,  
 od. 17:

Aeli vetusto nobilis ab Lamo,  
 Quando et priores hinc Lamias ferunt  
 Denominatos, etc.

V. 150. *Ille.* Ex quibusdam codd. revocavit *ille* Al. Rup. Importuna  
 enim, inquit, vox *illa* est; quam tamen omnes fere nostri codd. habent.

---

## SATIRÆ QUINTÆ

### ARGUMENTUM.

QUOT MALA SUSTINEAT PARASITICA VITA NOTATO.

Hujus satiræ summa est, ut cuivis ingenuo, et probo viro parasiticæ vitæ odium atque contemptum inspiret. At, si illi, quibus summum bonum videtur *aliend vivere quadræ*, miserimi, et merito omnium infimi habentur; quanto contemnendi magis divites isti superbi, qui ludificari clientem, atque, ut ita dicam, pedibus proculcare student! Et, primum, a Trebio quodam parasito poëta petit, nullane sit crepido, nullusne pons, quo se præcipitem dare; nullane proseucha, nulla tegetis pars, in qua stipem rogare possit, potius quàm tam indigna et pati, et velle? Divites enim patroni, qui nonnunquam pauperes clientes ad cœnam admittunt, amplissimam eis officiorum mercedem persolvisse putant (12 — 23): et quæ tamen cœna! in qua non eadem, quæ sibi, vina convivis pauperibus dantur, sed vilissima. Alium panem, pisces alios, oleum, aves, opsonia, fungos, aliam etiam aquam eis, et a vilioribus servis Mauris, Gætulis ministrari jubent; dum ipsi, eâdem mensâ, eodem fere lecto, cibus delicatissimis se ingurgitant, vasis pretiosissimis, et pulcherrimorum servorum ministerio utuntur (24 — 66). Quæ infamia! quæ societatis officiorum, atque humanitatis oblivio! Cùm tamen superbus iste patronus, non virtutum, sed opum rationem habeat, non licet pauperi, inter cœnandum, libere loqui; nec pocula illi ab hospite propinantur (125 — 131): quæ contra evenirent, si quando fortuna clientem der repente locupletaret. Quantus tunc ei honos ab eodem fastidiente patrono redderetur (132 — 145)! Et tamen, tam indigne clientes suos accipiunt patroni, non ut sumptui parcant; sed vanâ tantum opulentia suæ ostentatione; vel potius, quòd hinc

132 SATIRAE QUINTAE ARGUMENT.

suos dolere invitatos noverint; quippe ipsis nullus mimus, nulla comœdia melior, plorante gula (158). Inde poëta colligit, nihil vilius illo, qui tantæ occurrit sponte sua injuriæ; et, ut idem innuit, quicumque, ingenuus sit, aut etiam libertinus, talem bis patitur contumeliam, qui majore adhuc afficiatur, dignus certe videtur.



---

---

## SATIRA V.

### PARASITI.

**S**I te propositi nondum pudet, atque eadem est mens,  
Ut bona summa putes alienâ vivere quadrâ;  
Si potes illa pati, quæ nec Sarmentus iniquas  
Cæsaris ad mensas, nec vilis Galba tulisset:  
Quamvis jurato metuam tibi credere testi. 5  
Ventre nihil novi frugalius. Hoc tamen ipsum  
Defecisse puta, quod inani sufficit alvo:

1. *Si te propositi, etc.*] Hujus phrasis ordo est, et sensus: etiamsi, ô Trebi, mihi jures, te, tui propositi non pudere, tibi que eadem esse mentem, ut.... te denique illa posse pati, quæ, etc... tamen nolim tibi credere.

2. *Quadrâ.*] Aliorum sumptibus. Quadra proprie vasculum modice concavum, super quo cibi convivis apponuntur, quando est figuræ quadratæ, *quadra*, si rotundæ, *orbis* vocari solitum. Virg. Aeneid. 7:

..... Patulis nec parcere quadris.

3. *Sarmentus.*] Eques Romanus scurrilitate notissimus, atque ideo Cæsari Augusto gratissimus. De illo sic Horat. lib. I, sat. 5:

..... Nunc mihi paucis  
Sarmenti scurræ pugnas, Messique Ci-  
cerri,

Musa velim referas, etc.

— *Iniquas.* Quia, nec pariter convivæ habebantur; nec eadem omnibus opsonia distribuebantur, sed cuique, pro suâ conditione.

4. *Vilis Galba.*] Aevo Tiberii scurra insignis, de quo Martial. lib. 10, epigram. 101:

Elysio redeat si forte remissus ab agro,  
Ille suo felix Cæsare Galba vetus.

Qui Capitolinum pariter, Galbamque  
jocantes

Audierit, dicet: Rustice Galba tace.

5. *Jurato.*] Hic active positum. Tull. ad Att. lib. XIII, epist. 28: *Jurato mihi crede.*

6. *Ventre nihil novi frugalius.*] Sic Horat., lib. I, sat. 2:

Dives opis natura suæ; si tu modo  
recte

Dispensare velis, etc.

7. *Defecisse puta.*] Verum, esto: desint ventri necessaria.

V. 1. *Si.* Sic pro *si* v. 1 et 3 legendum censebat Lubinus, ut interrogatio esset; sed perperam: nam, et ubique legitur *si*; præterea, in hoc sensu, v. 5 non bene cohæreret cum præcedentibus. — *Est vacat* in multis codicibus.

Nulla crepido vacat? nusquam pons? et tegetis pars  
 Dimidiâ brevior? tantine injuria cœnæ?  
 Tam jejuna fames? cùm possit honestius illic 10  
 Et tremere, et sordes farris mordere canini?  
 Primo fige loco, quòd tu discumbere jussus  
 Mercedem solidam veterum capis officiorum.  
 Fructus amicitiae magnæ cibus: imputat hunc rex,  
 Et, quamvis rarum, tamen imputat. Ergo duos post 15  
 Si libuit menses neglectum adhibere clientem,

8. *Crepido.*] Nullusne est locus excelsus, seu ad ripam fluvii, seu ad viam publicam, Gall. *un quai, un rempart*, ex quo te præcipitem dare possis? — *Et tegetis pars.* Nullane est *tegetis pars*, seu mattæ (*natte de jonc*), *dimidiâ brevioris*, id est, mutilatæ, ubi mendices potius, quàm, etc. Vid. sat. III, v. 296, et IV, 116.

9. *Tantine injuria cœnæ.*] Tantine cœnam æstimas, in quâ toleras tot probra?

10. *Tam jejuna fames.*] Famesne tua tam jejuna est, quin possit? Pro, esne ipse adeo famelicus, quin possis, etc? Vid. infr.

11. *Et tremere.*] Frigore hor-

rere, ut mendici. — *Sordes farris mordere canini.* Qualis ex hordeo sordidus panis mendicis et canibus objiciebatur.

12. *Primo fige loco.*] Cogita.

14. *Amicitiae magnæ.*] Quæ tibi cum magno viro est. Vid. sup. IV, 20, 74. — *Rex.* Dives patronus, clientibus veluti rex imperans. Vide sat. I, v. 136. — *Imputat.* Tibi pro tuorum officiorum munere relatum putat. *Imputare* proprie dicuntur, qui quod alicui datum vel acceptum est, in rationes suas inferunt, ἐλάττωσι.

16. *Neglectum.... clientem.*] Ideo clientelam instituerat Romulus,

V. 10. *Cùm possit.* Nescio quid nugarum, huic loco nubem prætendentes, afferunt interpretes multi. Ex nostris codd. XXVII habent quidem *cùm possis*; reliqui vero, inter quos Alexandrinus, n° 2029; Colbertinus I, n° 7906; Thuanus I, n° 8071, *cùm possit*. At, prior, propter metrum laborantem, rejicienda videtur; etsi tamen melius præcedentibus aptatur. Posterior, non est certe inconveniens: nam, per licentiam poëtis usitatam, quod parasiti esset, fami ipsi addixit Juvenalis. Ita, sensus erit: famesne tua tam jejuna est, *cùm*, pro quin, possit ista fames honestius et tremere, et, etc? Quidam corrigunt, *cùm possis*; quod sensum obscuriorem efficit. Alexander Ruperti, *cùm pol sit*. Sed, id iterum dico, cur, cùm locus obscurior, perpetua illa contextus mutatio; idque repugnantibus codicibus et antiquis libris?

Tertia ne vacuo cessaret culcita lecto ;  
 Unà simus , ait. Votorum summa ! quid ultra  
 Quæris? Habet Trebius propter quòd rumpere somnum  
 Debeat , et ligulas dimittere , sollicitus , ne  
 Tota salutatrix jam turba peregerit orbem  
 Sideribus dubiis , aut illo tempore , quo se  
 Frigida circumagunt pigri sarraca Boôtæ.

ut patricos et plebeios officiorum mutua ratione devinciret ; utque hos contemptu superiorum , illos inferiorum invidiâ eximeret. Patronus clienti opem , aliaque necessaria ; patrono cliens suffragium et auxilium , vel ipsi , vel amicis debebat : hinc veneratio , et obsequentia ; illinc , protectio et tutela jubebantur. Verum , corrumpente republica , sensim evanuit hujus institutionis benignitas : servi propemodum habitati sunt clientes ; atque superbi et fastidiosi domini paulatim , nec jam amici , sed satellites facti sunt. A.

17. *Tertia ne vacuo , etc.* ] Salse poëta dicit , clientes non aliam ob causam a divitibus ad cœnam vocari , quàm ut justum conviviarum expleant numerum. — *Tertia... culcita.* Qui locus imus dicitur , et vilissimus. Ternis autem lectis circa mensam antiqui cœnabant , ut jam diximus , sat. I , v. 136. Unde *Triclinium* appellantur , non solum ipsi tres lecti ; sed etiam locus ipse ubi cœnabant. Vide Just. Lips. Ant. Lect. lib. III. *Culcita* autem appellatur , quæ aut plumis , aut tomento

repletur , et inculcetur. Gall. *un matelas* , vel *un lit de plumes*.

18. *Votorum summa !* ] Hæc εἰρωνικῶς intelligenda.

19. *Habet Trebius propter quòd , etc.* ] Scil. hæc satis justa causa , quare summo mane , et hyberno tempore patronum salutatum eat!

20. *Ligulas dimittere.* ] Calceorum , aut vestium ligulas vix aptatas relinquere , præ sollicitudine ac festinatione.

21. *Tota salutatrix.* ] Ne venerint ante ipsum alii clientes , qui dispositi veluti in orbem patronum salutârint , prius quàm ipse Trebius accessisset.

22. *Sideribus dubiis.* ] Summo mane , luce dubiâ. — *Tempore , quo se , etc.* Id est , in hyeme.

23. *Sarraca Boôtæ.* ] Sidus est septentrionale , proxime post illud , quod plaustrum vocant , adeo ut videatur plaustrum agitare , et boves urgere : hinc illi nomen Βόωτης , Bubulcus. Arctophilax quoque vocatur , quasi *Ursæ majoris* custos , quia huic sideri proximum est. *Pigri* cognomen ei datum , quia , cùm a polo propius sit , breviorum cir-

V. 17. *Culcita.* Culcitra XXV codd. habent : sed , rectius *culcita* , si fides habenda sit Festo , Nonio , Varroni , Manutio in orthogr. etc.

Qualis cœna tamen? Vinum, quod succida nolit

Lana pati : de convivâ Corybanta videbis.

25

Jurgia proludent; sed mox et pocula torques

Saucius, et rubrâ deterges vulnera mappâ,

Inter vos quoties, libertorumque cohortem

Pugna Saguntinâ fervet commissa lagenâ.

Ipse capillatō diffusum Consule potat,

30

culum conficit, ac lentius movetur.

24. *Succida.*] Ea dicitur lana succida, quæ succisa ex ovis nondum est lota. Sic dicta a sudore. De qua, ita Varro, libro II, de Re rust., cap. ult. *Tonsuræ tempus inter æquinoctium et solstitium, quo sudare oves incœperunt; a quo sudore recens lana tonsa succida appellata est. Tonsas recentes eodem die perungunt vino, et oleo: non-nemo admixtâ cerâ albâ, et adipe suillo.* Sic: *Quod succida nolit lana pati;* id est, tam crassum et vile, ut lana vix illud imbibat.

25. *De conviva.... videbis.*] Subaudi, te esse factum, hoc vino. — *Corybanta.* Temulentum, ac mente turbatum, ut Corybantes, Cybeles sacerdotes, qui furore correpti caput jactant, saltant, corpus rotant furentium instar; sic nuncupati a κορύπτω, saltando caput jactare.

26. *Pocula torques.*] In eos a quibus saucius fueris. Quod sic reprehendit Hor. lib. I, ode 27:

Natis in usum lætitiæ scyphis

Pugnare Thracum est.

27. *Mappa.*] Apud Romanos

*mappa* idem erat, atque apud Gallos, *la serviette*, mantile vero, *la nappe*. Temporibus Augusti, et longe post, non a domino præbebantur mappæ, sed quisque secum suam afferebat: unde Martialis, de quodam Hermogene furtis insigni, sic loquitur:

Attulerat mappam nemo, dum furta timentur:

Mantile e mensa sustulit Hermogenes. A.

29. *Saguntinâ.*] Fictili, a Sagunto civitate Hispaniæ, hodie *Morvedre*, in regno Valentiniæ; unde vasa fictilia mittebantur pulcherrima, quæ tamen, quia terrena, ideoque modici pretii, pauperibus apponebantur convivis. Martialis. lib. XIV, epig. 108:

Sume Saguntino pocula ficta luto.

— *Lagenâ.* Vas mediocris formæ, tam vinarium, quàm aquarium.

30. *Ipse.*] Patronus. — *Diffusum.* Vinum diffusum e torticulari, vel lacu, vel doliis, in amphoras et cados intus cera, pice, vel gypso inlitos, ut veterasceret, et multos demum post annos, promeretur. Sic vetus vinum *diffusum* vocabatur, cui opponebatur

V. 24. *Nolit.* XV codd. habent *nollet*, eodem sensu; sed elegantius dicitur *nolit*.

Calcatamque tenet bellis socialibus uvam,  
 Cardiaco nunquam cyathum missurus amico.  
 Cras bibet Albanis aliquid de montibus, aut de  
 Setinis, cujus patriam, titulumque senectus  
 Delevit multâ veteris fuligine testæ :

35

*doliare*, novum, asperum, de dolio haustum.—*Capillato.... Consule.* Cadis et amphoris inscribantur nomina Consulium quibus vinum condebatur; quo titulo, notâque, patria ætasque vini designari solebat. Hunc igitur Consulem multi, quibus assentior, volunt esse L. Opimium, quo Consule, scilicet an. V. C. DCXXXIII. et Gracchus civilia movens bella oppressus est, et propter cæli temperiem, adeo copiosus fuit generosorum vinorum proventus, ut, vel in ducentesimum annum ea servata fuerint. *Capillatum* autem appellat, id est, vetustum, priscum, ut *barbato regi*, supr. sat. IV, v. 103. A.

31. *Calcatam.... bellis socialibus uvam.*] Scilicet alterum vinum *diffusum* eodem tempore, quo bellum sociale Marsicum et Italicum exarsit, anno V. C. DCLIII, Sext. Julio Cæsare, et M. Philippo Consulibus. De quo vino, Horat. lib. III, od. 14 :

Et cadum Marsi memorem duelli.

32. *Cardiaco.... amico.*] Id est, laboranti dolore non cordis, sed stomachi: Græci enim, stomachum, os ventriculi καρδίαν vo-

cant. Cardiaco autem vino optimo maxime succurritur.—*Cyathum.* Id est, partem duodecimam sextarii; de quo vid. sat. XIV, v. 126.

33. *Aliquid.*] Scilicet vini.—*De montibus Albanis.* Albanum vinum quàm lene et dulce esset, disserit Plin. lib. XIV, cap. 2 et 6.—*Aut de Setinis.* Setia urbs, hodie, *Sezze*, in colle sita, Pomptinis juxta paludibus, vina diffundebat quæ, teste Plin. lib. XXII, cap. 1, ciborum concoctionem accelerabant.

34. *Cujus patriam, titulumque.*] Vide supra vers. 30, ad notam. Item Brod. Miscell. I, cap. 3, et Horat. lib. III, od. 21 :

O nata mecum, consule Manlio, etc.

35. *Fuligine.*] Mucore et situ, vetustate inducto.—*Testæ.* Idem ac cadi, amphoræ. Vasa erant fictilia, vel vitrea, quibus vinum servabatur, quæque gypso, vel pice hermetice obturabantur. Amphoræ autem ac testæ forma erat quadrata, vel cubo similis; cadi forma oblonga, rotunda, et pini fructum referens. De quorum capacitate vid. sat. XIV, v. 126. Sic Petronius: *Amphoræ vitreæ diligenter gypsata, allata sunt,*

V. 32. *Cardiaco, etc.* Ita hunc versum legit Lubinus ex exemplari nescio quo :

Cardiaco cyathum non porrecturus amico.



Quale coronati Thræsea Helvidiusque bibebant ,  
 Brutorum et Cassi natalibus. Ipse capaces  
 Heliadum crustas, et inæquales beryllos,  
 Virro tenet phialas : tibi non committitur aurum ;  
 Vel, si quando datur, custos affixus ibidem ,

40

*quarum in cervicibus pittacia erant affixa, cum hoc titulo:*

FALERNVN OPIMIANVN AN. C.

A.

36. *Quale coronati.* ] Floribus, ex hedera, apio, myrtho, rosis, coronati epulabant veteres, collaque sertis cingere solebant. — *Thræsea.* Et Helvidius gener ejus. Ambo libertatis amantes, et virtute prioribus reipublicæ temporibus haud indigna, tyrannidis odium atque invidiam non effugerent: nam, Thræseas Pætus a Nerone damnatus, sibimet, venis utriusque brachii excisis, mortem conscivit. Helvidius autem post soceri damnationem, interdicta sibi Italiâ, Apolloniâ concessit. De his fuse Tacitus, lib. XVI, et Suet. Ner. cap. 37, et Domit. cap. 10.

37. *Brutorum et Cassi.* ] Scil. L. Junii Bruti, qui Romam regio dominatu liberavit, D. Bruti, qui in Cæsarem conjuravit; et imprimis M. Bruti et C. Cassii, qui Cæsarem interfecere, et adversus Antonium et Octavium, liberandæ patriæ causâ, ad internecionem

usque bellum sustinere. Cæterum, hic, sicut in multis locis, Juvenalis ad libertatem animi propensioris et erectioris, etsi occulta, at non indubitata prodit indicia. Vid. sat. I, v. 17, sat. IV, 150 et seqq. VIII, 26. XIV, 41 et seqq. 254 et seqq. A.

38. *Heliadum crustas.* ] Heliades, Phaëtonis sorores, nimio fletu in populos sunt mutatae electrum stillantes; *crustas* autem Cicero vocat vasorum ornamenta; unde Heliadum crustæ, pro vasis ex electro conflatis, aut eadem materiâ ornatis. Electrum autem a feminis magni solebat æstimari, et gestari monilium vice. — *Inæquales beryllos.* Id est, phialas beryllo textas, et per hoc *inæquales*, asperitate et extuberantiâ gemmarum. Plin. lib. XXXVII, c. 5. *Poliuntur berylli figurâ sexangulâ, quoniam hebescunt, nisi color surdus percussu angulorum excitetur; aliter enim politi non habent fulgorem eundem.*

39. *Virro.* ] Ipse *Virro*. Nomen fictum patroni. De eodem vid. sat. IX.

V. 36. *Thræsea Helvidiusque.* Magna in his nominibus scribendis varietas codicibus inest. Alii *Træsea*, alii *Elvidius*, *Elidius*, *Elvinus*, etc.

V. 38. *Inæquales beryllos.* Revocavi, ex omnibus nostris codd. et edit. prisc. ut et codd. Alex. Rup. At editores recentiores, sua auctoritate, correxerant *inæquales beryllo*; quasi inconueniens esset nostra lectio,

Qui numeret gemmas, unguisque observet acutos.

Da veniam : præclara illic laudatur iaspis.

Nam Virro , ut multi , gemmas ad pocula transfert

A digitis , quas in vaginæ fronte solebat

Ponere zelotypo juvenis prælatus Iarbæ.

45

Tu Beneventani sutoris nomen habentem

Siccabis calicem nasorum quatuor , ac jam

Quassatum , et rupto poscentem sulphura vitro.

41. *Gemmas.*] Poculo insertas.  
— *Ungues observet.* Ne furtim gemmas, vel aurum abrasas.

42. *Da veniam.*] Ironice; neque hoc ægre ferendum est tibi: nam, iaspis præclara, etc.—*Iaspis.* Gemma viridis coloris, interdum rosei, aut fulvi, Gall. *du jaspe.* Optima autem illa purpurei coloris habetur.

44. *Quas in vaginæ fronte.*] Gemmæ armorum olim, nunc poculorum ornamenta. Poëta respexit ad verba Virg. *Aeneid.* IV. 261: . . . . . Stellatus iaspide fulvâ  
Esis erat, etc.

45. *Zelotypo.*] Proprie amatori formæ, vel potius, æmulo propter formam, Gall. *jaloux*; a ζήλος, æmulatio, et τύπος, forma.—*Juvenis.* Aeneas scil. Didoni adamatus, et prælatus *Iarbæ*, Libyæ regi. Virgil. *Aeneid.* IV, 36 et 196 — 218.

46. *Beneventani sutoris.*] Is nomine Vatinius primo sutor, inde vitreorum artifex, a quo Vatiniiani calices appellati. Corn. Tac. an. XV, *Nero*, inquit, *apud Beneventum consedit, ubi gladiatorum munus a Vatino celebre edebatur. Vatinius inter sædissima ejus aulæ ostenta fuit, sutrinæ tabernæ alumnus, corpore detorto, facetiis scurrilibus, etc.*

47. *Nasorum quatuor.*] Vatinius grandem nasum habuit; hinc, calices qui nasos, scil. rostra habent, Vatiniianos quidam dictos putant. Martial. lib. XIV, epig. 96:

Vilia sutoris calicem monumenta Vatini

Accipe: sed nasus longior ille fuit.

48. *Rupto poscentem sulphura.*] Scil. dignum, qui sulphuratis ramenti permutetur: nam vitrea

quam sic interpretamur: *Virro tenet phialas, Heliadum crustas, et inæquales beryllos*; scil. ex Heliadum crustis, et inæqualibus beryllis effictas. Nihil credo, in hoc sensu, quod non sit clarum et perspicuum; atque, nec dubito asserere, magis poëticum.

V. 42. *Illic.* Hoc est, in poculo. Ita omnes fere nostri codd. ad numerum XXX. Alii, *illi.* Duo vitiosius, *illi claudatur.*

V. 45. *Iarbæ.* Multi codd. et edd. recentiores scribunt *Hyarbæ*, vel *Yarbæ*. At vid. interpp. Virg. *Aeneid.* IV, v. 36, et Sil. I, 417.

Si stomachus domini fervet vinoque ciboque,  
 Frigidior Geticis petitur decocta pruinis. 50  
 Non eadem vobis poni modo vina querebar;  
 Vos aliam potatis aquam. Tibi pocula cursor  
 Gætulus dabit, aut nigri manus ossea Mauri,  
 Et cui per mediam nolis occurrere noctem,  
 Clivosæ veheris dum per monumenta Latinæ. 55  
 Flos Asiæ ante ipsum, pretio majore paratus

rupta sulphuratis ramentis, Gall.  
*des allumettes*, permutare solebant  
 Romani. Sic Martial. lib. I, epi-  
 gram. 42 :

Qui pallentia sulphura fractis  
 Permutant vitreis.

Et Statius in *Silv.* lib. 2.

. . . . Quique comminutis  
 Permutat vitreis gregale sulphur.

50. *Decocta.*] Scil. aqua. Plin.  
 lib. XXXI, cap. 3. *Neronis*, in-  
 quit, *principis inventum est deco-*  
*quere aquam, vitroque demissam in*  
*nives refrigerare. Ita voluptas fri-*  
*goris contingit sine vitis nivis.*

52. *Cursor.*] Servus a pedibus,  
 ante rhedas currens, tabellarius.

53. *Gætulus.*] Gætuli sunt po-  
 puli Libyæ interioris, testibus

Pomp. Mela, et Ptolemæo, at  
 Mauritaniæ Plinio et aliis multis.  
 — *Manus ossea Mauri.* Maurus  
 exilis, macilentus, et horridus.  
 Mauritania autem Africæ regio in  
 Barbaria occident. ubi nunc sunt  
 regna Algerii, Fezzæ, et Marochii.

54. *Cui, etc.*] Nempe, ob squa-  
 lorem et maciem, hunc crederes  
 μωρὸν, seu μωροδύκη, osseum  
 spectrum, phantasma, et umbram  
 mortui. Sic, ex occurso Aethio-  
 pis et Mauri, M. Brutus sibi cla-  
 dem, et Hadrianus mortem au-  
 gurabantur imminentem.

55. *Monumenta.*] Sepulchra.—  
*Clivosæ Latinæ.* Vid. sat. I, v. 171.

56. *Flos Asiæ.*] Formosissimus  
 servorum ex Asia: nam, inde

V. 53. *Gætulus.* Quidam scribunt *Getulus*. At, ut innuit Al. Rup. di-  
 cuntur Græc. Γαιτούλοι.

V. 56 *et seqq.* Codex Ulmensis ab Al. Rup. citatus, demptis quinque  
 versibus, scil. 57, 58, 59, et 61 dimidia parte, 62, 63; sic a vers. 56,  
 usque ad 66, propositionem ordinat:

Prospice cùm sities, tu, Gætulum Ganymedem:  
 Flos Asiæ, ante ipsum, pretio majore paratus  
 Pauperibus miscere puer tot millibus emptus,  
 Nescit, ut indignans veteri parere clienti,  
 Quòdque aliquid poscas, et quòd se stante recumbas.

In contextu auctorum vertendo et corrumpendo, nonnullos imitatores  
 invenit iste codex, cæteroquin mutilus, et pessimæ notæ.

Quàm fuit et Tulli census pugnacis, et Anci;  
 Et, ne te teneam, Romanorum omnia regum  
 Frivola. Quod cùm ita sit, tu Gætulum Ganymedem  
 Respice, cùm sities. Nescit tot millibus emptus 60  
 Pauperibus miscere puer: sed forma, sed ætas  
 Digna supercilio. Quando ad te pervenit ille?  
 Quando vocatus adest calidæ gelidæque minister?

pulcherrimi habebantur servi; præsertim ex Lycia et Phrygia. — *Pretio majore paratus.* Plin. lib. VII, cap. 12. *Toranius Mango*, inquit, *M. Antonio jam triumviro eximios formâ pueros duos vendidit sestertiis ducentis.* CC.H.S. ducentis millibus sestert. 39197 fr. 53.

57. *Tulli.... pugnacis.*] Cur *pugnax* vocatus sit, sic explicat Virg. *Aeneid.* VI, vers. 813:

Otia qui rumpet patriæ, residesque  
 movebit

Tullus in arma viros, et jam desueta  
 triumphis

Agmina. . . . .

— *Et Anci.* Ancus Martius, quartus Romanorum rex, Latinos subegit, ditionemque Romanam ad mare protulit; atque Ostiam urbem in ipso maris et Tiberis confinio, ædificavit.

59. *Frivola.*] Pro opibus nullius pretii. Vid. sat. III, vers. 198. — *Quod cùm ita sit.* Ne igitur credas, tibi a tali servo, tanti pretii empto, pocula ministrari; *sed, cùm sities, respice ad tuum Gætulum Ganymedem*, scil. ad hunc squalidum et deformem Maurum pone te astantem; nam, puer ille formosus scil. *flos Asiæ*, qui est ante ipsum dominum, nescit, etc. — *Gætulum Ganymedem.* Ironice jun-

git dissimilia: *Gætulus* enim fuscus ac horridus; *Ganymedes* contra Trois filius, Trojanorum regis, et formosissimus fuit, et a Jove raptus, ejusque factus pincerna.

61. *Miscere.*] Interpretes plerique volunt ab antiquis aquâ, *temperantiæ et frugalitatis causâ*, vinum dilui. Id ego minime puto: necesse enim erat, vinum vetus et temporis lapsu, et ipsa sua compositione, et materia quâ servabatur, coagulatum, ac prope solidum factum, aquâ calidâ dilui, atque cum ea misceri, ut ad primitivam fluiditatem rediret: inde, *miscere vina, vinum aquâ diluere*, plana fiunt, minimeque obscura. Sic de vetusto vino loquitur Plin. lib. XIV, cap. 4. *Adhuc vina ducentis fere annis, jam in speciem redacta mellis asperi; atque hæc natura vini in vetustate est.* A.

62. *Supercilio.*] *Hæc enim, inquit Plin. lib. XI, cap. 37, vulgo fastui et superbiæ sedes assignatur, quamquam in corde nascitur.*

63. *Calidæ gelidæque.*] De usu calidæ aquæ ad potum, ad delicias, ad diluenda vina, et ad provocandum vomitum jam disseruimus satis. A.

Quippe indignatur veteri parere clienti,  
 Quòdque aliquid poscas, et quòd se stante recumbas. 65  
 Maxima quæque domus servis est plena superbis.  
 Ecce alius quanto porrexit murmure panem  
 Vix fractum, solidæ jam mucida frusta farinæ,  
 Quæ genuinum agitent, non admittentia morsum.  
 Sed tener, et niveus, mollique siligine factus, 70  
 Servatur domino. Dextram cohibere memento.  
 Salva sit artocopi reverentia. Finge tamen te

64. *Veteri.*] Jam antiquo, olim noto, et domini sui amico.

66. *Maxima quæque.*] Servi enim mores dominorum imitari solent: *Dignum patellâ operculum*; et, ut ait Euripides: μέτεσι τοῖς δούλοισι δεσποτῶν νόσσυ.

67. *Alius.*] Servus diribitor. — *Quanto murmure.* Id est, murmurans.

68. *Vix fractum.*] Pro vix frangendum: tam durum, ut frangi facile non queat. — *Mucida.* Mucore corrupta. — *Farinæ.* Materia, pro materiato.

69. *Genuinum.*] Genuini dentes sunt posteriores, et novissimi, in extrema gena, scil. gengiva.

70. *Siligine.*] Siligo candidissimum tritici genus, ex quo lautissimum, itemque levissimum panis fit. Columel. II. *Nec nos, tanquam optabilis agricolis, fallat siligo: nam, hoc tritici vitium est, et quamvis candore præstet, pondere tamen vincitur.*

72. *Salva sit artocopi reverentia.*]

Non adeo obscurus est iste locus quam sibi finxerunt interpretes. Primum, omnes nostri codd. et Al. Rup. habent *artocopi*; quam vocem ita interpretantur vett. gloss. « ἄρτος, latine *panis*, κόπος « labor: unde *artocopus*, id est, « qui laborat ad panem faciendum. — *Artocopi.* Pistoris, qui « summa arte conficit et laborat. « Dedignatur autem, si tu, cliens, « eo pane vescaris, qui ad usum « domini est factus. » Ego vero malim intelligi servum, qui panem secuerit (ἄρτοκόπον, κόπτοντα τὸν ἄρτον. Unde, non male legit cod. Thuanus I, 8071 *artocoptæ*.) Et, reipsa, servus erat distribuendo pani, ut alter secandis carnibus præpositus. Britannicus vult panem siligineum, multo labore κόπω confectum. Ferrarius Elect. II, 10. Panem assatum, seu escharitidem. Heninius lectionem codicum mutandam judicavit, et scripsit *artoptæ*; et intellexit panem non-

V. 72. *Artocopi.* Revocavi ex omnibus nostris codd. et edit. prisc. Vid. sup. comment.

Improbulum : superest illic, qui ponere cogat.  
 Vis tu consuetis, audax conviva, canistris  
 Impleri, panisque tui novisse colorem? 75  
 Scilicet hoc fuerat, propter quod, sæpe relictâ  
 Conjuge, per montem adversum, gelidasque cucurri  
 Esquilias, fremeret sævâ cùm grandine vernus  
 Jupiter, et multo stillaret pænula nimbo!  
 Aspice, quàm longo distendat pectore lancem, 80  
 Quæ fertur domino, squilla, et quibus undique septa

nihil assatum, quem Belgæ *geraspt wittebrood* appellant (Gall. *pain mollet*), panem triticeum, rasum in crustis exterioribus, qui beatioribus in deliciis est. Ad primam, opinor, et, forte, ad nostram explicationem redire cogimur, *servi secundo pani præpositi*, tum quia lectio *artocopi* est omnium codd. tum, præsertim, quia jam versu præcedenti, panem siligineum his verbis, *sed tener, et niveus, mollique siligine factus*, designavit; quod esset ejusdem verbi inutilis et inelegans repetitio. A.

73. *Improbulum.*] Minus timidum, paulo audaciorem.

74. *Vis tu.*] Verba dispensatoris ad convivam. — *Canistris.* Pane in cophinis contento. Metonymia est.

76. *Scilicet, hoc fuerat.*] Verba,

seu cogitata clientis indignantis se tam male tractari.

77. *Adversum.*] Arduum.

78. *Esquilias.*] Vid. sat. III, vers. 71. — *Vernus Jupiter.* Aër verno tempore sæpe ventosus et nimbosus. Aër et cælum *Jupiter* frequentius vocantur.

79. *Pænula.*] Pallii genus crasum et villosum, quod, sub Flaviis, in Urbe, non nisi tempore pluvio, gestatum fuisse videtur.

80. *Distendat.*] Eleganter, pro distendatur, porrigatur in lance.

81. *Squilla.*] Græce *πιννυθίρης*, *πιννοφύλαξ*, vel *καρκίνιον*, et *καρίδιον*. Quis ille fuerit piscis incertum est. Alii e genere concharum, alii cancerorum, omnes parvulum faciunt; ut Cic. Nat. Deor. II, 48: *Pinna vero, sic enim Græce dicitur, duabus gran-*

V. 74. *Vis tu, etc.* XXV codd. habent *vix tu*; quod recte explicari nequit. Alii melioris notæ *vis tu*. Quidam editt. recentiores, sua auctoritate reposuerunt, *vin' tu*, quod nullibi legitur.

V. 79. *Jupiter.* « *Juppiter*, inquit Alex. Rup. vulgo perperam scribitur: « nam, vox *Jupiter* contrahitur ex *Jovis* (nomen sing. inusit.) *pater*, primaque ej us syllaba ubivis producitur. »

Asparagis, quâ despiciat convivia caudâ,  
 Cùm venit excelsi manibus sublata ministri.

Sed tibi dimidio constrictus cammarus ovo

Ponitur, exiguâ feralis cœna patellâ.

85

Ipsè Venafrano piscem perfundit : at hic, qui

Pallidus affertur misero tibi caulis, olebit

*dibus patula conchis, cum parva squilla, quasi societate coit comparandi cibi.* Et Horatius, lib. II, sat. 8 :

Affertur squillas inter muræna nantes, etc.

Qui si tam parvus fuisset, quò tenderent verba Juvenalis? Unde videtur duo squillarum genera fuisse; unum parvum, alterum grande: quod confirmat Suidas de Apicio referens, illum in Libyam et Galatiam navigasse, cùm ibi longe majores *squillas*, quàm alibi, capi audivisset, easque comedentem multa sestertiorum millia consumpsisse. A.

82. *Asparagis.*] Asparagi in summis olim habiti deliciis, qui, cumino addito, inflammationes stomachi discutiunt. Gall. *asperges*. — *Despiciat.* Ab alto aspiciat, dum manibus servorum, quasi superbe fertur. — *Convivia.* Pro conviviis, ipsis clientibus.

84. *Cammarus.*] Ex genere cochlearum piscis, Græce ἀστακός. Ejus meminit Plin. XXVII, 3, et XXXII, 11. — *Dimidio constrictus... ovo.* Cujus condimentum media parte ovi est constrictum.

Gall. *lié d'un jaune d'œuf.* Nonne potius intelligendum: *constrictus*, id est, circumdatus in patina ovis sectis? Sic Martialis, lib. V, 79 :

Divisis cybium latebit ovis.

85. *Feralis cœna.*] Nam, ova quia ad lustrationem solita, propria etiam fuisse sepulchrali epulo, ut lens, sal et libum, videntur. Diis quoque inferis mœnas, aliosque pisciculos, et vilia quæque consecrare solebant, eaque in patellis sepulchro apponebant; unde *cœna* dicitur *feralis*, quia mortem veteres *feram* appellavere.

86. *Venafrano.*] Optimo quidem oleo, ex agris Venafri oppidi Campaniæ.

87. *Pallidus... caulis.*] Flaccescens, marcidus, quique pallido colore fastidium pariat. Mart. lib. XIII, epig. 17 :

Ne tibi pallentes moveant fastidia caules,

Nitratâ viridis brassica fiat aquâ.

— *Olebit laternam.* Præ se feret odorem vilissimi olei hujus, quod adhibetur lucernis, quali ungebatur *fraudatis Natta lucernis.*

V. 84. *Cammarus.* Codd. fere omnes *Gammarus*, seu *Gamarus*: sed, rectius *Cammarus* scribitur; utpote, Κάμμυρον Græci dicunt. Vid. Harduin. Plin. XXVII, 3.

Laternam. Illud enim vestris datur alveolis, quod  
 Canna Micipsarum prorâ subvexit acutâ;  
 Propter quod Romæ cum Bocchare nemo lavatur, 90  
 Quod tutos etiam facit a serpentibus atris.  
 Mullus erit domino, quem misit Corsica, vel quem  
 Tauromenitanæ rupes, quando omne peractum est,

Horatius, lib. I, sat. 6, v. 124.  
 Hic poëta videtur alludere ad  
 illud in Demosthenem jactatum,  
 τὸν λύχρον ὄζει.

88. *Alveolis.*] Vasis concavis,  
 lancibus, aut catinis ligneis.

89. *Canna.*] Navicula, cymba  
 ex arundine aut cannâ confecta.  
*In India arundines*, inquit Plin.  
 lib. VII, cap. 56, *tantæ proceri-*  
*tatis, ut singula internodia alveo*  
*navigabili ternos interdum homines*  
*ferant.* Eodem modo in Aegypto,  
 ex papyro et scirpo; ita quo-  
 que in America, apud barbaros,  
 cymbas confici novimus. — *Mi-*  
*cipsarum.* Numidârum, Afrorum,  
 quorum fuit rex Micipsa Massi-  
 nissæ filius. Vide Sall. Jugurt.

90. *Bocchare.*] Pro quovis Afro,

aut Mauro. Nomen proprium  
 regis Mauritanæ. Adeo igitur  
 teter erat olei odor Africani, ut  
 nemo Romæ ausus esset se lavare  
 cum Afro hoc peruncto; utque  
 ille odor defenderet eos a serpen-  
 tibus, qui frequentes sunt in  
 Africa.

91. *Quod tutos etiam, etc.*] Vid.  
 infra var. lect.

92. *Mullus.*] Vid. sat. IV, v.  
 15. — *Corsica.* Insula Tyrrheni  
 maris, Sardiniam inter et Ligu-  
 riam, olim Cyrnus, hodie, *la*  
*Corse.*

93. *Tauromenitanæ rupes.*] Tau-  
 romenium, seu Taurominium,  
 oppidum et portus Siciliæ in  
 orientali ora, quod vino et mar-  
 more inclaruit, hodie *Taormina.*

V. 91. *Quod tutos etiam, etc.* Hunc versum spurium putant doctissimi  
 quidam viri, inter quos Pulmanus, qui hunc a codd. vetustioribus abesse  
 existimat; et Al. Rup. qui, ex Schurzfl. ingeniose satis, sed sine aucto-  
 ritate, suspicatur eum esse scholium subjungendum his verbis vet. schol.  
 « Significat olenum Tripolitanum. » Quasi idem adjecisset, *quod tutos etiam*  
*facit a serpentibus Afros.* Id, etsi satis probabile, non tamen probatur.  
 Ego vero, illud certe scio, scil. hunc versum omnibus nostris codd.  
 adesse, atque ita legi. Præterea, omnes codd. habent *atris.*

V. 92. *Domino.* Sic XXV codd. et optimi: alii *domini.*

V. 93. *Tauromenitanæ.* Optimæ notæ, et antiquiores libri ita scri-  
 bunt: quidam *Taurominitanæ.* At Plinio *Tauromenium* dicitur lib. III,  
 cap. 8. Strab. *Ταυρομενία*; et passim in nummis, TAVROMEN, et TAY-  
 POMENITAN. Vid. Heins. ad Ovid. fast. IV, 475.



Et jam defecit nostrum mare, dum gula sævit,  
 Retibus assiduis penitus scrutante macello 95  
 Proxima, nec patitur Tyrrhenum crescere piscem.  
 Instruit ergo focum provincia: sumitur illinc  
 Quod captator emat Lenas, Aurelia vendat.  
 Virroni Muræna datur, quæ maxima venit  
 Gurgite de Siculo: nam, dum se continet Auster, 100  
 Dum sedet, et siccat madidas in carcere pennas,

*Quando omne.* Scilicet mare vicinum; *peractum est*, exhaustum est piscibus.

95. *Macello.*] Proprie Macellum est locus in quo venduntur opsonia quælibet; dictus a quodam insigni latrone nomine *Macello*, cujus domus publico decreto diruta fuit, et in forum conversa. Varr. Ling. Lat. IV, cap. 32. Hic autem sumitur *Macellum* pro piscatoribus foro piscatorio degentibus. — *Penitus scrutante.* Omnia loca, angulos, recessus maris diligenter pervestigante, ut nihil relinquatur piscium.

96. *Tyrrhenum piscem.*] Pisces maris Tyrrheni, quod alluit Italiam ab occasu, hodie *la mer de Toscane*.

97. *Instruit.*] Piscibus.—*Focum.* Culinam.—*Provincia.* Sic vocatur regio extra Italiam armis subacta, et Romanis tributaria.

98. *Captator.*] Hereditatis, heredipeta. Vide sat. IV, v. 18, et infra XII, 93 et seqq. — *Aurelia.* Vet. schol. « Mulier, quæ distrahebat pisces. » Alii intelligunt divitem orbamque matronam, quæ ab heredipetis, vel amatori-

bus pisces, aliosque delicatos cibos dono accipiebat, et eorum partem lucri gratia vendebat. Et forte, simplicius cetaria ipsa, etsi nomen illustre nimis videtur, quàm ut cetariæ conveniat. A.

99. *Muræna.*] Genus piscium, quod raptò vivit. Gall. *Mourene*, seu *Muræne*, Linn. *Helena*. Ab interpretibus Gallicis male nominata *Lamproye*. Vide Plin. IX, 23, et Hipp. Salvianum de Piscib. p. 6.

100. *Gurgite de Siculo.*] E freto, quod est Siciliam inter et Italiam: Aliàs Mamertino, Rhegino, Scyllæo; hodie *faro di Messina*. Hujus freti originem nos docent Strabo, lib. VI, et Virg. Aen. III, v. 416: Dissiluisse ferunt, cum protinus utraque tellus

Una foret, venit medio vi pontus, et undis,  
 Hesperium Siculo latus abscondit, arvaque et urbes  
 Littore diductas angusto interluit æstu.

— *Auster.* Ventus meridionalis imbrifer et aquosus, mare Siculum turbare solitus.—*Se continet.* In antro Aeolio.

101. *Sedet.*] Quiescit, ut ἵσθαί, καθῆσθαί, vel residet. Car-

Contemnunt mediam temeraria lina Charybdim.

Vos anguilla manet longæ cognata colubræ ,

Aut glacie aspersus maculis Tiberinus , et ipse

Vernula riparum , pinguis torrente cloacâ , 105

Et solitus mediæ cryptam penetrare Suburræ.

Ipsi pauca velim , facilem si præbeat aurem.

*cere* Aeolio scilicet. Virg. Aeneid. I, v. 52, et seqq. — *Siccata madidas*. A pluvia. Poëtice hæc omnia, et jocose in mythos poëtarum.

102. *Lina temeraria*.] Pro piscatoribus temerariis cum suis *linis*, seu retibus.—*Charybdim*. Gurgitem in freto Siculo, juxta Pelorum promontorium. *Hodie capo Faro*. *Charybdi* respondet Scyllæ scopulus. Virg., Aeneid. III:

Dextrum Scylla latus, lævum implacata Charybdis  
Obsidet, etc.

103. *Anguilla... cognata colubræ*.] « Id est, similis colubræ. » Vet. schol. at Grangæus putabat ad etymologiam alludi; *Anguillæ*, ut ait Isidorus, *similitudo anguis nomen dedit*. Britan. vero, et alii, poëtam sequi vulgarem opinionem de coïtu anguillæ cum serpentibus et colubris. *Dusaulx*, hæc, *anguilla cognata colubræ*, sic gall. interpretatur: *une anguille douteuse*. Quasi poëta innuere voluisset non *anguillam*, sed *colubram* etiam clientibus apponi; *quæ* interpretatio mihi non sincera videtur. A.

104. *Tiberinus*.] Scil. lupus piscis, *aspersus maculis*, qui minoris est pretii. *Lupi sine macula*, nam sunt et varii, maxime probantur. Colum. VIII, 16, 8.

— *Glacie*. Hyemis enim et frigoris tempore, has maculas contrahere credebantur. De lupo autem loqui voluisse Juv. minime certum est; cum contra lupum in maximo honore ap. deliciores Rom. fuisse testentur Horat. lib. II, sat. 2. Plin. lib. IX, cap. 54, et Macrob. lib. III, cap. 16. De quovis igitur alio pisce vili, et nobis ignoto hæc intellige. A.

105. *Vernula*.] Quasi indigena riparum, qui circa ripas hæerere soleat. — *Torrente cloaca*. Plin. XXXVI, 15. *Cloacæ operum omnium maximum, subfossis montibus, atque urbe pensili, subterque navigata. Fecit id Agrippa in Aedilitate, per meatus conrivatis VII amnis* (scil. cloacis præcipuis sub terram ductis, quot fuere colles Romæ), *cursuque præcipiti, torrentium modo, rapere omnia, atque auferre coactis. Qui insuper mole imbrium concitati vada ac latera quatunt, aliquando Tiberis retro infusi recipiunt fluctus, pugnantque diversi aquarum impetus intus; et tamen obnoxia firmitas resistit.*

106. *Cryptam*.] Græce κρύπτειν, à κρύπτω, *occulto*, subterraneam cavernam. — *Suburræ*. Vid. sat. III, vers. 5.

107. *Ipsi*.] Virroni. — *Pauca*, subaudi, dicere.

Nemo petit, modicis quæ mittebantur amicis  
 A Seneca, quæ Piso bonus, quæ Cotta solebat  
 Largiri: namque et titulis, et fascibus olim 110  
 Major habebatur donandi gloria: solum  
 Poscimus, ut cœnes civiliter. Hoc face, et esto,  
 Esto, ut nunc multi, dives tibi, pauper amicis.  
 Anseris ante ipsum magni jecur, anseribus par  
 Altilis, et flavi dignus ferro Meleagri 115

108. *Nemo petit modicis, etc.*] Virronem poëta alloquitur. *Nemo petit* larga munera, quæ, etc... *Sed*, tantum, ut cœnes, etc.

109. *Seneca.*] L. Annæus Seneca Cordubensis, et sua philosophia, et suis operibus, ipsaque sua morte illustri satis notus. — *Piso.* De quo Pisone locutus sit incertum est, cum tot illustres, liberales, ac magnificos viros Calpurnia gens tulerit, quæ ab ipso Numa Pompilio originem ducere gloriaretur: unde Horat. Art. Poët. Pisones ita compellaverit: *vos, ô Pompilius sanguis.* Verum de illo C. Calpurnio Pisone Frugi intelligere videtur, qui amicus et familiaris Senecæ, idemque auctor fuit conjurationis adversus Neronem, quæ ideo Pisoniana dicta fuit. — *Cotta.* Ex gente Aurelia. Forte is, cujus mentionem facit Tacit. an. XIII, 34. Vide infra sat. VII, 95. A.

110. *Fascibus.*] Qui erant insignia magistratuum: nam Dictatori XXIV lictores cum *fascibus*, Consuli XII. Prætori VI. Erat autem fascis, virgarum, seu bacil-

lorum manipulus loro circumdatus, in medio cujus erat securis ferro prominente.

112. *Cœnes civiliter.*] Ut bonum civem decet, communibus scilicet et indiscretis epulis. Iisdem fere verbis Ponticum quemdam admonet Mart. lib. III, epig. 59:

Cum vocor ad cœnam, . . . . .

Cur mihi non eadem quæ tibi cœna datur?

Ostrea tu sumis, etc. . . . .

113. *Dives tibi.*] Scilicet in cœna civilem te præbe, ac decentem; in aliis, ut mos est, *dives sis* tibi, id est, luxuriosus, et *pauper amicis*, id est, sordidus, avarus.

114. *Anseris... jecur.*] Lacte, ficu, mulso, et carica fartum. Anseris jecur in summis apud Romanos deliciis erat.

115. *Altilis.*] Anas, gallina, seu quæcumque avis alebatur ad saginam. — *Flavi. Pulchri*, Græc. ξαυθός, epitheton vulgare est, non modo puellarum, sed et virorum fortium, heroum. — *Meleagri.* Oenei Aetolorum regis filii, cujus fabula satis nota, ex Ovid. Metamorph. lib. VIII.

Fumat aper. Post huic radentur tubera, si ver  
 Tunc erit, et facient optata tonitrua cœnas  
 Majores. Tibi habe frumentum, Alledius inquit,  
 O Libye, disjunge boves, dum tubera mittas.  
 Structorem interea, ne qua indignatio desit,  
 Saltantem spectes, et chironomonta volanti

120

116. *Post huic radentur.*] In omnibus fere edd. *post hunc raduntur*; quod minus elegans, atque satiricum, ex sententia N. Heinsii, cui nos quidem, et *Dusaulx*, arrisimus. sic: *Post*, deinde, *huic*, scil. ipsi, soli Virroni, nec clientibus *radentur tubera*. Linn. *Lycopodon tuber*. Gall. *des truffes*, Germ. *trüffel*. A.

117. *Et facient.*] *Tubera dicuntur nasci, si imbres fuerint autumnales, et tonitrua crebra: tenerrima sunt tempore verno*. Plin. XIX, cap. 3. — *Cœnas*. cibos, hoc est, ipsa tubera.

118. *Tibi habe.*] Scil. *serva*. — *Alledius*. Nomen Romani cujusdam luxuriosi et gulosi.

119. *O Libye.*] Alloquitur Libyam, provinciam fertilitate insignem, et horreum Rom. populi, ubi ditiores Romani immensos possidebant agros. Ad hoc dixit Sidon. Ap.

*Arma Chalybs, frumenta Libes*, Campanus Iacchum.

— *Disjunge boves*. Frumentum non seratur, dummodo tubera ad me mittantur.

120. *Structorem.*] *Vulgoservum*, qui non modo mensas apparat, ferculaque ordine, ac commode in mensis struit; sed etiam, qui cibos scindit, ac convivis distribuit, et, tunc, ob id officium *carptor*, vel *scissor*, et *chironomon* dicitur. Attamen, hoc loco, duo videntur esse ministri distincti: ille *structor* qui disponit, collocat, idque saltans facit, id est, cum summa agilitate: nota *saltantem*: alter *chironomon*, *χειρονόμων*, a *χείρ*, manus, et *νόμος*, lex; id est; qui certa quadam lege, et ad numerum manus concinne motitat, vel continuo gesticulatur, proprie pantomimus, histrio, et hoc loco, ciborum sector, qui volanti cultro, id est, cum summa dexterritate cibos secat. Unde Petron. 36. *Scissor ad symphoniam ita gesticulans lacerat opsonium, ut putes Darium Hydraule cantante pugnare*. A.

V. 116. *Radentur*. XXX ex nostris codd. tum ex Al. Rup. habent *raduntur*. XII *radentur*. Et hæc lectio nobis, propter sermonis leges servatas, potior videtur. Tres tantum codd. aut quatuor habent *traduntur*: quam lectionem prætulit Al. Rup. qua de causa, nescio; nam *tubera radere*, pro *apponere*, non inusitatum est. Vid infr. sat. XIV, v. 7.

V. 121. *Spectes*. Multis codd. *spectas*. Quidam *videas*.

Cultello , donec peragat dictata magistri  
 Omnia : nec minimo sane discrimine refert ,  
 Quo gestu lepores , et quo gallinā secetur.  
 Ducêris plantā , velut ictus ab Hercule Cacus , 125  
 Et ponêre foris , si quid tentaveris unquam  
 Hiscere , tanquam habeas tria nomina. Quando propinat  
 Virro tibi , sumitque tuis contacta labellis

122. *Magistri.* ] Qui eum artem scindendi in pergula sua docuit , de quo dicitur amplius sat. XI.

123. *Nec minimo.* ] Ironice hæc omnia. Scilicet , multum refert , quibus gestibus gallina secetur , aut quibus lepus. Alludit ad varios ritus concidendi singula.

125. *Ducêris plantā.* ] Pedibus traheris foras , vi ejicieris e triclinio. — *Velut... Cacus.* Ab Hercule saxis , stipitibus et clavâ ictus , post demum pedibus e spelunca protractus. Quod satis notum e Virg. Aen. VIII , vers. 249.

127. *Hiscere.* ] Loqui , et os aperire ad loquendum , ab *hio* , *hiasco* , *hisco*. — *Tanquam habeas tria nomina.* Id est , tanquam et tu sis nobilis. Tria vulgo , quatuor sæpe , quinque aliquando nomina habebant Rom. nobiles : scil. prænomen , nomen et agnomen , sæpe nomen primitivum , cùm civis

quidam ex gente , in alteram adoptione intravisset ; aliquando etiam cognomen a victoriis , vel aliquo illustri facto , vel vitio quodam assumptum. Sic *Caius* , quod inscribitur *C.* prænomen ; *Julius* , nomen generis , quasi ortus e gente *Julia* ; *Cæsar* agnomen , quod sæpe familiam indicat. Sic *Publius* præn. *Cornelius* nomen , *Scipio* agnomen , *Aemilianus* , nomen primitivum , quod indicat illum ortum ex *Aemilia* gente , sed adoptatum ab uno *Scipionum* ; *Africanus* II , cognomen a Carthagine diruta sumptum. Sic quoque *C. Julius Cæsar Octavianus Augustus* , et alia plura. A. — *Propinat.* Græc. *προπινεῖν* proprie dicitur , qui poculum summis delibat labiis , aliique ebibendum tradit , quod honoris signum erat.

128. *Sumitque tuis.* ] Et mutuo accipit a te poculum delibatum.

V. 127. *Tanquam.* Duo codd. habent *quanquam* : idque non male , ut sit sensus : *Quanquam* sis nobilis , si tamen pauper es , ad divitis mensam non audebis *hiscere* , nisi velis ejici. Ad hæc , Schurzfleisch. ut ait Al. Rup. monet , errorem ex forma litteræ *t* , quæ sæculis IX , X et XI accedebat ad *c* ; unde quidam legerunt *cancam* , et scripserunt *quanquam*. Vetus scholion in suo codice legit : *sed melius sic : quanquam nobilis sis , et habeas tria nomina ut Cneus Cornelius Scipio , et si quid simile.* Nos vulgatam tamen , etsi hæc satis probabilia sunt , servare maluimus.

Pocula? quis vestrum temerarius usque adeo, quis  
 Perditus, ut dicat regi, bibe? Plurima sunt, quæ 130  
 Non audent homines pertusâ dicere lænâ.  
 Quadringenta tibi si quis Deus, aut similis Dis  
 Et melior fatis donaret; homuncio, quantus  
 Ex nihilo fieres! quantus Virronis amicus!  
 Da Trebio, pone ad Trebium. Vis, frater ab istis 135  
 Ilibus? O nummi, vobis hunc præstat honorem!  
 Vos estis fratres. Dominus tamen, et domini rex

130. *Regi.*] Virroni regi convivii. Vid. sat. I, v. 136.

131. *Homines pertusâ... lænâ.*] Lacerâ, ac sartâ veste induti, id est, pauperes. *Vestis virum facit.* Τῶν γὰρ πενήτων εἰσὶν οἱ λόγοι κενοί: et Theognis, τῷ γὰρ πενήθι δεδημένῳ, δίδεται ἡ γλώσσα: etsi, Πολύλακι καὶ κηπωρὸς ἀνὴρ μάλα καίριον εἶπεν.

132. *Quadringenta.*] Scil. sextertia, census equestrem, ut sat. I, 106, et II, 117.—*Si quis, etc.* Ordo est, et sensus: si quis Deus, aut alius *similis Diis* (ἴσος θεῷ, εἰκὼν τοῦ θεοῦ, sic enim dicebatur homo beneficus), et *melior, fatis*, tibi donaret quadringenta sest. tu, qui nunc Virroni *homuncio*, id est, vix homo es, quantus ex nihilo fieres! Quantus ejusdem Virronis amicus! Interpretes fere omnes hæc aliter explicant, vocem *homuncio* præcedentibus aptantes, sic: *si quis Deus, aut homuncio* (*un homme de rien,*

*un parvenu*) *similis Diis, et melior fatis, tibi donaret, etc.* At, aliena videtur nobis hæc interpretatio: nam, *Homuncio* contemptim dicitur, ut *homullus, homunculus, homullulus*; nec recte dici potest de homine benefico, et Diis simili. A.

135. *Da Trebio.*] Verba divitis, si cliens ejus ditaretur.

136. *Ilibus.*] E partibus delicatioribus. Iliba, auctore Celso dicuntur pulpamenta, quæ inter coxam et ventrem posita sunt.—*O nummi!* O nummi, ad vos solos tantus honor spectat!

137. *Vos estis fratres.*] Tu et patronus ille superbus. Huic loco comparetur epigram. simile Palladæ: Ἦν ὁ φίλος τι λάβῃ, Domine frater, εὐθὺς ἔγραψεν,  
 Ἦν δ' αὖ μή τι λάβῃ, τὸ frater εἶπε μόνον.  
 Ὡνία γὰρ καὶ ταῦτα τὰ ῥήματα· αὐτὰρ ἔγωγε  
 Οὐκ ἐθέλω Domine, ὅς γὰρ ἔχω δόμεναι.

V. 133. *Homuncio.* Ex nostris codd. optimi distinctionem posuerunt ante verbum *homuncio*, et hanc phrasim, ut nos intellexerunt, quod, reipsa, melius fluit. Vid. sup. comment.

V. 137. *Vos estis fratres.* Ita legunt omnes nostri codd. uno excepto,

Si vis tu fieri, *nullus tibi parvulus aulá*

*Luserit Aeneas*, nec filia dulcior illo.

Jucundum, et carum sterilis facit uxor amicum. 140

Sed tua nunc Mycale pariat licet, et pueros tres

In gremium patris fundat simul, ipse loquaci

Gaudebit nido; viridem thoraca jubebit

Afferri, minimasque nuces, assemque rogatum,

Ad mensam quoties parasitus venerit infans. 145

138. *Nullus tibi.* ] Poëta festive utitur verbis Virg. Aeneid. IV, 328.

139. *Nec filia dulcior illo.* ] Filia enim sæpe parentibus, viris præsertim, dulcior est filio.

140. *Jucundum... facit.* ] Vir sine prole, placet admodum Virroni, aliisque testamentorum captatoribus. Sis igitur sine liberis, si vis Virronis esse dominus et rex.

141. *Sed tua, etc.* ] Attamen, si tua uxor Mycale dederit tres filios, ob id solum, quia dives factus eris, ei carus fies. *Lubino* placet hoc nomen proprium *Mycale*, seu *Micale*, seu *Migale* derivari a *μίγγυμι*, *μιγγύω*, *coëo*, idque non esse proprium uxoris legitimæ, sed concubinæ; sic igitur hunc locum interpretatur: at tua concubina, vel *tres pueros simul pariat licet*; non ideo indignabitur Virro, sed gaudebit, nihil veritus, ne, propter filios adulterinos, ab hereditate exclu-

datur. Et ea nobis sincera et vera videtur interpretatio. A.

142. *Loquaci nido.* ] Jucunda sane, et pergrata ab avibus metaphora ducta, quam explicando dilueris. Hic autem locus, v. 138 — 145, Virg. melos totussapit. A.

143. *Thoraca.* ] Vestimentum pectori proprium, a vocabulo Græco *θώραξ*, pectus.

144. *Minimasque nuces.* ] Avellanas.—*Assemque rogatum.* A puero, qui notos ita compellat: da mihi nummulum, poma, pyra, nuces.

145. *Parasitus... infans.* ] Blandiens, et appetens cibi. Honorabit itaque te, tuosque Virro, quia dives nunc es, et sperat gratiam a te relatum iri. *Κεκλημένους δὲ ἐπὶ δεῖπνον, κελεῦσαι καλέσαι τὰ παιδία τὸν ἐσιῶντα. Καὶ εἰσιόντα, φῆσαι σύκου ὁμοιότερα εἶναι τῷ πατρὶ· καὶ προσαγαγόμενος, φιλήσαι, καὶ παρ' αὐτὸν καθίσαι· καὶ τοῖς μὲν συμπαίξειν αὐτὸς, λέγων, Ἄσκος, Πέλεκυς.* Theophrast., *charact.* V.

scil. cod. n° 8291, qui habet, *vos estis frater*; quam lectionem Markland temere arripuit, et post hunc *Dusaulx*, et ita explicant: « Ad vos spectat illud tam dulce, tam blandum FRATER! » At illa paulo contorta, et subtilior videtur interpretatio.

Vilibus ancipites fungi ponentur amicis,  
 Boletus domino; sed qualem Claudius edit  
 Ante illum uxoris, post quem nil amplius edit.  
 Virro sibi, et reliquis Virronibus illa jubebit  
 Poma dari, quorum solo pascaris odore; 150  
 Qualia perpetuus Phæacum autumnus habebat,  
 Credere quæ possis subrepta sororibus Afris.

146. *Vilibus... amicis.* ] Clientibus. — *Ancipites fungi.* Ideo fungos vocat *ancipites*, quia alii sunt boni, alii mortiferi. Plin. lib. XXII, cap. 22. *Quorundam ex his facile noscuntur venena, diluto rubore, rancido aspectu, livido intus colore, rimosâ striâ, pallido per ambitum labro.*

147. *Boletus.* ] Species fungorum innocua, eademque præstantissima, de qua Martialis lib. XIII, ep. 48 :

Argentum atque aurum facile est lænamque togamque

Mittere : boletos mittere difficile est.

— *Claudius.* Rom. Imperator V, boletorum appetentissimus.

148. *Ante illum uxoris.* ] Suet. Claud. cap. 44. Plinius, libro XXII, cap. 22. *Inter ea quæ temere manduntur, inquit, boletos merito posuerim, optimi quidem hos cibi, sed immenso exemplo in crimen adductos, veneno Tib. Clau-*

*dio principi, per hanc occasionem, a conjuge Agrippina dato; quo facto illa terris venenum alterum, sibi que ante omnes, Neronem suum dedit. Nero jocans fungos Deorum cibos appellabat.*

149. *Reliquis Virronibus.* ] Sui similibus opulentia.

150. *Quorum solo pascaris odore.* ] Id est, tu nihil inde percipis, nisi odores. Alludit forte ad illam gentem Indicam, quæ, Solino auctore, solo pomorum odore victitare dicitur.

151. *Phæacum.* ] Populi habitantes Corcyram insulam, in mari Ionio prope Epirum, hodie *Corfou*, ejusdem rex Alcinoüs, cujus hortus notissimus, itemque perpetuis fructibus nobilissimus, ex Hom. Od. η v. 119. Αἰεὶ Ζεφυρίη πνεύουσα τὰ μὲν φύει, ἄλλα δὲ πείσσει.

152. *Sororibus Afris.* ] Hæ sunt Hesperides tres : Aegle, Arethusa, Hesperetusa aureis malis

V. 147. *Qualem.* Ita omnes fere nostri codd. paucis exceptis; et recte: nam, ex hoc loco, apparet aliquod inesse discrimen inter *fungos* et *boletum*: ita, ut, illi sint silvestres, sponte sua nascentes, ideoque viliores; hic vero, in hortis ex arte surgens, ideoque exquisitior. *Boletus* ergo non *fungus* in deliciis erat Claudio Imp. Quam distinctionem non ii percepisse videntur, qui ut Al. Rup. scripserunt *quales*.



Tu scabie frueris mali, quod in aggere rodit,  
 Qui tegitur parmâ, et galeâ, metuensque flagelli  
 Discit ab hirsuta jaculum torquere capella. 155  
 Forsitan impensæ Virronem parcere credas.

in horto nascentibus celebres. Plin., lib. XIX, cap. 4. *Antiquitas, inquit, nihil prius mirata est, quàm Hesperidum hortos ac regum Adonis et Alcinoi.* Hi autem horti, teste eodem, siti erant juxta Lixum Mauritaniae oppidum, et Herculis delubrum, CC passib. ab Oceano Gaditano.

154. *Qui tegitur parmâ.*] Innumeris pene glossis locum hunc obscuraverunt interpretes. Quorum versiones ad duas tantum reducere necesse est. Altera: *Tu frueris scabie mali*, id est, malo scabioso, *quod, quale rodit in aggere*, campo, *ille* scil. tiro, *qui tegitur parmâ*, levi scuto, quale decet tironem non armis assuefactum, *et galeâ*; *et metuens flagelli*, vel fustis, vel virgæ, ut volles, *discit ab hirsuta capella*, id est, a centurione campi magistro sene et pilis horrenti, *torquere jaculum.* Nota, quod Suet. cujusdam equitis nomine *Capellæ* meminit, Vesp. cap. 3. et Persius III, 77. *De gente hircosa centurionum* loquitur. Altera: *tu frueris scabie mali, quod in aggere*, scil. in campis prætorianis, prope Urbis mœnia daretur *rodendum simiæ*, quam prætoriani otiosi, et

ludendi gratiâ, *parmâ galeâque tectam, hirsutæque capellæ inequitantem, flagelli metu*, ad disciplinam *torquendi* inde, instar equitis, *jaculi* compellant. Quarum primam, et a pluribus secutam, et simplicem, probabilemque magis esse constat. Altera vero a Claverio, Grangæo, Rutgersio et Henninio adoptata videtur argutior et subtilior, his duabus fulta auctoritatibus, scil. veteris schol. qui ad vocem *mali* notavit, *quale simia manducat*; itidemque Leonis Africani, qui *simiam equitem ex capra*, et *jaculandi artificem* inter ludicra militis etiam Asiatici enumerat. — Non male quoque, et, nostro judicio, rectius *Omnibonus* (quis fuerit ille nescio), in suo commentario ad Juvenalis-satiras, quod ex Bononia allatum nunc exstat in Bibl. Imp. Paris. sub n° 110 — 40 c. « *Ab hirsuta capella.* Id est, a tegmine « *cilicii*: nam, de setis hircorum « *cilicia texuntur*», quibus et naves, et tentoria tegere solebant: « nam, optima sunt adversus « *ignem et aquam tegmina.* Consuetat autem in castris *cilicii* usos « *fuisse milites Romanos.* Ergo, « *nihil dicit aliud, nisi a tento-*

V. 155. *Hirsuta... capella.* Ita omnes nostri codd. et Al. Rup. sine igitur auctoritate, quidam editt. reposuerunt *hirsuto*, ad fulciendam interpretationem, de sene magistro centurione campi doctore. At, id non erat necesse. Vid. sup. comment.

Hoc agit , ut doleas : nam quæ comœdia ! mimus  
 Quis melior plorante gulâ ? Ergo omnia fiunt ,  
 Si nescis , ut per lacrymas effundere bilem  
 Cogaris , pressoque diu stridere molari. 160  
 Tu tibi liber homo , et regis conviva videris :  
 Captum te nidore suæ putat ille culinæ ;  
 Nec male conjectat. Quis enim tam nudus , ut illum  
 Bis ferat , Etruscum puero si contigit aurum ,  
 Vel nodus tantum , et signum de paupere loro ? 165  
 Spes bene cœnandi vos decipit. Ecce dabit jam  
 Semesum leporem , atque aliquid de clunibus apri.

« rio. Alii dicunt , ab amento ,  
 « sed id quoque falsum est. »

157. *Mimus.*] Nomen commune et cuidam poëmatis dramatici generi liberioris , solutiorisque , quod mores obscœnos , supra , et etiam adulteria exprimebat , et auctoribus , qui id composuerant , et actoribus id in scena agentibus.

158. *Plorante gulâ.*] Famelico parasitico , qui fame maceratur. Plaut. Stich. I , 3 , 64 :

Ridiculus æque nullus est , quàm quando esurit.

159. *Bilem.*] Iram. — *Effundere per lacrymas.* Ut Ovidius , dixit Trist. IV , 3 , 38 :

Expletur lacrymis , egeriturque dolor.

160. *Diu stridere molari.*] Maxillari dente stridere , frendere dentibus , ut irati solent.

161. *Tu tibi liber.*] Qui tamen servus es gulæ. Horat. Ser. II , sat. 7 , v. 111.

Nil servile gulæ parens habet.

Et Mart. II , 53 :

Liber eris , cœnare foris , si , Maxime , noles.

— *Regis.* Vid. sat. I , v. 136.

162. *Captum te nidore.*] Horat. II , 7 , 38 :

Nasum nidore supinor.

163. *Quis tam nudus.*] Inops , pauper , ut illum Virronem superbum bis ferat.

164. *Etruscum.... aurum.*] Bullam auream intelligit , quam pueri nobiles et ingenui collo suspensam ferebant , cui cordis forma erat , quamque vocat Etruscam , quòd illud nobilitatis insigne , ut multa alia , ab Etruscis petitum videtur.

165. *Vel , nodus tantum.*] Libertorum filii , et pauperes lorum , quod in nodum erat sine bulla collectum , ferebant.

166. *Ecce dabit jam , etc.*] Verba , vel cogitationes pauperis clientis , qui sperat venturas saltem ad se reliquias lautitiarum do-

Ad nos jam veniet minor altilis. Inde parato  
 Intactoque omnes, et stricto pane tacetis.  
 Ille sapit, qui te sic utitur. Omnia ferre 170  
 Si potes, et debes. Pulsandum vertice raso  
 Præbebis quandoque caput, nec dura timebis  
 Flagra pati, his epulis, et tali dignus amico.

mini; hinc fit, ut ne attingat quidem viles cibos sibi præpositos.

168. *Minor altilis.*] Gallina, ut sup. v. 115, aut anas: nam anser est major altilis. — *Inde parato, etc.* Quia speratis partem ciborum domini vobis datum iri, *tacetis*, et in silentio exspectatis.

169. *Intactoque... et stricto pane.*] Suspensi omnes, inter spem et metum, habetis panem vestrum *paratum, intactum*, stringentes, imminuentes tantum illum leviter (Gall. *grignotant.*) in expectationem cœnæ lautioris nunquam venturæ.

170. *Ille sapit, etc.*] Hæc cum

indignatione dicuntur. — *Ille.* Scil. Virro sapit, qui te tam contumeliose ac superbe tractat: dignus es qui ita tracteris.

171. *Pulsandum vertice raso.*] Ordo est: aliquando præbebis *caput, vertice raso*, more servorum, *pulsandum*, id est, colaphis percutiendum. — *Pulsandum.* Parasiti et ejusdem farinæ homines sæpe ridiculi, *γελωτοποίοι* et plagipatidæ erant. — *Vertice raso.* Servi, ut plurimum, olim rasi erant, ex servili ritu. Brod. Misc. IX, 1. Immo, scurris et morionibus ad ludibrium capita radebantur. Ferrar. Elect. II, 13.

V. 169. *Tacetis.* Frustra Lubinus legit *jacetis*: nam, ubique scribitur *tacetis*.

---

# SATIRÆ SEXTÆ

## ARGUMENTUM.

SEXTA HAC INFIDAS MULIERES MONSTRAT ABUNDE.

Dehortaturus Juvenalis amicum suum Ursidium Postumum, a ducenda uxore, ingenti utitur arte. Omnia enim vitia, quibus femineum genus est obnoxium, commemorat, nihil omittens quod ad partes dissuasionis attineat. Et, primo, mulierum impudicitiam carpit et libidinem effrenatam, cujus explendæ causâ, feminae etiam nobilissimæ et Augustæ cum histrionibus, citharædis ac gladiatoribus concumbant, patriam relinquunt, atque in lupanaribus prostent (47—132). Harum deinde ordine recenset insanam ludorum spectandorum cupidinem, durum in maritos imperium, superbiam, maxime earum quæ nobilitate generis, formâ, fecunditate, castitate etiam cæteris præstant (133—183); divortia crebra, suspectam fidem, cupiditatem litium, impudentiam, quâ in gymnasia, inter viros, et in arenam descendere Circi non erubescant (184—267); zelotypiam, lacrymas fictas, insignem audaciam, quâ deprensæ in flagitio se defendant, mollitiem et luxuriam, temulentiam, et orgia nefanda, turpitudinem inauditam, quâ Pudicitia ipsius statuam noctu, sed teste Iunâ, et bonæ Deæ sacra contaminent (268—345); ambitionem, studium cantûs et *μελομανίαν*, curiositatem ridiculam, iracundiam ac crudelitatem, affectationem sapientiæ et eruditionis (346—460); studium mœchis placendi munditie ac nitore vultûs, sævitiam in servos, insanam cujuscumque generis superstitionem (461—591); improbitatem, quâ partus a se conceptos abigant, adulterinos pariant, vel subditivos ac nothos pro suis alant (592—609); usum philtorum et incantationum, quibus nonnunquam maritos ad stultitiam agant, quæstûs aviditatem monstrosam, quâ privignos, quin etiam, proh scelus! ut Pontia, liberos suos, maritosque veneno, vel Clytemnestræ similes ferro necare audeant (610—661).

Nihil apud veteres, et apud recentiores hoc opere vividius, fortius, et elegantius. Apud illos, Simonides idem, aut simile argumentum, sed insulse satis, meo iudicio, tractavit (vid. lyric. octo, ex recensione Henrici Stephani, apud eundem). Passim in tragœdiis suis Euripides, et Aristophanes in comœdiis mulierum vitia exagitaverunt; unde ille *Μισογύνης*, vocatus fuerit: nam, ἐν γὰρ ταῖς τραγωδίαις μισογύνης, ἐν γὰρ κλίνῃ φιλογύνης fuit, teste Sophocle ap. Hieron. laudatum Athenæi, lib. XIII, p. 557: apud hos, Italos dico et Gallos, qui in hoc genere potissimum floruerunt, *Ariosto*, *Aretino*, *Boccacio*: *Jehan de Meung*, *Gringoire*, *Brantosme*,

. . . . . Villon, et Saint-Gelais,  
Arioste, Marot, Boccace et Rabelais;  
Et tous ces vieux recueils de satires naïves  
Des malices du sexe immortelles archives,

*Moliere*, denique *La Fontaine*, aliique multi, festiviter et jocose certe, feminei sexûs vituperia suscepere cantanda; nullus tamen et ante, et post, longius processit quàm noster poëta: nullus ad eum, vi et gravitate sententiarum, copiâ et elegantia verborum, mirâ varietate picturarum accessit. Cujus in satira, omnes personæ expressæ, et pictæ videntur ad naturam, horridam forte, et infandam in quibusdam locis, sed qualem, tunc temporis, historici omnes nobis proponunt inspiciendam. Solus inter recentiores Juvenalem æmulatus est noster *Boileau*, non injucunde sine dubio, in decima sua satira, quæ est festivitibus et jocos plena, quam consule si placet; attamen, cum nec minus faceta in multis locis sit satira Juvenalis; et, præterea, gravior cum res requirit; cumque ille inventor generis, hic timidus forte nimis, etsi elegans imitator; minime dubium, quin prior alteri sit anteposendus.



## SATIRA VI.

### MULIERES.

**C**REDO pudicitiam, Saturno rege, moratam  
In terris, visamque diu, cùm frigida parvas  
Præberet spelunca domos, ignemque, laremque,  
Et pecus, et dominos communi clauderet umbrâ :  
Silvestrem montana torum cùm sterneret uxor 5

1. *Credo pudicitiam.* ] *Credo*, de re adhuc dubia. In optimis auctoribus, fluctuantem inter spem et metum designat. Sic Virg. Aeneid. IV :

Credo equidem (nec vana fides) genus esse Deorum.

— *Pudicitiam.* Huic virtuti, pro Dea cultæ, aras et templa erexerant Romani. — *Saturno rege.* Regnante in Latio Saturno Cœli et Vestæ filio, unde et fuisse tunc aureum sæculum fabulantur. Hesiod. op. 1. Cic. de Nat. Deorum II, 64. Ovid. Metam. I, fab. 3. Virg. Ecl. 4, et Aen. VIII, 324 :

Aurea quæ perhibent, illo sub rege fuerunt

Sæcula; sic placida populos in pace regebat.

Deterior donec paulatim et decolor ætas,

Et belli rabies, et amor successit habendi.

Et aliî permulti. A vers. 1 usque ad 13, de ætate aurea quoque poëta noster pauca quidem, sed festiva, ut solet, et ad consilium suum apta dicit, quibus Romanorum luxuriam exagitare obiter et eleganter videtur, per oppo-

sitionem cum rudi et agresti priorum hominum vivendi norma.

2. *Cùm frigida.... domos.* ] Nam, prisco ævo, antra et specus erant pro domibus. Plin. lib. VII, 56.

— *Frigida.* Utpote sub terra est.

— *Domos.* Has quidem lateritias Athenis condidère primi Euryalus et Hyperbius fratres; luteas vero Toxius, sumpto ab hirundinum nidis exemplo. Plin. loc. præcitato.

3. *Larem.* ] Unusquisque Deum domi suæ colebat, quem Larem familiarem, seu Deum præsidem vocabant, cui canis assistit; et ipse Deus pellibus caninis induitur. Cur autem *Lares* domi colerent, inde ortum docet Servius, quia apud antiquos mortui in domibus suis sepeliebantur, quos ut Deos domesticos colere cœperunt, ac venerari, *Laresque* appellaverunt.

4. *Communi clauderet umbrâ.* ] Una enim caverna erat stabulum et cubile.

5. *Montana.... uxor.* ] In montibus vivere assueta. — *Sterneret.* Proprie de lecto, unde *stratum*, pro lecto.

Frondebis et culmo, vicinarumque ferarum  
 Pellibus : haud similis tibi, Cynthia, nec tibi, cujus  
 Turbavit nitidos exstinctus passer ocellos ;  
 Sed potanda ferens infantibus ubera magnis,  
 Et sæpe horridior glandem ructante marito. 10  
 Quippe aliter tunc orbe novo, cœloque recenti  
 Vivebant homines, qui rupto robore nati,  
 Compositique luto, nullos habuère parentes.

6. *Vicinarumque ferarum.*] Ovium et caprarum : forte melius, leonum et tigris, ut ostendatur priorum hominum robur.

7. *Haud similis tibi.*] Non adeo mollis et delicata ac tu, *Cynthia*. Puella autem cujus verum nomen *Hostia* erat, et quæ modo hunc, modo illum amabat ; sed præsertim Propertii amasia, de quâ idem, eleg. I :

*Cynthia* prima suis miserum me cepit ocellis,

Et captum nullis ante cupidinibus.

— *Nec tibi.* Designatur *Lesbia*, proprie *Claudia* vocata, Catulli poëtæ amica, quæ diu passerem mortuum deflevit. De qua ipse *carm.* II, et III :

Passer delicæ meæ puellæ,  
 Passer mortuus est, etc...

.....  
 . . . . . O miselle passer !  
 Tuâ nunc operâ, meæ puellæ  
 Flendo turgiduli rubent ocelli.

9. *Sed potanda.*] Non sugenda tantum, ut hodie, sed *potanda*, adeo sunt plena lacte. — *Infantibus magnis.* Adultis : non enim tam cito a mammis arcebantur. Quanti vero sit infantes non alieno lacte ac materno vesci, do-

cent *Macrob.* lib. V, cap. 11. *Gell.* lib. XII, cap. 1. *Plutarch.* etc.

10. *Horridior.*] Neglectior et in victu et in amictu, quàm ipse maritus. — *Glandes*, aliique fructus arborum et herbarum primi erant cibi. — *Ructante.* Quia multas glandes, et avide comedit. Delicatiores Romani ructabant aves, aprum, etc,

12. *Rupto robore nati.*] *Virg.* *Aeneid.* VIII, 315 :

Gensque virum truncis, et duro robore nati.

*Interpp.* *Virgil.* jam recte monuerunt hoc commentum, ex more ferarum hominum truncos arborum inhabitandi, ortum esse. — *Rupto.* Melius quàm *duro*, ut exprimat roboris partum.

13. *Compositique luto.*] *Prometheus* primum hominem ex aqua, et *luto*, limo, argilla (in quam morte resolvimur) finxisse dicitur. Unde illud *Phocyl.* v. 2 :

Σῶμα γὰρ ἐκ γαίης ἔχομεν, καὶ πάν-  
 τες ἐς αὐτὴν  
 Λυομένοι κόνις ἐσμεν· ἀπὸ δ' ἀνα-  
 πνεῦμα δέδεκτα.

— *Nullos habuère parentes.* A quibus scelera discerent, utpote formati e recenti limo.

Multa Pudicitiae veteris vestigia forsan,  
 Aut aliqua exstiterint, et sub Jove, sed Jove nondum  
 Barbato; nondum Græcis jurare paratis 16  
 Per caput alterius; cum furem nemo timeret  
 Caulibus, et pomis, et aperto viveret horto.  
 Paulatim deinde ad superos Astræa recessit

14. *Multa.*] Hactenus de aurea ætate; sequitur de argentea, quæ pudicitia per Jovem cœpit deficere. — *Forsan.* Dubitanter merito loquitur, ob incredibilem Jovis salacitatem.

15. *Nondum barbato.*] Adhuc impubere, et non adulto, nec tot adulteriis famoso, quibus se postea contaminavit. Hinc illud: Ζεὺς κύκνος, ταῦρος, σάτυρος, χρυσὸς  
 δι' ἔρωτα

Ἀθήνης, Εὐρώπης, Ἀντιόπης, Δα-  
 νάης.

Salse satis et satirice Deorum patrem irridet.

16. *Nondum Græcis.*] Cum Græci nondum parati essent et leviter jurare, et perfide magis pejerare. Taxat et perfidiam Græcorum, et levitatem eorum in jurando.

17. *Per caput alterius.*] Jurabant veteres et per suum, et per aliorum caput, scil. parentum, filiorum; immo et Deorum, quos homines fuisse sciebant, quosque

formam humanitatis inducebant. Virg. Aeneid. IX, v. 300.

Per caput hoc juro, per quod pater ante solebat.

18. *Et aperto viveret horto.*] Inter sensum et verba, quædam inesse videtur discordia. Nam inesse deberet phrasis ordo: cum nemo furem timeret, cumque nemo viveret horto aperto; quod, certe, non in mentem venit auctori. Attamen, levissima est ista difficultas; quæ, ut omnino tollatur, satis fuerit supplere verbum *quisque*. Ita: cum nemo furem timeret caulibus et pomis, et cum *quisque* aperto viveret horto. A.

19. *Astræa.*] Ἄστραϊξ et Νέμεισις, nec non Δίκη, Παρθένος, et Erigone a poetis sæpe confunduntur. Astræa porro, ut alii volunt, Astræi, qui Crii et Eurybiæ filius, vel, ut alii, Jovis et Themidis filia, erat justitiæ Dea, quam fabulantur in cælos evolasse, cum terras videret sceleribus inquinari. Cæterum,

V. 18. *Aperto.* Ita omnes nostri codd. et Al. Ruperti, qui, primus, in his pugnantia quædam inter se animadvertens, suâ auctoritate, hanc vocem, quæ est certe auctoris, in *aperto* mutavit: quo, ait idem, omnis difficultas tollatur. At, id minime erat necesse: nam, quis unquam fuit tam sensus expertus, ut hoc loco errare potuerit, et intelligere contra mentem auctoris: *nemo viveret aperto horto?* Subauditur *quisque*, et sic fluit oratio: cum nemo timeret suis pomis et caulibus; et, cum *quisque* viveret aperto horto. Vid. sup. comment.



Hâc comite , atque duæ pariter fugère sorores. 20  
 Antiquum et vetus est alienum , Postume , lectum  
 Concutere , atque sacri Genium contemnere fulcri.  
 Omne aliud crimen mox ferrea protulit ætas :  
 Viderunt primos argentea sæcula mœchos.  
 Conventum tamen , et pactum , et sponsalia nostrâ 25

hunc Hesiodi Ἔργ. 199 locum  
 poëta in animo videtur habuisse :

Ἀθανάτων μετὰ φύλ' ἴτην , πρόλι-  
 πόντ' ἀνθρώπους

Αἰδῶς καὶ Νέμεσις.

20. *Hâc comite.*] Scil. Pudicitia.

21 et 22. *Postume.*] Amicus Ju-  
 venalis, non aliunde notus.—*Lec-  
 tum concutere.* Antiquum est vexa-  
 re, turbare.—*Lect. alien.* jura con-  
 jugalia adulterio. — *Sacri Genium  
 fulcri.* Genium præsidem conju-  
 galis tori, hoc loco, religionem  
 conjugii. Vid. sat. IV, v. 66; et  
 Pers. sat. II, v. 3.

23 et 24. *Omne aliud crimen.*] Ovid. Met. I, 127 et seqq. Senec. epist. 97. *Erras, inquit, mi Lucili, si existimas, nostri sæculi esse vitium, luxuriam, et negligentiam boni moris, et alia, quæ objicit suis quisque temporibus. Hominum sunt ista, non temporum: nulla ætas vacat a culpa.* Hos duo versus 23 et 24 sic imi-

tatus est noster satiricus *Boileau*, sat. X :

On vit avec le fer naitre les injustices,  
 L'impïété, l'orgueil, et tous les autres  
 vices;

Mais la fidelité dans l'amour conjugal  
 N'alla pas jusqu'au temps du troisieme  
 métal.

25. *Conventum tamen.*] Etsi a Jo-  
 vis temporibus tot jam commissa  
 fuerint adulteria; tamen nuptias  
 paras! — *Conventum, et pactum, et  
 sponsalia.* Interpretes permulti,  
 tribus in his, duo tantum vident:  
*conventum et pactum* unam rem  
 atque eandem, *dotale pactum* in-  
 telligunt, Gall. *le contrat*; et *spon-  
 salia*, futurarum nuptiarum pro-  
 missionem, *les fiançailles*: ego vero  
 tria: 1<sup>o</sup> *conventum*, quando vir  
 parentes, vel puellam adit, conu-  
 bium petiturus, *la recherche*; 2<sup>o</sup>  
*pactum*, cum, petitione gratâ et  
 acceptâ parentibus, vel puellæ,

V. 23 et 24. *Omne aliud crimen, etc.* Etiam, hoc loco, ab auctore ser-  
 vatus ordo Al. Rup. displicuit. Hos igitur versus ita transponendos curavit:

Viderunt primos argentea sæcula mœchos.

Omne aliud crimen mox ferrea protulit ætas.

Idque, suâ auctoritate, et repugnantibus codd. Quâ autem mente, nescio:  
 nam, æque fluit oratio, et est etiam vividior, vulgato ordine servato.  
*Omne aliud crimen mox ferrea protulit ætas*; sed (subauditur), *viderunt  
 primos argentea sæcula mœchos*. Ellipsis autem Juvenali frequens est; et,  
 interdum, sermonis, vi ac pulchritudini non nocet.

Tempestate paras ; jamque a tonsore magistro  
 Pecterus, et digito pignus fortasse dedisti!  
 Certe sanus eras. Uxorem, Postume, ducis!  
 Dic, quâ Tisiphone, quibus exagitare colubris?  
 Ferre potes dominam, salvis tot restibus, ullam? 30

paciscuntur inter se de dote et conditionibus, quibus matrimonium fiet, *le contrat*; 3<sup>o</sup> *sponsalia*, cum, dote et conditionibus pactis, matrimonium solemnibus initur, promittitur verbis, *les fiançailles*. Meam interpretationem clariorem efficiunt, Festus, *conventæ dicebantur, cum primus sermo de nuptiis et earum conditione habebatur*; et Arnob. adv. gentes, lib. IV. *Uxores Dii habent, atque in conjugalia fœdera conditionibus veniunt ante quæsitis: habent speratas, habent pactas, habent interpositis stipulationibus sponas*. A.

26. *Tempestate (nostrâ)*.] Nostro sæculo pessimo. — *Magistro*. Vocabulum adjective positum, et exquisite significans crinem arte comptum summâ et doctâ manu artificis et magistri.

27. *Et digito pignus*.] anulum pronubum, qui sponsæ pignoris, vel arrhabonis loco mittebatur a sponso. Plin. temporibus ferreus (Plinius lib. XXXVII, cap. 1.); sed postea aureus fuit. — *Digito*. Qui in manu sinistra minimo proximus est.

28. *Certe sanus eras*.] Supple,

ad hunc diem; at nunc insanus, qui ducis uxorem.

29. *Quâ Tisiphone*.] Quo furore, quâ vesaniâ agitaris? Tres autem erant Furix, Acherontis Noctisque filix, Alecto, Megæra et Tisiphone, quibus homines in furorem impelli credebantur. — *Colubris*. Quia Furix *ὄφιοπλόκαμοι*, id est, habent serpentibus implicatos crines.

30. *Dominam*.] Facete uxorem *dominam* appellat, quasi quæ marito imperet. Feminas autem viris imperitare, aut saltem velle, repugnantibus naturâ et legibus, id a prima antiquitate notum est.

Homerus enim feminam *ἀλοχον δίσποιναν* vocat. Epict. cap. 40, sic: *αἱ γυναῖκες εὐθύς ἀπὸ τεσσαρεσκαίδεκα ἐτῶν ὑπὸ τῶν ἀνδρῶν κυρίαὶ καλοῦνται*. Et Plaut. *Mænæchm.* V, 2, 15:

Credo cum viro litigium natum esse aliquod:

Ita istæ solent, quæ viros subservire  
 Sibi postulant, dote fretæ feroces.

Amicæ quoque passim *dominæ* vocantur, et amor cum servitute, illiusque ærumnæ cum hujus malis comparantur. — *Salvis tot*

V. 28. *Ducis*. X codd. habent *duces*.

V. 29. *Exagitare*. Quidam codd. habent *exagitère*, quod recte erit, modo, versu præcedenti, reposueris *duces*.

Cùm pateant altæ caligantesque fenestræ ?  
 Cùm tibi vicinum se præbeat Aemilius pons ?  
 Aut si de multis nullus placet exitus, illud  
 Nonne putas melius, quòd tecum pusio dormit ?  
 Pusio, qui noctu non litigat, exigit a te 35  
 Nulla jacens illic munuscula, nec queritur quòd  
 Et lateri parcas, nec, quantum jussit, anheles.  
 Sed placet Ursidio lex Julia : tollere dulcem

*restibus.* Cùm tot in promptu sint laquei, quibus fauces tibi elidere, vel te suspendere queas.

31. *Fenestræ.* ] Unde te possis præcipitem dare. — *Caligantes.* Quæ tam altæ sunt, ut inde despici vix sine oculorum vertigine possit. Al. Rup. at parum sincera videtur hæc interpretatio.

32. *Aemilius pons.* ] Milvius quoque dictus, ædificatus a M. Aemilio Scauro, Censore, in via Flaminia; unde possis desilire.

33. *Aut si de multis.* ] Si mortem tibi ullo modo consciscere non placet; nonne satius est cum puero formoso dormire et pathico, quàm cum conjugè. Hanc autem non veram poëtæ mentem esse, merito arbitrantur interpretes; cùm ille *Veneri aversæ* infensissimum, et honestatis magistrum integerrimum semper se præbuerit, ut in satir. I, II et IX; sed salse

ac scoptice Postumum ludi atque notari, quem infra v. 42, *notissimum mæchorum* appellât. A.

34. *Pusio.* ] Antiquè *pusus*, puer, *pusa*, puella dicebatur; hoc loco, pro catamito, quem Postumus pædicat. — *Dormit*, non dormiat: ita innuit Ursidio Postumo pueros amare insitum morem esse.

35. *Litigat.* ] Vid. infra v. 260.

36. *Illic.* ] In lecto, in ipso actu, non post opus.

37. *Et lateri parcas.* ] Quòd non frequenter satis coëas: *latus* enim immoderato concubitu deficit, rumpitur. In Priapeis:

Deficit latus, et periculosam  
 Cum tussi miser exspuo salivam.

— *Quantum jussit.* Nec tam assiduus sis in coïtu quàm jussit. — *Anheles*, ut in Epithal. Laurent. Exercentque toris Veneris luctamen anhelum.

38. *Ursidio.* ] Idem ac Postu-

V. 34. *Pusio.* *Pugio* pro *Pusio* conjicit Valla, ut sit nomen proprium. Vet. schol. *Pusio a facto nomen.* Unde aliud quiddam latere non male suspicabatur Rutgers. lect. II, 17, et quidem *pygio* verbum effictum a *πυγή*, *clunes*, unde *πυγαῖος*, *salax*, seu cinædus. Al. Rup.

V. 38. *Ursidio.* In tribus codd. hæc satira inscribitur: L. FVRSEDIO POSTVMO. Sed metri leges Fursedii nomen rejiciunt. In optimis, ut in Pateano, inscribitur: VRSIDIO POSTVMO, quem secuti sumus.

Cogitat heredem , cariturus turture magno ,  
 Mullorumque jubis , et captatore macello. 40  
 Quid fieri non posse putes , si jungitur ulla  
 Ursidio ? si mœchorum notissimus olim  
 Stulta maritali jam porrigit ora capistro ,  
 Quem toties textit perituri cista Latini ?

mus; etsi *Dusaulx* in sua interpretatione Gallica hunc Ursidium, ut tertiam personam introducat, quam Postumus pro exemplo, in hoc versu, et duobus sequentibus objiciat, cui responderit poëta vers. 41: *Quid fieri, etc.* Sed perperam hæc omnia: nam de eodem sub nomine Ursidii ac Postumi, minime dubium est quin poëta loquatur, ut versus sequentes satis aperte declarant; utque omnes fere interpretes intelligendum cogitaverunt.—*Lex Julia.* Non modo lex ab Augusto anno *V. C. DCCXXXVII* de adulteriis lata; sed etiam lex *Julia* et *Papia Poppæa* an. *DCCLVII*, de *Maritandis ordinibus*, quâ Augustus statuit præmia, ut cives ad justa matrimonia contrahenda alliceret; quâque cautum erat, ut cælibes neque hereditatem, neque legatum ex testamento, nisi proximorum, caperent.—*Tollere.* Solebant patres liberos recens natos de terra tollere: Sic eos, ut legitimos agnoscebant, et educandos curabant: quos vero non tollebant, ut abdicati et projectitii habebantur, et exponebantur: unde illud vocabulum *tollere heredem*, pro *suscipere ex uxore legitimum.* Turneb. *Advers.* XXII, cap. 11. A.

39. *Cariturus.*] Qui enim habebant liberos, non accipiebant munera ut orbi: de cujus rei causa, vid. quod notavimus sat. IV, v. 18, et V, v. 137.—*Turture magno.* Avisne fuerit turtur ille satis sub hoc nomine nota, an, propter epitheton *magno*, quæ huic non convenit, piscis, vulgo *pastinaca*, Gall. *tare-ronde*, species raiæ, *roche*, dignoscere facile non est, cum hic varient interpretes: ego vero, avem malim. A.

40. *Mullorumque jubis.*] Hoc est, mullis jubatis, vel proprie barbatis. Vide sat. IV, v. 15, et V, v. 92.—*Captatore macello.* Cibis, qui in macello emuntur, et quibus ab heredipetis captantur hereditates. Hic, macellum pro opsonio, ut sat. V, v. 95, pro piscatore.

41. *Quid fieri, etc.*] Juxta illud Virg. *Ecl.* VIII, 26:

Mopso Nisa datur, quid non speremus amantes?

Jungentur jam Gryphes equis, etc.

43. *Maritali... capistro.*] Insigni, et vinculo perpetuæ servitutis. Metaph. ducta ab equis, qui *dant mollibus ora capistris.* Virg. *Georg.* III, v. 188.

44. *Quem toties.*] Quem *minus Latinus* in scena multoties, ut adulterum, et, ne a marito depre-

Quid? quòd et antiquis uxor de moribus illi 45  
 Quæritur. O medici! mediam pertundite venam.  
 Delicias hominis! Tarpeium limen adora  
 Pronus, et auratam Junoni cæde juvencam,  
 Si tibi contigerit capitis matrona pudici.

henderetur, in cista absconditum exhibuit. Latinus autem mimus erat, qui adulteri a marito deprehensi partes in comœdiis agebat. De hoc Latino comœdo vid. sat. I, v. 36.

45. *Quid? quòd, etc.*] Quid? illi soli quæritur mulier casta et pudica, qualis aureo tantum sæculo fuit: *rara avis in terris!*

46. *O medici!*] Facete hoc: quo sensu infra, XIV, v. 252, dicitur: *ocius Archigenem quære*, et XIII: *Anticyra et Archigenè*, et apud Horat. II, sat. 3, v. 97: *Naviget Anticyram*. In furore autem et delirio, *vena media* in fronte *pertundi*, id est, secari solebat.

47. *Delicias hominis!*] Acclamatio in derisum: sic Galli, *le bon homme!* qui sibi talem posse contingere uxorem putat.—*Tarpeium limen*. Templum Jovis in Capitolio: cui Deo sacrificia pro singulari beneficio peragebantur. Nota, quòd, his verbis, alloquitur semper eundem, scilicet *Ursidium Postumum*. Nulla transitio, quæ indicet poëtam aliam personam alloqui; ut *Dusaulx* nobis intelligendum dare voluit, his verbis *pour toi, etc.* quæ textui, interverso sermonis ordine, perperam addidit. Vide supra ad vers. 38. A.

48. *Auratam.... juvencam.*] Plin.

lib. XXXIII, cap. 3, *auratis cornibus*, inquit, *hostiæ majores duntaxat immolabantur*.—*Junoni*, quæ ζῆνιά erat et γαμηλία, conjugii præses. Virgil. Aeneid. IV, v. 59: Junoni ante omnes, cui vincla jugalia curæ.

49. *Si tibi, etc.*] Herodot. et postea Diod. referunt, quòd, cum Pheron Sesostris filius rex Aegyptiorum oculis captus esset, cumque ad Deorum auxilium fugiens, peractis multis variisque sacris, ei responsum esset, ut, placato Deo, qui in Heliopoli colebatur, faciem mulieris inspiceret, quæ nullum nisi proprium virum novisset, ab uxore sua incipiens, multas expertus est; nullam tamen reperit incorruptam, præter hortulani cujusdam, quam restituto visu uxorem cepit, reliquas omnes vivas combussit. De pudicitia mulierum vide quoque Euripidem Bocaccium, Brantôme, sotadica carmina et nostrum poëtam *Boileau*: Sans doute, et dans Paris, si je sais bien compter,  
 Il en est jusqu'à trois que je pourrais citer.

Longius processit J. De Meung, in poëmate cui titulus, *le Roman de la Rose*; nullam feminam castam declarans aperte his verbis:

Toutes estes, serez ou fustes,  
 De fait, ou de volonté putes;

Paucae adeo Cereris vittas contingere dignae, 50  
 Quarum non timeat pater oscula. Necte coronam  
 Postibus, et densos per limina tende corymbos.  
 Unus Iberinae vir sufficit? ocius illud  
 Extorquebis, ut haec oculo contenta sit uno.  
 Magna tamen fama est cujusdam rure paterno 55  
 Viventis. Vivat Gabiis, ut vixit in agro;  
 Vivat Fidenis, et agello cedo paterno!

Et qui toutes vous chereroit,  
 Toutes putes vous trouveroit.

Cæterum, hæc jocose magis,  
 quam vere dicuntur. A.

50. *Paucae adeo.*] Ceres Dea  
 casta et pudica, cujus sacram  
 effigiem vittis in capite ornatam  
 manibus impuris contrectare ne-  
 fas erat; unde et Thesmophoria,  
 aliaque ejus sacra non nisi a castis  
 matronis virginibusque perage-  
 bantur.

51. *Quarum oscula.*] Quas os-  
 culari non abhorreat pater; quo-  
 niam oscula filiae non iis puriora  
 sunt, quae patri dabantur a Myr-  
 rha, quam sic incestuosae Vene-  
 ris stimulis agitatam nobis offert  
 Ovid. *Metam.* X, v. 344:

Ut praesens spectem Cinyram, tangam-  
 que, loquarque

Osculaque admoveam, si nil conce-  
 ditur ultra.

Et paulo post, pater

Flere vetat, siccataque genas, atque  
 oscula jungit.

Myrrha datis nimium gaudet, etc.

— *Necte coronam.* Hæc ironice  
 dicta. In nuptiis autem aliisque

solemnibus, ædium fores ornari  
 solebant *coronis* seu sertis, flori-  
 bus, frondibusque corymborum,  
 hoc est, hederæ, lauri, oleæ,  
 myrthi, rosarum, etc.

53. *Unus Iberinae.*] Ironiam  
 producit: nimirum, inquit, *Ibe-  
 rina* (vel verum, vel fictum spon-  
 sæ nomen) te uno contenta erit,  
 casta atque pudica.

54. *Extorquebis, ut, etc.*] Im-  
 mo vero, facilius illam impelles,  
 ut uno oculo, quam uno viro sit  
 contenta.

55. *Magna tamen fama est.*] Hic,  
*fama*, pro existimatione.

56. *Vivat Gabiis.*] Interpretum  
 quidam, hic, et a versu 38, sub  
 dialogi formam textum explicant;  
 quod minime necessarium est:  
 poëta solus et se interrogat, et  
 sibi respondet. Ursidio, inquit,  
 Postumo lex Julia placet; nu-  
 bere vult. Nihil nunc impossibile  
 erit, si unquam ille notissimus  
 mæchus uxorem ducit. Sed, per-  
 git poëta, quod ridiculum magis,  
 uxorem de moribus antiquis,  
 id est, castam et pudicam quæ-

V. 52. *Tende.* In quibusdam codd. legitur *necte*. At male repetitur  
 verbum illud.

Quis tamen affirmat, nil actum in montibus, aut in  
Speluncis? adeo senuerunt Jupiter et Mars?

Porticibusne tibi monstratur femina voto 60

Digna tuo? cuneis an habent spectacula totis

Quod securus ames, quodque inde excerpere possis?

Chironomon Ledam molli saltante Bathyllo,

rit: quæ insania! si unquam casta  
mulier ei evenerit, Tarpeium li-  
men adoret. Eia, quid dico? Ur-  
sidi, necte coronam, etc. unus  
Iberinæ vir sufficit. Quis error?  
Ocius illud extorquebis, ut uno  
contenta sit oculo. Tamen magna  
fama, vel existimatio est cujus-  
dam virginis viventis in agro pa-  
terno: vivat, ironice pergit, Ga-  
biis, vivat Fidenis, urbibus deser-  
tis nunc, ut vixit in agro pa-  
terno, vivat casta, vivat pudica;  
*concedo*, si tibi placet: merito  
tamen dubito, quis enim, etc.  
Multo magis poëticum ac satiri-  
cum est hoc poëtæ soliloquium,  
quàm suppositus Grangæi et *Du-  
saulx* dialogus. — *Gabiis*. Volsco-  
rum oppido, hodie *Cascano*. — *Fi-  
denis*. Urbe Latii. Utraque urbs  
olim magna atque frequens:  $\Phi\iota\delta\acute{\iota}\nu\eta\ \pi\acute{o}\lambda\iota\varsigma\ \mu\epsilon\gamma\acute{\alpha}\lambda\eta\ \tau\epsilon\ \kappa\alpha\iota\ \pi\omicron\lambda\upsilon\acute{\alpha}\nu\theta\omega\pi\omicron\varsigma$ ; sed postea ignobilis et  
deserta. A.

58. *Quis tamen*.] Correctio.—  
*Nil actum, etc.* Eam non stupratam  
fuisse, etc.

59. *Jupiter et Mars*.] Facete  
poëta, quæ ad mæchos spectant,  
Jovi et Marti (quorum tot supra  
narrantur in silvis, et in mon-  
tium recessibus perpetrata) tri-  
buit; et hominum, non deorum  
amores poëtarum fabulis decla-

rari innuit. Similiter Seneca ap-  
Lactant. I, 16. *Quid ergo est,  
quare apud poëtas salacissimus Ju-  
piter desierit liberos tollere? Utrum  
sexagenarius factus est, et illi lex  
Papia fibulam imposuit?* Adverte,  
quàm nec suis diis parcat satiri-  
cus noster.

60. *Porticibus*.] Variæ autem  
porticus erant Romæ. Porticus  
Phæbi, Liviæ, Octaviæ, Agrip-  
pæ, Philippi, Argonautarum. Hic,  
de porticibus Isidis et Pompeii,  
aut Liviæ, ubi mulieres conve-  
nire solebant, forsitan agitur, de  
quibus Ovid. de Art. am. I, 49:  
Tu modo Pompeia lentus spatiare sub  
umbra,

Cùm sol Herculei terga leonis adit.  
Nec tibi vitetur quæ priscis sparsa ta-  
bellis

Porticus, auctoris Livia nomen ha-  
bet.

61. *Cuneis*.] Sedilibus thea-  
tri. Nam cunei dicuntur sedes  
theatri: hîc, pro theatro ipso.

62. *Excerpere*.] Eligere, ca-  
pere.

63. *Chironomon Ledam*.] Id  
est, cùm Bathyllus scienter saltat,  
et manuum, totiusque corporis  
erudito motu exprimit *Ledæ* de-  
licias Jovi blandientis, usque  
adeo pruriunt insanæ spectatri-  
ces, ut, Veneris impatientia,  
*Tuccia vesicæ non imperet*.—*Chiro-*

Tuccia vesicæ non imperat : Appula gannit,  
 Sicut in amplexu : subitum, et miserabile longum 65  
 Attendit Thymele ; Thymele tunc rustica discit.  
 Ast aliæ, quoties aulæa recondita cessant,

*nomon* vide sat. V, v. 121. — *Le-  
dam*. Saltationis lascivæ genus. —  
*Bathyllo*. Qui Mæcenati Ganymedes,  
 et in deliciis fuit, princeps  
 et auctor pantomimorum.

64. *Vesicæ*.] Pars illa quæ  
 aliter honeste nominari non po-  
 test, ut sat. I :

. . . . . vetulæ vesica beatæ.

— *Appula*. Nomen fictum mulieris  
 rusticæ, ut et *Tuccia*, quæ Romæ  
 brevi corrumpuntur tam obscæ-  
 nis et lascivis spectaculis. — *Gan-  
nit*. Idem quod garrir : proprie  
 de murmure canis usurpatur.  
 Hic, significat Appulam vocis  
 murmure libidinem exprimere,  
 ac si esset in amplexu hominis,  
 dum talem spectat saltationem.  
 Sic Apul. Miles. X. *Molles inter-  
dum voculas, et assidua suavia, et  
dulces gannitus cum morsicantibus  
oculis iteraverat illa.*

65. *Subitum et miserabile lon-  
gum*.] Nomina sunt saltationum  
 et gestuum; quemadmodum et  
 nostris saltationibus, tunc tem-  
 poris, videmus nomina dari. Vid.  
 Pollucem de iis saltat. modis.

66. *Attendit Thymele*.] *Grangæus*  
 et, post hunc, *Dusaulx* hæc,  
 verba *subit. et miserab. long. atten-*

*dit Thymele*, ita interpretantur :

« Si Thymele gesticulatrix mu-  
 « lier ( de quâ vide supr. sat. I,  
 « v. 36. ) cum maxima artis atten-  
 « tione exprimit *subitum et misera-  
 « bile longum*, id est, modos om-  
 « nes lascivos saltationis; specta-  
 « trix, quantumvis *rustica*, hos  
 « gestus conatur imitari, et ita  
 « se movet, ut mox ipsa futura  
 « sit gesticulatrix : unde illa festi-  
 « ve, per anticipationem, *Thymele*  
 « nuncupatur; sive quod *Thyme-  
 « len* exprimat, seu quod *Thy-  
 « mele* futura sit. » Alii simplici-  
 ter explicant : si *Thymele* ( nomen  
 fictum aut verum sponsæ ) *atten-  
dit* scil. spectat cum attentione,  
*subit. et mis. etc.* id est, modos  
 lascivos omnes salt. *tunc*, hæc  
*Thymele*, quantumvis *rustica*, bre-  
 vi *discet*, ac imitabitur. Potior  
 nobis videtur *Grangæi* interpre-  
 tatio. A.

67. *Ast aliæ, quoties, etc.*] *Ast aliæ*  
 mulieres, quoties ludi cessant  
 publice, domi, intra parietes,  
 histrionum arma tractant, id est,  
 histrionicam exercent artem. —  
*Aulæa*. Vela picta, in ædibus,  
 porticibus, ac præsertim in thea-  
 tris. *Aulæa* autem dicta ab *aula*

V. 64 et 65. *Appula gannit, etc.* Hanc phrasim sic legendam proponit  
 Al. Rup. *Appula gannit sicut in amplexu, subitum et miserabile; et longum  
 attendit, hoc est, diu observat Thymelen saltatricem; et, etiamsi rus-  
 tica sit, Thymelen (ejus artem) discit.* Haud spernenda hujus interpretatio  
 nobis videtur. Vid. sup. comment.



Et vacuo clausoque sonant fora sola theatro ,  
 Atque a Plebeiis longe Megalesia , tristes  
 Personam, thyrsumque tenent , et subligar Acci. 70  
 Urbicus exodio risum movet Atellanæ  
 Gestibus Autoñoës : hunc diligit Aelia pauper.

Attali regis , unde Attalica quoque vocantur.—*Recondita cessant.* Finitis ludis , summovebantur.

68. *Sonant sola fora.* ] In foris tantum , ubi causæ aguntur , strepitus auditur.

69. *A Plebeiis.* ] Scil. ludis quos , exactis regibus , pro libertate plebis , aut pro reconciliatione plebis , post secessionem in Aventinum , institutos tradit Ascon. in Verr. II. — *Longe.* Subaudi , distant. Plebeios inter ludos , qui XIII vel XVII Kal. Nov. (vid. fast. vet.) , et Megalesia , quæ prid. Nonas Apriles celebrabantur , sex ferme mensium intervallum erat , per quod , etsi quædam festa , ut Saturnalia , Compitalia , sacrum Veneris Genitricis , Quinquatrus , aliæque festa agebantur , nullus tamen edebatur ludus major scenicus. — *Megalesia.* Ludi Circenses , qui in honorem Magnæ Matris Deûm celebrabantur , dicati a M. Junio Bruto. In iis , tragœdiæ et comœdiæ honoratissimæ peractæ sunt , inter quas Terentii omnes fere , præter *Adelphos* et *Phormionem*. Ex hoc igitur loco , ludorum Plebeiorum et Megalesiorum par fuisse videtur celebritas. — *Tristes.* Matronæ , ob intermissa spectacula. A.

70. *Personam.* ] Vide sat. III , v. 175. — *Thyrsum.* Hasta pampinis et hederâ cincta , qualem gestabant Bacchæ in Liberi sacris , et histriones in scena , ad quos respexisse videtur poëta. — *Subligar.* Περίζωμα pudendorum velamen. *Scenicorum mos tantam habet a veteri disciplina verecundiam , ut in scenam sine subligaculo prodeat nemo : verentur enim , ne , si quo casu evenerit ut corporis partes quædam aperiantur , aspiciantur non decorè.* Cic. Off. I , 35. — *Acci* , nomen histrionis , vel pantomimi.

71. *Urbicus.* ] Scurra mimarius. — *Risum movet.* Jocis et diceriis suis provocat spectatores ad risum. — *Exodio Atellanæ.* De exodio vide sat. III , v. 174 et 175. — *Atellana.* Scil. fabula mimica sic dicta , ab Atella oppido Oscorum in Campania , ubi ortum cepit , joci plena , Gall. *farce* , et plerumque exodium , seu finis spectaculi , ut in theatro Gallico , *la petite piece*. A.

72. *Gestibus Autoñoës.* ] In hac fabula , Exodarius gestibus exprimebat verba et actus Autoñoës Cadmi filiæ , et matris Actæonis in cervum mutati , quæ (verisimile est) ridiculo modo reddebat. Hos duo versus 71 et 72

V. 72. *Autoñoës.* De eo , vid. sup. comment.

Solvitur his magno comædi fibula. Sunt, quæ  
 Chrysogonum cantare vetent. Hispulla tragædo  
 Gaudet. An exspectas, ut Quintilianus ametur? 75

sic interpungendo malim interpretari :

Urbicus exodio risum movet Atellanæ;  
 Gestibus Autonoës : hunc diligit Aelia  
 pauper.

Urbicus (scurra mimarius) excitat risum exodio Atellanæ ; et Autonoës (pantomimus) gestibus suis : hunc, scilicet *Autonoea*, diligit Aelia pauper. Nota quòd interpretes similitudine nominum *Autonoës* pantomimi, et *Autonoës* Cadmi filiae et matris Actæonis, unum atque alteram miscere potuerunt. Hic, *Autonoës*, mea sententia, est nominat. primæ contractorum Græcorum ; ut, *Δημοσθένης*, ac. *Δημοσθένεα* — η ; sic, *Αὐτονόης*, ac. *Αυτονόεα* — η, etc. nomen cujusdam pantomimi, qui gesticulatione sua exprimebat jocos Exodarii, seu Atellanani. — *Aelia pauper*. Cùm hic Exodarius, seu Atellanus non caneret, ut tragædi et comædi, qui matronis divitibus magno solvebantur, tanto sumptu non erat opus ad obtinendos ejus amplexus : ergo, Aelia pauper, etc. *Gens autem Aelia pauper fuit et plebeia*. Val. Max. IV, 4, 8. A.

73. *Solvitur his magno, etc.* ] Aliæ ditiores matronæ magno pretio emunt concubitum comædi. — *Fibula*. Duplex erat fibulæ genus : 1<sup>o</sup> indumentum, quo non solum utebantur ad in-

guina tegenda ; sed etiam ut a coïtu comprimerentur : unde illud Martialis. lib. VII, epig. 81 : Menophili penem tam grandis fibula vestit,

Ut sit comædis omnibus una satis.

Hunc ego credideram (nam sæpe lavamur in unum)

Sollicitum voci parcere, Flacce, suæ ;

Dum ludit mediâ, populo spectante, palæstrâ,

Delapsa est misero fibula : verpus erat.

2<sup>o</sup> tenuissimum filum, sive argenteum, sive aeneum, quod præputio ab utroque latere super glandem perforato addebatur, conservandæ vocis et valetudinis gratiâ. Hoc ultimum fibulæ genus placet magis intelligamus ; hoc enim modo certius coïtus impediabatur, quàm indumento, quod deponi facile poterat. A.

74. *Chrysogonum cantare vetent.* ] Sunt quædam, quæ tantopere coïtu Chrysogonum (citharædum et cantorem) delassârunt, ut ille raucus factus in theatro cantare nequiverit. Nihil magis voci adversum, quàm coïtus frequentior usus. — *Hispulla*. Forte ea, cujus fratris filia Plinio minori nupserat.

75. *An exspectas.* ] Sperasne, putasne a tam lascivis feminis virum gravem, castum, ac doctum, qualis fuit Quintilianus in-

V. 75. *Exspectas*. Quidam codd. habent *exspectes* ; eodem plane sensu.

Accipis uxorem, de qua citharædus Echion,  
 Aut Glaphyrus fiat pater, Ambrosiusque choraules.  
 Longa per angustos figamus pulpita vicos,  
 Ornentur postes, et grandi janua lauro,  
 Ut testudineo tibi, Lentule, conopeo  
 Nobilis Euryalum mirmillonem exprimat infans.  
 Nupta Senatori comitata est Hippiia ludium

80

signis ille rhetor, potius amatum  
 iri, quàm lascivos histriones?

76. *Accipis uxorem.*] Quâ,  
 non tu, aut aliquis vir eximius,  
 sed mimus *pater fiet*, id est, e  
 qua liberos suscipiet.

77. *Choraules.*] Χοράδης, qui  
 in choro tibiis canit. Echionis  
 autem et Ambrosii nomina citha-  
 rædorum ignota.—*Glaphyrus.* No-  
 tus e Martiale.

78. *Longa per angustos, etc.*] Amara  
 irrisio.—*Figamus pulpita.* In vicis,  
 ut inhonorem talium nuptiarum  
 ludi celebrentur. *Pulpitum.* Quod-  
 libet suggestum, impr. in theatro.

79. *Ornentur postes.*] Floribus,  
 sertis, coronis, ut in solemnibus.  
 — *Grandi lauro.* Ut ap. Catullum,  
 LXIV: *recto proceras stipite laurus.*  
 Non tantum ramis laureis, sed  
 arbore etiam integrâ.

80. *Testudineo.... conopeo.*] In  
 formam testudinis expanso cono-  
 peo, supra cunas pueri.—*Cono-  
 peum*, non velum, sed ut Crucq.  
 ad Horat. epod. IX, v. 16,  
 verbis utar: genus retis tenuis-  
 simi, *ad muscas et culices* (χάτω-

πας) *abigendos, quo Alexandrini  
 potissimum utuntur, propter culicum  
 illic abundantiam.* Unde Horatius,  
 loco præcitato:

Interque signa, turpe! militaria,  
 Sol aspicit conopeum.

Hic, *testudineo conopeo*, synecdoch.  
 pro cunis ipsis pueri.—*Lentule.*  
 Nomen cujusdam nobilis Roma-  
 ni e Cornelia gente; forsán idem  
 ac *Ursidius Postumus*. Cur autem  
 Postumum hoc nomine appel-  
 let, ita explicant Calderinus, et  
 post hunc Britannicus: quidam  
 Lentulus cognomine Bardiacus,  
 auctore Plutarcho, nobilis la-  
 nista fuit. Sic, jocans poëta: *ut  
 tibi*, Postume (quem jam *Len-  
 tulum Bardiacum* appello; nam  
 mox et habebis familiam gladia-  
 torum; scilicet, nascentur tibi et  
 retiarii et mirmillones), *ut tibi*,  
 inquam, *nobilis infans exprimat Eu-  
 ryalum*. Hæc autem subtilior for-  
 san videbitur interpretatio; at-  
 tamen huic convenit loco. A.

81. *Mirmillonem.*] Vid. sat. II,  
 v. 143.—*Exprimat*, vultu referat.

82. *Nupta Senatori.*] Quod jam

V. 80. *Conopeo.* XXV codd. et edit. Rom. princeps *Canopeo*. Quidam  
*Canapeo*: at nostra lectio, non auctoritate quidem codd. sed vi et ety-  
 mologia præstat.

V. 82. *Ludium.* XXX fere codd. habent *ludum*, et totidem edit. præcæ-

Ad Pharon, et Nilum, famosaque mœnia Lagi,  
 Prodigia et mores Urbis damnante Canopo.  
 Immemor illa domûs, et conjugis, atque sororis, 85  
 Nil patriæ indulisit, plorantesque improba natos,  
 Utque magis stupeas, ludos Paridemque reliquit.  
 Sed quanquam in magnis opibus, plumaque paterna,

de feminarum libidine dixit, probat exemplis. — *Hippia*. Uxor Fabricii Vejentonis, Senatoris, de quo supra sat. IV, v. 113; et infra v. 113., cum Sergio, gladiatore, in Aegyptum migravit. — *Ludium*. Ludii, seu ludiones olim dicebantur histriones et saltatores; at Juven. temporibus, gladiatores, horumque schola *ludus*. Salmasius vult, *ludum* pro *ludium*. Ultimum tamen hoc potest admitti. *Versus est hypermeter; amphinacer in fine pro spondæo, cujus rei non adeo rara apud Græcos et Latinos exempla.*

83. *Ad Pharon, et Nilum.*] Aegyptus designatur more poëtarum. *Pharon* olim parva insula, urbi Alexandriae aggere et ponte juncta, ubi turris excelsa et marmorea, jussu Ptolemæi Philad. a Sostrate Cnidio exstructa, cum speculo et ignibus nocturnis. — *Famosa mœnia*. Alexandriam scilicet, ubi regnavit primus post Alexandrum Ptolemæus Lagus.

84. *Prodigia et mores.*] Hoc est, prodigiosos mores. — *Urbis Romæ*. — *Canopo*. Urbe, de qua jam dixi-

mus, sat. I, v. 26, quæ, quamvis libidinibus dedita, tamen damnat infamiam, etc.

86. *Nil patriæ indulisit.*] Immemor officii et caritatis quibus patriæ tenemur. Huic enim mulieres iisdem vinculis officiorum quibus viri alligantur: patriæ studia, labores, divitias, vitam etiam debent suam mulieres, similiter ac nos. Illis præterea imperatum est, ut virtutibus domesticis, bono exemplo, erga maritos fidelitate, in educandis pueris constantiâ, patriæ essent ornamento. A.

87. *Utque magis stupeas.*] Notandum est, illud *σαρκασιζῶς* dictum. — *Paris*. Celeberrimus histrio, et deliciæ Domitiani, a quo, postquam ad summam opem, eximiamque potentiam evehctus fuisset, postea, cum Domitia Augusta ejus arderet amore, occisus est. Suet. Domit. III, 10. Alter Paris fuit histrio quoque sub Nerone, et ab eo interemptus.

88. *Pluma.*] Lectus pulvinusque pluma tumens, vel fartus, ideoque mollissimus.

At, *ludum* pro *ludium* reposuerunt, qui metro timebant; perperam: nam, *ludium* δισύλλαβος, propter συνίτησιν, ut supra sat IV, v. 37; *semiannum*. Attamen, infra, v. 104, *Ludia*, τρισύλλαβος est.

Et segmentatis dormisset parvula cunis,  
 Contempsit pelagus : famam contempserat olim, 90  
 Cujus apud molles minima est jactura cathedras.  
 Tyrrhenos igitur fluctus, lateque sonantem  
 Pertulit Ionium constanti pectore, quamvis  
 Mutandum toties esset mare. Justa pericli  
 Si ratio est, et honesta, timent, pavidoque gelantur  
 Pectore, nec tremulis possunt insistere plantis : 96  
 Fortem animum præstant rebus, quas turpiter audent.  
 Si jubeat conjux, durum est conscendere navim ;

89. *Et segmentatis.... cunis.* ] Alii aliam vocabuli *segmentum* dant interpretationem. Hi fasciolas intelligunt vestium oris assutas ornatùs gratiâ ; illi vittam pendentem de vestibis intextam auro ; alii monilia ; quidam fimbrias, etc. Quarum nobis cum nulla placeat interpretatio, nostram hinc proponere libet : *segmentum*, proprie pars circuli : ergo, per *cunas segmentatas*, seu incunabula segmentata, intelligemus incunabula quibus virgæ lignæ, seu eburnæ, seu etiam aureæ, aut argentæ, in modum circuli dimidiati curvatæ aptantur. Quos supra circulos, divites tendebant *conopeum*, quod ideo *testudincum* vocatur supra, vers. 80. Nemo est, qui non viderit *incunabula segmentata*, Gall. *un berceau couvert* : nemo igitur, cui hæc interpretatio simplex et naturalis non videatur. A.

91. *Molles.... cathedras.* ] Apud feminas, quæ molliter et otiosæ sedent in cathedris. De *cathedra* autem vide sat. I, v. 65.

92. *Tyrrhenos igitur fluctus.* ] De Tyrrheno mari, vide supra sat. V, v. 96.

93. *Ionium.* ] Mare inter Italiam, Siciliam et Græciam.—*Late sonantem.* Impetu fluctuum scopulis illisorum. Nota hoc loco, *Ionium sonantem* in masculino genere dici, quoniam subauditur *pontum*, non mare : Latinis enim mare dicitur *pontus*.

94. *Mutandum.... toties mare.* ] Nam, ex Italia in Aegyptum trans-euntibus transmittenda sunt Maria Tyrrhenum, Ionium, et Aegæum.

95. *Pavidoque gelantur pectore.* ] Pectora eorum gelantur, rigescunt, pavore.

96. *Plantis.* ] Pedibus. *Planta* enim quasi *plana*, quod *plana* sit.

97. *Fortem animum.* ] De audacia feminarum in vitio, Plaut. in milite :

Neque eques, neque pedes præfectus  
 quisquam tanta audacia est,  
 Qui æque faciat confidenter, quam  
 mulieres faciunt.

Tunc sentina gravis, tunc summus vertitur aër.  
 Quæ mœchum sequitur, stomacho valet. Illa maritum  
 Convomit: hæc inter nautas et prandet, et errat 101  
 Per puppim, et duros gaudet tractare rudentes.  
 Quâ tamen exarsit formâ, quâ capta juventâ est  
 Hippia? quid vidit, propter quod ludia dici  
 Sustinuit? Nam Sergiolus jam radere guttur 105

99. *Sentina.* ] Aquarum sordiumque colluvies in fundo navis, cujus odor *gravis* et teter est. — *Summus vertitur aër.* Interpretes plerique hæc intelligunt de vertigine oculorum, quæ faciat, ut cælum verti, summaque ejus pars ima fieri videatur; at Grangæus sic, non male: tum femina dicit marito jam tempestatem oriri, et aërem verti: sic Propertius, lib. II, eleg. 4, v. 12:

Nec dubio nubes vertitur atra Noto.

100. *Stomacho valet.* ] Non nauseâ laborat, quæ viris etiam navigantibus obrepere solet. — *Illâ.* Scil. quæ invita sequitur maritum.

101. *Convomit... maritum.* ] Vomitu conspurcat. — *Hæc.* Scil. quæ mœchum sequitur.

104. *Ludia.* ] Ludii nunc concubina, cum antea Senatoris uxor esset.

105. *Sergiolus.* ] Festive hunc ludium *Sergiolum* appellat; ironice respiciens ad verba Hippiaë in amplexu: *mi Sergiole, non petit Sergius.* — *Jam radere guttur.* Ut

rectius verba ista intelligantur, hæc tenenda sunt. Prisci Romani intonsi erant, barbamque alebant usque ad an. V. C. CCCCLIV, quo primum tonsores adduxit Romam P. Ticinius Mena e Sicilia, unde Romani dicuntur *intonsi, barbati, et capillati.* Ratio autem barbæ *tondendæ* aut *metendæ* duplex erat, vel strictim, et ad cutem, quod proprie *radere*, Græc. ξυρᾶν τὸν πρόγωνα, vel paulo longius a cute, interposito pectine, quod proprie est *tondere.* Porro, pueri ac juvenes lanuginem, seu primam barbam alebant, usque ad annum ætatis suæ XXI, quo ea deponi cum solemnitate, et Deo alicui sacrari solebat. Hanc autem mollem teneramque barbam *tondebant* tantum usque ad virilitatem, vel annum ætatis XL, quo, cum viri semper vellent videri, primum, et deinde usque ad senectutem *radebant.* His igitur verbis *jam radere guttur cæperat*, poëta innuit Sergium jam ad virilitatem, scil. ad XL ætatis suæ annum pervenisse. Al. Rup.

V. 103. *Juventâ est.* Ex omnibus fere codd. et edd. priscis inseruimus est, quod exciderat forte incuriâ librariorum, quodque præterea, hoc loco, quinque rumpit ἐμειστέλευτα.

Cœperat, et secto requiem sperare lacerto.

Præterea multa in facie deformia; sicut

Attritus galeâ, mediisque in naribus ingens

Gibbus, et acre malum semper stillantis ocelli.

Sed gladiator erat: facit hoc illos Hyacinthos. 110

Hoc pueris, patriæque, hoc prætulit illa sorori,

Atque viro. Ferrum est quod amant. Hic Sergius idem,

Acceptâ rude, cœpisset Vejento videri.

Quid privata domus, quid fecerit Hippia, curas?

Respice rivales Divorum: Claudius, audi, 115

106. *Secto... lacerto.* ] Vuln-  
rato, vel exciso nervo. — *Sperare*  
*requiem*, missionem. Gall. *un congé*.

109. *Gibbus.* ] Tumor forte ex  
percussione crebra. — *Et acre*  
*malum*. Humor acer et sordidus.  
— *Ocelli stillantis*, lippitudine la-  
borantis.

110. *Illos* ] Scil. gladiatores.  
— *Hyacinthos*. Tam amabiles, quàm  
formosus ille Apollinis amasius,  
de quo Ovid. *Metam.* X, fab. 5.  
Unde Tertull. ad Martyres: *Scen-  
nici, Xystici et Arenarii illi amentis-  
simi, quibus viri animas, et feminæ*  
*etiam corpora sua substernunt.*

112. *Ferrum est quod amant.* ]  
Amant eos qui arma pertractant;  
ut viros ad coitum validos. Ro-  
manas autem in hoc hominum  
(gladiatorum) genus insanisse  
constat ex historia; inter quas  
notantur præcipue Faustina se-  
nior, M. Antonini Pii, Faustina  
junior, M. Aurelii Anton., Lu-  
cilla, L. Aurelii Veri uxor, et  
aliæ permultæ.

113. *Acceptâ rude.* ] *Rudis* virga

erat, quâ gladiatores impetratâ  
missione donabantur: erat enim  
signum missionis artis gladiato-  
riæ; hinc Horat. *epist.* I, I, v. 2,  
metaphorice ait:

. . . . . Donatum jam rude, quæris  
Mæcenas, iterum antiquo me inclu-  
dere ludo.

— *Cœpisset Vejento videri*. Tam vi-  
lis quàm maritus. Hippia eum  
æque ac maritum fastidisset, ac  
reliquisset.

114. *Quid fecerit.* ] Transitio ad  
aliud exemplum monstrosæ li-  
bidinis, in ipsa Imperatorum fa-  
milia sumptum.

115. *Rivales Divorum.* ] Qui sint  
rivales Divorum, id est, ii qui cum  
Imp. uxoribus concumbant. *Ri-  
vales*, proprie qui in agris *rivum*  
habent communem, et propter  
eum sæpe discrepant; metaph.  
ii qui pari animorum affectu ad  
aliquid habendum studium con-  
ferunt.—*Divorum*. Imp. Romano-  
rum, qui post mortem inter Deos  
referri, Divique appellari sole-  
bant.

Quæ tulerit. Dormire virum cùm senserat uxor,  
 Ausa Palatino tegetem præferre cubili,  
 Sumere nocturnos meretrix Augusta cucullos,  
 Linquebat, comite ancillâ non amplius unâ:  
 Et, nigrum flavo crinem abscondente galero,

120

116. *Virum.*] Claudium quintum a Julio Cæsare Imp. — *Uxor.* Messalina, adulteriis suis satis nota.

117. *Palatino...cubili.*] Imperatorio: nam, Imp. sedes et domicilium erat in Palatio. — *Tegetem.* Vide sat. V, v. 8. Hic, *tegetem*, significat lupanar.

118. *Meretrix Augusta.*] Ut ap. Propertium III, 9, 39. *meretrix regina*, Cleopatra. — *Cucullos.* Vid. sat. III, 170. Ferrarius, de Re vestiaria IV, 20: « *Cucullus* ad « latendam personam aptissimus, « ideo fere *noctu*, in discursationibus sumebatur. »

119. *Linquebat.*] Scil. furtive deserebat cubile Imperatoris conjugis sui.

120. *Nigrum flavo crinem abscon-*

*dente galero.*] Credendum est, Messalinam, cùm nigris capillis esset, *flavum galerum* (supposititiam et alienam comam, Græc. πηνίκη, Gall. *perruque*) sumpsisse, et ne dignosceretur, et ut formosior amantibus videretur; apud veteres enim flavus capillorum color, nigro pulchrior semper visus est. Cùm autem Romanæ matronæ fere omnes nigris essent capillis, et meretrices, sæpius alienigenæ, flavam haberent comam; inde ille error interpretum, qui flavum crinem meretricibus, sine discrimine, nigrum autem matronis attribuunt. Sed nugatoria est illa distinctio. Quæ igitur, inter Romanas, habebant flavam comam, eam alebant et ornabant; quæ nigram, *abscondebant flavo*

V. 116 — 132. *Dormire virum cùm senserat uxor, etc.* Hæc usque ad v. 132 male fluunt, et sermonis asperitatem quamdam præ se ferunt. Primum, non bene præcedentibus aptatur, v. 118, *sumere*, nisi post *cubili reposueris et*: deinde, post *linquebat comite ancilla, etc.* male, subito mutantur verborum tempora *intravit, constitit, ostendit, etc.* nam, rectius dixisset poëta, nostro iudicio, *intrabat, constabat, ostendebat*: unde fit, ut hiulca et scabra sit oratio, etsi aptiorem elegimus interpretationem: « Sed, ut ait Al. Rup. ejusmodi durities passim in poëtis concoquenda, « neque tanta est, ut propterea necesse sit, vel. v. 117 et 118 parenthesi « includere, quod Lubinus; vel v. 119 post 116 ponere, quod Schurzfl. « *fleisch.* suadebat. » Præterea, emendationes Lubini et Schurzfl. difficultatem e temporum mutatione natam non tollunt.

V. 120. *Et pro sed restitui, ex omnibus nostris codd. tribus et vet. schol. exceptis.*



Intravit calidum veteri centone lupanar,  
 Et cellam vacuum, atque suam: tunc nuda papillis  
 Constitit auratis, titulum mentita Lyciscæ,  
 Ostenditque tuum, generose Britannice, ventrem.  
 Excepit blanda intrantes, atque æra poposcit, 125

galero; unde illud Tertulliani de cultu: *Video quasdam et capillum croco vertere: pudet eas etiam nationis suæ, quòd non Germanæ aut Gallæ procreatæ sint; ita patriam capillo transferunt.* A.

121. *Calidum.*] Quia valde frequentatum, vel, ob Lyciscam recentem egressam. — *Centone.* Vili veste e variis pannis conflata, quæ cella, vel cubile stratum erat.

122. *Et cellam vacuum.*] Discessu Lyciscæ. — *Atque suam.* Ex pacto, quo Lyciscæ diurnum, Messalinæ vero nocturnum tempus dabatur. — *Nuda.... constitit.* Id est, prostitit, more prostibulorum. — *Papillis.... auratis.* Scil. mammis ornatis auro, vel sindonio connexo aureis annulis; ut etiam Heliogabalus ap. Xiphil. Γυμνὸς ἐπὶ τῆς θύρας τοῦ πορνείου ἔστηκεν, ὡσπερ αἱ πόρνοι, καὶ τὸ σινδόνιον χρυσοῖς κρίκοις ἐξηρητημένον διασειῶν τοὺς παριόντας προσεταιριζόμενος. Nisi forte sindonium illud intelligatur rectius de velo, quod lupanaribus et cauponis obpandebatur, atque annuli sint illi, per quos velum adducitur et reducitur. Farnab.

123. *Titulum mentita Lyciscæ.*] Hoc est, falso addito titulo, ut

pro Lycisca haberetur. Cellis meretricum in fornice prostantium, præfigebantur tituli, in quibus nomina earum ac stupri pretium consignata erant: unde Martialis XI, 46, 1. *Inscriptum limina cellæ.* Et Seneca Controv. I, 2. *Deducta et in lupanar, accepisti locum, pretium est constitutum, titulus inscriptus est.* De Lycisca autem meretrice, vid. Mart. IV, epig. 17.

124. *Ostenditque tuum, etc.*] *Ventrem*, in quo tu conceptus, et e quo natus prodiisti. — *O generose Britannice!* Britannicus Claudii et Messalinæ filius suis virtutibus, et expeditionibus clarus. Occasione diversa, aliaque de causa, Messalinam imitata est Catharina Sfortia Francisci nepotis: seditione enim Ariminii orta, cum rebellantes in foro, ejus, quos obsides eis dederat, liberos se interempturos minitarentur: *en*, inquit Catharina, vestem allevans, ventremque suum eis ostentans, *quo possim liberos iterum procreare.* Balthas. Bonif. hist. Ludicræ, lib. V, cap. 4. A.

125. *Æra poposcit.*] Stupri mercedem, earumdem more, ut pro Lycisca haberetur.

V. 123. *Constitit.* Ita nostri codd. quinque et vet. schol. exceptis, qui habent *prostitit.* At parum distat, et melius fortasse legeretur *prostitit.*

Et resupina jacens multorum absorbit ictus.

Mox, lenone suas jam dimittente puellas, 127  
 Tristis abî; et, quod potuit, tamen ultima cellam  
 Clausit, adhuc ardens rigidæ tentigine vulvæ,

126. *Et resupina jacens, etc.*] Theod. Pulmannus primus hunc versum restituit, qui multis in editionib. atque codd. vacat. — *Absorbit ictus.* Ut Horat. II, sat. 7, v. 49:

Quæcumque excepit turgentis verbera caudæ.

De effrenata ejusdem libidine Plinius, X, 63, seu, 83. *Cæteris satietas in coitu, homini prope nulla. Messalina Claudii Cæsaris conjux, regalem existimans palmam, elegit in id certamen nobilissimam e prostitutis ancillam mercenariæ stipis, eamque nocte ac die superavit quinto ac vicesimo concubitu.*

127. *Dimittente puellas.*] Sub mediam noctem. Incipiebant autem fornicari horâ circiter nonâ; unde nonariæ dictæ sunt a Pers. sat. I, v. 133.

128. *Tristis.*] Nondum expletâ libidine. — *Quod potuit.* Quoad potuit, quantum licuit per lenonem.

129. *Tentigine.*] Tendere et pruritu libidinis, ab *extendendo*: proprie de extentione virilium; sed et utriusque sexui *tentiginem* communem esse constat, quod medici quoque agnoscunt. Simili sensu, auctor epist. Antonii ad Soranum de Cleopatra: *Postpositâ muliebri verecundiâ, ad tantam impatientiam flagitii prorupit, quòd, sub una nocte sumpto cucullo in lupanari prostibulo, CFI virorum concubitus pertulit, in tantum, ut professa est, in tentigine rigidæ vulvæ erat accensa.* — *Fulvæ.* Vulva, hic, pro parte genitali. — *Rigidæ tentigine.* Quod tenditur, rigidum fit. Amplificatio poëtica.

V. 126. *Et resupina jacens, etc.* Non longe aberam, quin hunc versum obelo transfigerem: nam, e XL codd. tum nostris, tum Al. Rup. planè abest; et, non nisi in V, aut VI reperitur: sed, mihi attentius consideranti, iste versus huic loco tam aptus ad pingendam Messalinæ libidinem effrenatam visus est, ut non dubitaverim, quin fuerit certe auctoris, et e multis codd. ob prætextatam licentiam exciderit. Male quidam hunc versum post v. 129 rejecerunt; nam, et loco quem occupat conveniens est, atque convenientior esset, si sic legeretur:

. . . . . Tunc nuda papillis  
 Constitit auratis, titulum mentita Lyciscæ:  
 Excepit blanda intrantes, atque æra poposcit,  
 Ostenditque tuum, generose Britannice, ventrem,  
 Et resupina jacens multorum absorbit ictus.

V. 128. *Et.* Ita XXX codd. Alii, sed paucissimi, habent *sed.*

Et lassata viris, nec dum satiata recessit; 130  
 Obscurisque genis turpis, fumoque lucernæ  
 Fœda, lupanaris tulit ad pulvinar odorem.  
 Hippomanes, carmenque loquar, coctumque venenum,  
 Privignoque datum? Faciunt graviora coactæ  
 Imperio sexûs, minimumque libidine peccant. 135  
 Optima sed quare Cesennia, teste marito?  
 Bis quingenta dedit: tanti vocat ille pudicam:

131. *Obscurisque genis.*] Turpata crebro tactu, crebrisque oculis amplexantium. — *Fumoque lucernæ.* Fuligine fœdata lucernæ solitæ suspendi in cellis; unde videtur *lupas* prostitisse ad lucernas. Sic, in Priapeiis:

Ergo quilibet huc, licebit, intret,  
 Nigrâ fornicis oblitus favillâ.

132. *Ad pulvinar.*] Ad Imperatoris ipsius mariti torum in Palatio, cujus pulvini mollibus plumis farti sunt.

133. *Hippomanes.*] Paucis poëta verbis hîc percurrit alia mulierum scelera, multo graviora, philtorum usum, incantationes, veneficia, quæ copiosius infra memorabit, v. 610 et seqq. Hinc Euripid. in *Cressis* apud Stob. cap. 70: Γαμείτε νῦν, γαμείτε, καὶ καταθνήσκετε

Ἡ φαρμάκοισιν ἐκ γυναικὸς, ἢ δόλοισ.  
*Hippomanes* autem, vox græca ab ἵππος, equus; et μανία, furor. Tria significat: 1<sup>o</sup> herbam Arcadicam, quâ gustatâ, equi in furorem incidunt (vid. Theocrit. II, 48.); 2<sup>o</sup> carunculam nati recens pulli fronti adhærentem, quam equa feta statim edito partu devorare, quâque præreptâ,

in rabiem olfactu agi, nec partum ad ubera admittere dicitur. Plin. lib. VIII, cap. 2; 3<sup>o</sup> fluentem liquorem ab inguine equæ ardore coëundi flagrantis, in veneficiis usitatum. Virg. Georg. III, v. 282: . . . Lentum distillat ab inguine virus Hippomanes, quod sæpe malæ legere novercæ.

Hæc autem omnia, tam de hippomane, quàm de ejus effectibus, in fabularum ordine locari mihi posse videntur. A. — *Carmen.* Magicas formulas, ἐπωδᾶς. Vid. Virg. eclog. VIII. — *Venenum.* τὰ κατὰ φάρμακα. Virg. loco præcit.

134. *Privignoque datum.*] Inter privignos et novercam similtates fere semper exercentur.

134 et 135. *Faciunt graviora coactæ imperio sexûs.*] Id est, dum mulieres obsequuntur affectibus, scil. iræ, odio, superbix, etc. quæ sunt in mulieribus vehementiora; tunc, certe, *graviora* perpetrant, quàm cum sola feruntur libidine.

136. *Optima.*] « Anthypophora » est, tanquam ab alio interrogatus sit. » Vet. schol.

137. *Bis quingenta.*] Id est, decies centena millia sertert.

Nec pharetris Veneris macer est, aut lampade fervet :  
 Inde faces ardent ; veniunt a dote sagittæ.  
 Libertas emitur : coram licet innuat, atque 140  
 Rescribat : vidua est, locuples quæ nupsit avaro.  
 Cur desiderio Bibulæ Sertorius ardet ?  
 Si verum excutias, facies, non uxor amatur.  
 Tres rugæ subeant, et se cutis arida laxet,  
 Fiant obscuri dentes, oculique minores : 145  
 Collige sarcinulas, dicet libertus, et exi :

195987 fr. 654  $\frac{26}{81}$ . Pro dote immensa, hanc summam positam esse credendum est.—*Tanti. Tanto pretio, ob tantam dotem.*

138. *Nec pharetris Veneris.* ] Id est, non maceratur Veneris cupidine, nec fervet flammis ejus, sed dotis flagrat amore. *Pharetræ* respondent *sagittis* ; et *lampas* *facibus*. Poëtæ autem et sculptores non modo Amoribus et Cupidini sagittas et faces, sed et Veneri tribuunt. Al. Rup. — *Macer*. Quia amor macerat, urit, consumit. Virg. ecl. III, v. 100 :

Eheu, quàm pingui macer est mihi taurus in ervo !

Idem amor exitium est pecori, pecorisque magistro.

140. *Libertas emitur.* ] Scil. *libertas* impune ex arbitrio omnia agendi emitur ab uxore, grandi dote. Plaut. Asin. act. I, scen. 1 :  
 . . . Multæ sunt in magnis dotibus Incommoditates, sumptusque intolerabiles :

Nam, quæ indotata est, ea in potestate est viri ;

Dotatæ mactant et malo et damno viros.

— *Coram*. Supple, marito.— *Licet* uxori, ut *innuat* mœchis, atque *rescribat* litteris eorum. Horat. lib. III, od. 6 :

Sed jussa coram non sine conscio  
 Surgit marito, seu vocat institor,  
 Seu, etc.

141. *Vidua est quæ, etc.* ] Quibus cùm libuerit concumbit, et æque libera est, ac si esset vidua, sui juris, nec maritum haberet.

143. *Facies non uxor amatur.* ] Sic Terent. Heaut. II, 3, 9 :

Quippe formâ impulsî nostrâ nos amatores colunt :

Hæc ubi immutata est, illi suum animum alio conferunt.

144. *Cutis arida laxet.* ] Succo deficiente, fiat macilentior et deformior.

145. *Fiant obscuri dentes.* ] Sic Horat. lib. II, od. 8 :

Dente si nigro fieres, vel uno  
 Turpior ungui.

— *Oculique minores*. Contrahan- tur, ut fit in senectute.

146. *Collige sarcinulas.* ] Hæ autem divortii formulæ erant : *collige sarcinulas ; exi ; vade foras ; res tuas tibi habeto ; res tuas tibi agito.*

Jam gravis es nobis, et sæpe emungeris. Exi  
 Ocius, et propera : sicco venit altera naso.  
 Interea calet, et regnat, poscitque maritum 149  
 Pastores, et ovem Canusinam, ulmosque Falernas  
 (Quantulum in hoc?), pueros omnes, ergastula tota;  
 Quodque domi non est, et habet vicinus, ematur.  
 Mense quidem brumæ, cùm jam mercator Iason

Briss. de form. L. VIII. Sic quoque Mart. lib. XI:

Uxor, vade foras, aut moribus utere nostris.

— *Dicet libertus.* Nam, dimissuri uxorem cum septem testibus ad eam mittebant libertum, qui illam jubebat *res suas sibi habere.* Paul. in L. IX. ff. de divort. *nullum*, inquit, *divortium ratum est, nisi septem civibus Romanis presentibus, præter libertum ejus qui divortium faciet.* Divortia autem a Romulo interdicta, et lege X, tabulâ 6, non sine gravissima causa concessa, nec ante annum Urbis conditæ DXXIII, consueta, moribus Romanorum corruptis tam vulgaria erant, ut mariti, quin et uxores, sæpe ea vel levissimâ, vel adeo sine causa facerent, per diffarreationem, aut remancipationem, aut usurpationem: qua de re conqueritur Seneca, de Ben. III, 16.

147. *Et sæpe emungeris.* ] Et, præterea, mucosa es, mucida, jam vetula es.

148. *Sicco venit.* ] Illa posterior opponitur priori mucidæ. Scilicet venit nova nupta et pulchrior, et juventute florens.

149. *Interea.* ] Scilicet dum, quando ætate floret, regnat, exigit quæ vult.

150. *Ovem Canusinam.* ] Id est, et greges in Calabria, et vineas in Falerno. Oves autem et lanæ Canusinæ nobilissimæ erant et pretiosissimæ. Mart. lib. XIV, epig. 155:

Velleribus primis Apulia, Parma secundis

Nobilis. Altinum tertia laudat ovis.

— *Ulmos.* Scilicet vites ulmis fultas. Vid. inf. ad VIII, 78.

151. *Quantulum in hoc?* ] Quàm hoc parvi est, præ sequentibus!

— *Pueros omnes.* Familiam numerosam, complures servos, tum domi, tum rure.— *Ergastula tota.* Id est, locum in quo servi clausi et vincti ad opus tenebantur, ab ἔργον, opus, et εἶλω, mitto.

153. *Mense quidem brumæ.* ] Hic ordo est, et sensus: etiam hye-

V. 147. *Et sæpe emungeris.* Heinsius ad Claud. Cons. I, Stilic. II, 327 emendat: *ut sæpe emungeris!* non male, sed sine auctoritate.

V. 153. *Cùm jam, etc.* Ea est lectio codd. nostrorum. Quidam editt. reposuerunt *quo.* At vulgatam lectionem exagitare non est necesse.

Clausus, et armatis obstat casa candida nautis,  
 Grandia tolluntur crystallina, maxima rursus 155  
 Murrina, deinde adamas notissimus, et Berenices  
 In digito factus pretiosior : hunc dedit olim

mali tempore, quando mercator Jason jam domi latet; et tugurium pruinis albicans retinet nautas armatos, id est, expeditos, præparatos in expectationem veris; maria tamen transvehenda sunt, ut isti imperanti feminæ afferantur magna e crystallo vasa, etc. Alii hunc locum aliter explicant, ut vetus scholiast. quorum plane ab hoc loco aliena videtur interpretatio. — *Mercator Jason.* Pro quovis mercatore. Alludit ad Jasonem, qui primus longâ nave trajecit maria.

154. *Armatis.*] Ad navigandum jam paratis: nam, *arma et armamenta* dicuntur quoque de iis omnibus quibus naves ad expeditionem instruuntur. — *Casa candida.* Scil. nive, pruinis.

155. *Grandia... Crystallina.*] Scil. vasa. Plin. XXXVII, cap. 2. *Non alibi crystallus reperitur, quàm ubi maxime hybernæ nives rigent et glacies, unde et nomen Græci dedere:* iis enim κρύσταλλος, proprie gelu, seu glacies dicitur.

156. *Murrina.*] Sive murrhina, myrrhina, murrhea, murrea et myrrhea, scil. vasa maximi pretii. Quâ fuerint materiâ conflata adhuc incertum est: quæ supra

multo plura quàm par erat, volumina scripta sunt; et adhuc sub *judice lis est.* Antequam igitur solvatur nodus, ex Plinii loco præcit. descriptionem horum vasorum accipiat lector. *Murrina Oriens mittit, præcipue Carmania. Humorem putant sub terrâ calore densari. Splendor his sine viribus, nitorque verius quàm splendor: sed in pretio colorum varietas.... Ac reperiuntur, quales in cælesti arcu spectantur.... Aliqua et in odore commendatio est. Contraria huic causa crystallum facit, gelu vehementiore concreto.* — *Adamas.* Qui duritie, nitore, ac pondere, inter gemmas primum tenet locum. — *Notissimus.* Hoc epitheton respicere ad sequentia, etsi aliter interpretes, id minime dubium est. Sic *notissimus, celebris*, quia hunc Berenice in digito habuerat, ideoque pretiosior visus ambitiosæ mulierculæ. A.

157. *Hunc dedit olim.*] Poëta hoc loco, verba *hunc dedit* repetiit in affectu; et in interpretatione jungenda sunt, *barbarus Agrippa, et incestæ sorori:* sic, *Barbarus* (quo cognomine donabantur peregrini reges, et populi a Romanis, sicuti a Græcis) *olim Agrippa dedit hunc (adamanta) sorori suæ*

V. 156. *Berenices.* Codd. fere omnes legunt *Beronices.* Sic etiam quibusdam scriptoribus græcis Βερονίχη, et aliis Βερενίχη: at, in nummis inscribitur ΒΕΡΕΝΙΚΗ; ideo, vulgatam lectionem servavi.

Barbarus incestæ, dedit hunc Agrippa sorori,  
 Observant ubi festa mero pede sabbata reges,  
 Et vetus indulget senibus clementia porcis. 160  
 Nullane de tantis gregibus tibi digna videtur?  
 Sit formosa, decens, dives, fecunda, vetustos  
 Porticibus disponat avos, intactior omni

*incestæ Berenice.* Cur autem ea incesta vocata sit, ita explicant nonnulli. Agrippa major rex Judææ, filius Aristobuli et Berenices, neposque Herodis Magni, tres filias habuit, Berenicen, Mariamnen, et Drusillam, et unum filium Agrippam minorem, ultimum Judæorum regem, qui apud Claudium Imp. multum auctoritate valuit, quemque incestus cum Berenice sorore commissi suspectum fuisse et accusatum memorat Josèph. Ant. Jud. lib. X, p. 673. De hac igitur ultima hoc loco agi verisimile est. A.

159. *Observant ubi.*] In Judæa, ubi sacris operari poterat nemo, rex quidem, nisi nudis pedibus. Sic enim olim Deus præceperat. Mos. Exod. cap. III. *Solve calceamenta de pedibus tuis, etc.* Hinc Berenices ipsa, *mero pede*, id est, nudo pede apud Hierosolymam vota persolvit legitur ap. Josephum, Bell. Jud. lib. II. *Sabbata*, hic, pro quibuslibet festis ponuntur.

160. *Indulget senibus, etc.*] Si-

quidem porci impune vivunt ad senectutem, quibus vesci lege non licet apud Judæos. Levit. cap. XI, v. 7. *Clementia* autem, hic, pro superstitione potest accipi.

161. *Nullane, etc.*] Hactenus mulierum vitia enarravit: jam bonas earum dotes enumerat, quas, etsi rarissimas, tamen vitio quopiam, ac præsertim superbiâ infestari probat; quo fit, ut nullam commendationem feminæ mereantur.

162. *Sit formosa.*] Superba erit. Ovid. Fast. I.

Fastus inest pulchris, sequiturque superbia formam.

— *Sit decens.* Arrogans erit et morosa. Boil. sat. X.

Tu la verras souvent de douleur oppressée,

Déplorer sa vertu si mal récompensée.

— *Sit dives.* Fastosa et prodiga.

Intolerabilius nihil est quam femina dives.

— *Fecunda.* Exemplo Niobes jactantior erit.

163. *Porticibus disponat avos.*]

V. 163. *Intactior.* Ita omnes codd. et edd. priscae. At Marckland id absurdum esse asserit. « Virgo, inquit, intacta est, id est, a viro non tacta (quod verbum in sensu obsceno accipitur); matrona vero non potest esse intacta, sit casta licet, quando conjugii fidem servat: Sabina autem, cum bellum Sabinos inter et Romanos diremerunt, matres erant; ergo non intactæ. Quam emendationem firmat vet. schol. cujus est

Crinibus effusis bellum dirimente Sabinâ,  
 Rara avis in terris, nigroque simillima cyeno! 165  
 Quis ferat uxorem, cui constant omnia? Malo,  
 Malo Venusinam, quàm te, Cornelia mater  
 Gracchorum, si cum magnis virtutibus affers  
 Grande supercilium, et numeras in dote triumphos.  
 Tolle tuum, precor, Annibalem, victumque Syphacem

Id est, nobilis sit, nullus superbiæ modus erit :

Souvent tu l'entendras, vantant son origine,  
 A son triste mari reprocher la farine.  
 In porticibus autem suis et atriiis, nobiles Romani imagines majorum suorum cereas ordine disponebant. — *Intactor.* Vide infra var. lect.

164. *Crinibus effusis.*] Quod factum satis notum est. Tit. Liv. I, 13. Flor. I, 1. etc.

165. *Rara avis in terris.*] Hic versus proverbii loco cessit.

166. *Cui constant omnia.*] *Cui corporis animique omnia constant, sunt, insunt, bona.* Boil. ibid.

Fort bien : le trait est bon. Dans les femmes, dis-tu,  
 Ainsi, vous n'approuvez ni vice ni vertu.

167. *Venusinam.*] Pauperem et humilem, rusticam et simplicem. — *Quàm te, Cornelia.* Scipionis Afri-

cani majoris filia, Tib. Sempromii Gracchi uxor, Tib. et C. Gracchorum mater. Huic, Romæ, statuum in publica Metelli porticu positam fuisse, cum hâc inscriptione,

CORNELIA MATER GRACCHORVM, auctor est Plin. lib. XXXIV, cap. 6. Ad hoc monumentum respexisse poëta videtur.

168. *Si cum magnis virtutibus.*] Si cum nobilitate, opibus, eximia castitate, fecunditate (nam XII liberos peperit), pietate, animi magnitudine, (quibus prædita erat celeberrima illa matrona), affers in meam domum fastum, jactantiam et superbiam nobilibus cæteris feminis usitatam.

169. *Supercilium.*] Græc. ὑπερύς, fastus. vid. sat. II, 15, et V, 62. — *Triumphos.* Avorum, parentum et cognatorum tuorum.

170. *Tolle tuum precor Annibalem.*] Victum a Scipione Afr. ma-

« glossa : sit castior Sabinis, quæ, etc. Cùm igitur Propertius lib. II, « Eleg. 6, v. 21, dixit :

Tu rapere intactas docuisti impune Sabinas,

« de Sabinis adhuc virginibus, ideoque intactis locutus est, non de iisdem bellum dirimentibus, quæ tunc matres erant, ideoque tactæ. » Inde legit idem, sit castior omni. Non male, certe : at, istam Marcklandi argutiam quæsiisse nostrum Juvenalem quis credat ?

V. 165. *Cyeno.* Rectius scribitur, quàm *cygno* : nam venit a Græc. κύκνος.



In castris, et cum tota Carthagine migra.

171

Parce, precor, Pæan, et tu depone sagittas,

Nil pueri faciunt, ipsam configite matrem!

Amphion clamat: sed Pæan contrahit arcum.

Extulit ergo greges natorum, ipsamque parentem,

jore ad Zamam. — *Victumque Syphacem.* Numidiæ regem, cujus idem Scipio castra, facibus illatis, unâ nocte delevit.

171 *Et cum tota Carthagine.*] Ad pacem coactâ a primo Scip. Corneliæ patre, et dirutâ a secundo Scip. cui nupta erat Sempronia, Corneliæ filia. — *Migra.* Ut supra v. 146, *Collige sarcinulas, et exi.* Hos duo versus feliciter amplificavit satiricus noster satir. X:

Ainsi donc, au plutôt délogeant de ces lieux,

Allez, princesse, allez avec tous vos ayeux,

Sur les pompeux débris des lances espagnoles,

Coucher, si vous voulez, aux champs de Cerisoles;

Ma maison ni mon lit ne sont point faits pour vous.

172. *Parce, precor.*] Mulierum autem arrogantiam, propter fecunditatem, esse vel Diis ipsis intolerabilem ostendit exemplo Niobes. Vid. Ovid. Met. VI. — *Parce, precor.* Incipit per προσωποποιῶν Amphionis deprecantis mor-

tem filiorum suorum ab Apolline et Diana sagittis petitorum. — *Pæan.* Nomen Apollinis ἀπὸ τοῦ παῖεν, a configendo Pythone. — *Et tu.* Subaudi, ὁ Diana!

173. *Ipsam configite matrem.*] Quæ sola est noxia; quæ vos superbiâ suâ lacessivit.

*N.B.* Satiricum magis aliud, quàm quod repererunt interpretes, sub his latere opinor. Scil. jam dudum, mater ipsa (nota ipsam, non solam), gravis fuit mihi: jam dudum, suâ me quoque superbiâ lacessivit: vestræ illam iræ libenter concedo, permitto: at, *pueri nil faciunt, commiserunt in vos!* Versus præcedentes, *grande supercilium, etc.* 169, et sequentes, *quis deditus autem, etc.* 181, meam firmare conjecturam valent. F. D.

174. *Amphion.*] Jovis et Antiope filius, Thebanorum rex, itemque lyricus clarissimus, Niobes conjux. — *Sed Pæan.* Nil motus precibus, *contrahit*, intendit, ἐλκεῖ, ἀνέλατται νεῦρα, τόξον.

175. *Extulit.*] E terra extulit,

V. 171. *Carthagine.* Quidam scribunt *Cartagine*, seu *Kartagine*, auctore Cicerone, qui sic in Orat. cap. 48, disserit: *Quin ego ipse, cùm scirem ita majores locutos esse, ut nusquam, nisi in vocali, aspiratione uterentur, loquebar sic, ut pulcròs, Cetegos, triumphos, Kartaginem dicerem: aliquando, idque sero, convicio aurium, cùm extorta mihi veritas esset, usum loquendi populo concessi, scientiam mihi reservavi.* Nos vero vulgatam scripturam servavimus.

N. 175. *Ipsamque parentem.* Ita XV codd. et nonnullæ editt. priscæ.

Dum sibi nobilior Latonæ gente videtur, 176  
 Atque eadem scrofâ Niobe fecundior albâ.  
 Quæ tanti gravitas, quæ forma, ut se tibi semper  
 Imputet? hujus enim rari summique voluptas  
 Nulla boni, quoties animo corrupta superbo 180  
 Plus aloës, quàm mellis habet. Quis deditus autem  
 Usque adeo est, ut non illam, quam laudibus effert,

et telis confodit. *Efferi* autem proprie dicuntur mortui ad rogam, quorum funus ducitur, ut sup. I, 72. — *Greges*. Scil. multitudinem: nam, erant XIV numero. — *Ipsamque parentem*. Nioben. Alii scribunt *ipsum* patrem, *ipsum* Amphionem. Sed rectius *ipsam* matrem. Vid. infra var. lect.

¶ 76. *Dum sibi, etc.*] Non minus, ob nobilitatem suam, quàm ob fecunditatem superbiebat Niobe. Sic eam de origine sua loquentem introducit Ovid. Met. lib. VI,

. . . . . Mihi Tantalus auctor,  
 Cui licuit soli superiorum tangere mensas:

Pleiadum soror est genitrix mea: maximus Atlas

Est avus, Aethereum qui fert cervicibus axem:

Jupiter alter avus; socero quoque glorior illo.

177. *Scrofâ.*] Hæc non sine sar-

casmo dicta, quasi fecunditas tam justa superbiæ causa esse debeat, quæ sit ei cum *scrofa* communis. — *Scrofa*. Sus femina. Ad hos versus alludit Virg. Aen. III, 391: Triginta capitum fetus enixa jacebit Alba solo recubans, albi circum ubera nati.

178. *Quæ tanti, etc.*] Scil. an tanti facienda est ista *gravitas*, id est, auctoritas, quam debet splendori natalium, morum honestati? — *Forma*. An tanti est, ut, etc.?

179. *Hujus.*] Hujus enim boni, quamvis summi et rari, voluptas nulla est, cum, etc.

181. *Aloës.*] Herba amari succi, de quâ Plin. lib. XXVII, cap. 4. *Aloës* amaritudinis, *mellis* dulcedinis. — *Deditus*. Scil. indulgens, uxoris amore captus.

182. *Quam laudibus effert.*] Propter morum honestatem et formam.

VI codd. *ipm*, cum hoc signo (—), vel *ip3*; aliique omnes, *ipsamque parentem*, quod a mente auctoris, sicuti ab omni ratione historica, alienum videtur: nam, Apollo et Diana Nioben et natos suos telis confoderunt, non Amphionem. Cum autem major sit auctoritas nostrorum codd. qui legunt *ipsam*, inter quos, numerantur Alexandrinus, n° 2029; Mazarinens I, n° 3110; Puteanus A, n° 7900; Colbert. I, n° 7906, et alii fere omnes X et XI sæc. ideo, poscente ratione, lectionem illam servavi; et mihi nugari videntur, qui hæc cum verbo *ipsum* interpretari tentant.

Horreat, inque dies septenis oderit horis?

Quædam parva quidem, sed non toleranda maritis.

Nam quid rancidius, quàm quòd se non putat ulla

Formosam, nisi quæ de Tusca Græcula facta est, 186

De Sulmonensi mera Cecropis? Omnia Græce,

Cùm sit turpe magis nostris nescire Latine.

Hoc sermone pavent, hoc iram, gaudia, curas,

Hoc cuncta effundunt animi secreta. Quid ultra? 190

Concumbunt Græce. Dones tamen ista puellis :

183. *Septenis.... horis.*] Ut non per septem horas, id est, per maximam partem diei (cùm dies in XII horas divideretur), oderit, hoc est, ut non eam magis oderit, quàm amet. Unde *J. B. La Fontaine* fabulam suam, cui titulus *Belphégor*, hoc festivo absolvit consilio :

N'épousez point d'Honesta, s'il se peut :

N'a pourtant pas une Honesta qui veut.

184. *Quædam.*] In eas invehitur quæ, ut formosiores videantur, græcum sermonem affectant; ac præsertim in vetulas.

185. *Rancidius.*] Ingratius, vel putidius. *Rancida* propr. dicuntur cibaria, oleum, et carnes diu asservatæ; ideoque deformes et ingratae.

186. *Tusca.*] Tuscia Italiæ regio nobilissima. Hic, *Tusca* dicitur pro Romana; Romani enim et Tusci erant contermini. — *Græcula.* Ironice, ad diminutionem, vid. sup. sat. III, v. 58.

187. *De Sulmonensi.*] Sulmo hodie quoque *Sulmona*, Pelignorum

oppidum, poëtæ Ovidii patria, ut ipse nos docet, *Trist. IV*, v. 9: Sulmo mihi patria, et gelidis uberri-  
mus undis.

Hic Sulmonensi, pro Italica femina. — *Mera Cecropis.* Pura, vera ac tota *Cecropis*, id est, Attica, Atheniensis: nam, *Cecrops* Athenarum conditor et primus rex fuit. Hujus autem urbis incolæ cæteros et elegantiam sermonis, et urbanitate antecellebant. — *Omnia Græce.* Exprimunt, aut loquuntur.

188. *Cùm sit turpe magis.*] cùm Romanos multo magis dedecet latine *nescire* loqui, quàm deceat græce scire. Hic, obiter carpit Romanos, qui patrium sermonem contemnentes ac negligentes, græca latinis intempestive miscebant. Hunc autem versum spurium *Ruperti*, quem ab *Ulmensi* et *Gaybacensi* II codd. abesse dicit, eumque ab hoc loco alienum putat; cur? nescio; nam, is versus mihi videtur ad rem aptiss. A.

191. *Concumbunt græce.*] Græco

V. 183. *Inque dies.* Ea est lectio omnium codd. et antiqq. edd. Alii, sed recentiores, *inque diem.*

V. 188. *Cùm sit turpe magis, etc.* Vid. sup. ad comment.

Tunc etiam, quam sextus et octogesimus annus  
Pulsat, adhuc Græce? non est hic sermo pudicus  
In vetula, quoties lascivum intervenit illud

ZΩΗ ΚΑΙ ΨΥΧΗ: modo sub lodice relictis 195

Uteris in turbâ. Quod enim non excitat inguen  
Vox blanda et nequam? digitos habet. Ut tamen omnes

more. Non modo Græcos in sermone, sed in coïtu etiam æmulantur. *Concumbere* autem, *cubare cum*, unde concubitus. — *Dones*. Hæc in puellis condonanda sunt, et excusanda.

192. *Tunc etiam*.] Apostrophe ad anus libidinosas.

193. *Pulsat*.] Sollicitat, vexat, vel pulsat ad occasum, præcipitat ad finem. Sic, Sid. Apoll. Epist. V, v. 9. *Senectus pulsat*. Et Propert. III, 23, 31:

. . . Celatis ætas gravis urgeat annis.  
— *Adhuc græce*. Supple, loqueris, vel loqui affectas. — *Pudicus*. Hic sermo minime honestus est in ore tuo; non est, qui vetulam deceat, immo vero, ridiculus est.

194. *Intervenit*.] Quoties in ore tuo venit illud lascivum.

195. ZΩΗ ΚΑΙ ΨΥΧΗ.] Vita mea, anima mea. Ad hæc respondent ap. Gallos, *mon petit cœur, mon ame*. In omnibus autem linguis habent æquipollentia. Unde miranda est interpretum ingenuitas, ne plura dicam, cum ad hæc: *Quibus solent uti meretrices*. Et cur

meretrices? An omnis femina, in amplexu, eadem ubique non est? An femina tantum distat ab altera, ut, iisdem, aut similibus non possit uti verbis, quæ amoris sui sint certa, vel ficta indicia? Hæc autem verba, Ζωὴ καὶ ψυχὴ, nihil in se vituperandum habent, utpote naturæ interpretes; ideoque, non in illa ipsa invehitur poëta; at, in feminas, præsertim vetulas, quæ ea non latine, scilicet, non in lingua sua, sed græce dicunt; quæque eadem non sub *lodice* tantum, sed palam, publiceque proferunt. A.

197. *Vox blanda et nequam*.] Puellæ scilicet. — *Digitos habet*. Hoc est, vim digitorum, qui palpando excitant inguen. — *Ut tamen omnes, etc*. Id est, ut autem omnes subsidant pennæ, scil. ut (Martialis verbis utor), *mentula, mensque cadant mihi, nec possint putidam ad te arrigere vetulam*, satis est, ut ea verba (Ζωὴ καὶ Ψυχὴ) dicas, pronunties; etiamsi enim, hæc mollius Aemo et Carpophoro, tamen, *mentula mea surda erit; et,*

V. 195. ZΩΗ ΚΑΙ ΨΥΧΗ. In codd. X et XI sæc. ista verba recte scribuntur, caractere græco majusculo. In iis vero posteriorum temporum, vel corrumpuntur, vel plane absunt: unde constat, usum græcæ linguæ in his duobus primis sæculis, non fuisse penitus oblitteratum in Occidente.

Subsident pennæ, dicas hæc mollius Aemo  
 Quanquam et Carpophoro, facies tua computat annos.  
 Si tibi legitimis pactam junctamque tabellis  
 Non es amaturus, ducendi nulla videtur

*sit lusca licet, te tamen illa videt:*  
 nam, facies tua *computat*, indicat  
*annos*, annorum numerum.

*N. B.* Ad hos quatuor versus  
 196—199, liceat reverti, qui omnes  
 mire cruciaverunt interpretes;  
 quosque longe aliter ac nos explicant  
 Britan. Pratæus, Schrevel. et Dusaulx,  
 qui de Grangæo conqueritur, quòd  
 interpunctione vitiosa locum hunc  
 obscuraverit. Grangæus tamen, et Lubinus,  
 et, post hos, Al. Ruperti eadem  
 hæc interpunctione vituperata usi,  
 sensum multo magis apertum et  
 poëticum obtulerunt: inter quos,  
 cum unamquamque interpunctionem  
 et interpretationem, tum latine,  
 tum gallice retulero, judicabit lector.

Sic *Dusaulx* interpungit et interpretatur:

. . . . Quod enim non excitat inguen  
 Vox blanda et nequam? digitos habet,  
 ut tamen omnes

Subsident pennæ. Dicas hæc mollius  
 Aemo

Quanquam et Carpophoro, facies tua  
 computat annos.

« Qui serait à l'épreuve d'une voix  
 tendre et lubrique? Non moins puissante  
 que le tact, elle embraserait les cœurs  
 les plus glacés. Va, quand tu prononcerais  
 cet amoureux refrain plus tendrement  
 qu'Aemus ou Carpophorus, tes années  
 n'en seraient pas moins écrites sur ton  
 front. »

Quam languida et insulsa sit

ultima phrasis pars, quis adeo  
 rudis, non videat lector?

Sic nos, ex Grangæo, Ruperti et aliis.

. . . . Quod enim non excitat inguen  
 Vox blanda et nequam? Digitos habet.

Ut tamen omnes

Subsident pennæ, dicas hæc mollius  
 Aemo

Quanquam et Carpophoro, facies tua  
 computat annos.

« Quel cœur ne serait pas embrasé  
 au son d'une voix tendre et lubrique?  
 C'est le tact de l'amour. Mais, veux-tu  
 voir cette ardeur s'évanouir, prononce  
 les mêmes mots, prononce les plus  
 voluptueusement encore qu'Aemus et  
 Carpophorus, tes années écrites sur  
 ton front en détruiront l'effet. »

Hæc, verbis propriis, gallice reddere  
 pudor vetat; sed, vide initium  
 hujus notæ. A.

198. *Subsident pennæ.*] Metaphora  
 ducta ab avibus, quas aliquo morbo  
 correptas, alas demittere videmus.  
 Ovid. III, Am. eleg. VI:

Nostra tamen jacuere velut præmortua  
 membra,

Turpiter hesternâ languidiora rosâ,  
 — *Aemo... et Carpophoro.* Mimis  
 et histrionibus mollissimis.

200. *Si tibi, etc.*] Postumum  
 urget hoc dilemmate: aut uxorem  
 amaturus es, aut non. Si non;  
 cur eam ducas, et inutiles sumptus  
 facias? Si contra amaturus;  
 miser eris et veluti servus.

— *Tabellis.* Nuptialibus.

Causa : nec est , quare cœnam , et mustacea perdas ,  
 Labente officio , crudis donanda , nec illud  
 Quod prima pro nocte datur , cùm lance beata  
 Dacicus , et scripto radiat Germanicus auro. 205  
 Si tibi simplicitas uxoria , deditus uni

202. *Mustacea.*] Genus placentæ nuptialis , de quo Cato R. Rust. c. 121 , ita : *Mustaceos sic facito. Farinæ siliginæ modium unum musto conspergito ; anisum , cuminum , adipis pondo duo , casei libram , et de virga lauri deradito , eodem addito ; et ubi definxeris , lauri folia subtus addito , cùm coques.*

203. *Labente officio , crudis donanda.*] Vet. schol. *Donanda* , pransoribus , convivis *crudis* , id est , cruditate laborantibus , ob lautiores epulas. — *Labente officio.* Discedentibus illis , qui causâ officii venerant : solebant enim post nuptias recedentibus dulcia erogari pro apophoretis.

204. *Nec perdas illud quod , etc.*] Scil. munera , quæ maritus novæ nuptæ donare solebat in virginitatis delibatæ præmium ; aliquot nempe nummos in lance. Donum illud matutinale notatur hoc loco , quod Græci ἐπιθρονον δῶρον , et leges Longobard. *morganaticam* vocant. — *Cùm lance.* Scil. *Cùm in lance* divite , pretiosa.

205. *Dacicus et... Germanicus.*] Ut Philippus , Darius , et ap. Gallos , un *Louis d'or* , un *Napoléon* : scil. nummus signatus effigie et

nomine ejus sub cujus imperio census est. Nummi igitur , de quibus hic agitur , signati erant effigie Domitiani , qui ea cognomina sumpserat. Hoc loco , de nummis Imp. Trajani agi verisimile magis existimo : nullum enim , etsi mille et plures ipse inspexerim , nummum Domit. Imp. sive aureum , sive argenteum , sive æneum reperi cum inscript. *German. Dac.* cùm contra ex omni modulo ac materia frequentiora sint , et passim obvia Trajani Imp. numismata , cum hoc titulo : IMP. NERV. TRAIANO AVGVSTO GERM. DAC. P. P. OPT. PRINCIPI PONT. MAX. TR. POT. (Vid. quoque Occon. *Mediobarb. Vaill.* et alios) : unde et hanc satiram Trajano Imperante scriptam esse videtur : quod confirmatur etiam infra v. 236 , ubi nominatim vocatur *Archigenes* , qui , etsi notus antea , tamen sub Trajano potissimum inclaruit ; et v. 407 et seqq. vid not. — *Radiat scripto... auro.* Inscriptione caput circum , *la légende. A.*

206. *Si tibi.*] Posterius dilemmatis cornu. *Si tibi est simplicitas uxoria* , id est , stolidum uxorium obsequium : nam , *uxorius* dicitur

V. 205. *Dacicus.* XXX codd. habent *Dacius* , seu *Datius* : mendose , ut opinor : nam , passim et in inscriptt. et in numm. reperitur epitheton *Dacicus.*

Est animus ; submitte caput , cervice paratâ  
 Ferre jugum : nullam invenies quæ parcat amanti.  
 Ardeat ipsa licet , tormentis gaudet amanti ,  
 Et spoliis. Igitur longe minus utilis illi 210  
 Uxor , quisquis erit bonus optandusque maritus.  
 Nil unquam invita donabis conjuge : vendes  
 Hac obstante nihil : nihil , hæc si nolit , emetur :  
 Hæc dabit affectus : ille excludetur amicus  
 Jam senior , cujus barbam tua janua vidit. 215  
 Testandi cùm sit lenonibus atque lanistis

is , qui totus pendet ab uxoris arbitrio. Hic videtur ludere in ambiguo : vocat enim *simplicitatem uxoriæ* , unam et simplicem uxorem habere ; at , ironice , cùm nihil sit minus *simplex* quàm femina. Grang.

207. *Est animus.* ] Si tibi *est animus deditus uni* , scil. mulieri , uxori , ut supra v. 181. — *Submitte caput.* Inclina *caput , cervice paratâ ferre* , ad ferendum.

208. *Jugum.* ] Signum est servitutis. Translatio ab armentis , quæ jugum cervicibus excipiunt. — *Quæ parcat amanti.* Quæ non molestasit viro , et quidem eam amanti , quæ eum non miserum reddat.

209. *Gaudet tormentis.* ] Sic Propert. lib. II , eleg. 7 ,

. . . Interitu gaudeat illa tuo.

Et Theocrit. idyll. III ,

. . . Καὶ τοὶ λύκοι ὠδὲ μ' ἔδονται.  
 Ὡς μέλι τοι γλυκὸν τοῦτο κατὰ βρο-  
 γθοιο γένοιτο.

210. *Et spoliis.* ] Non solum vexare gaudet maritum ; sed et spoliare : unde Martialis *amicam spoliatricem* vocat. Vid. sup. v. 149. — *Igitur.* Conclusio. Eo pejor , gravior erit uxor , quo vir erit melior et amantior.

212. *Nihil unquam.* ] Plautus Menech. I , 2.

Nam quoties ire volo , me retines , revocas ,

Rogitas , quo ego eam , quam rem agam ,  
 quid negotii geram ,

Quid petam , quid feram , quid foris  
 egerim ?

Portitorem domum duxi ; ita omnem  
 mihi

Rem necesse loqui est , quidquid egi ,  
 atque ago.

215. *Cujus barbam tua janua vidit.* ] Qui domum tuam a prima ætate frequentavit. Vide supra , ad vers. 105.

216. *Testandi.* ] Libertas et jus ex arbitrio cùm sit testandi leno-

V. 213. *Nolit.* Ea est lectio codd. Quidam tamen *nolet* : at , nil interest.

V. 114. *Hæc dabit affectus : ille excludetur amicus.* Ita codd. permulti. Quidam tamen , sic scribunt : *Hæc dabit affectus : ille excludatur amicus.*

Libertas, et juris idem contingat arenæ;  
 Non unus tibi rivalis dictabitur heres.  
 Pone crucem servo. Meruit quo crimine servus 219  
 Supplicium? quis testis adest? quis detulit? audi.  
 Nulla unquam de morte hominis cunctatio longa est.  
 O demens! ita servus homo est? nil fecerit, esto:  
 Hoc volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.  
 Imperat ergo viro: sed mox hæc regna relinquit,

nibus, lanistis et *Arenæ*, id est, arenariis. *Lenones* autem non solum dicuntur, qui quæstuaría mancipia habent; sed etiam, qui in liberis quæstum hunc exercent. Vid. sat. III, 156. — *Lanistæ*. Ita dicebantur, qui familias habebant gladiatorum, quos optime ad digladiandum institutos, privatis publicisve personis vendebant. *Arenariû*, qui in arena amphitheatri depugnant. Primis temporibus non erat istis testandi libertas; quod jus iis postea dederunt Imperatores.

218. *Non unus tibi.*] Tibi contra testamentum ad arbitrium uxoris scribendum erit; quæ tibi rivalet tuos, mæchos suos, non unum, sed plures *dictabit*, quos scribas heredes.

219. *Pone crucem servo.*] Clamat imperiosa, et pertinax illa mulier. — *Meruit quo crimine, etc.* Respondet maritus. *Crux* autem apud Romanos supplicium hominum viliorum, et plerumque servorum.

220. *Audi.*] O mea conjux, pergit maritus, attende, tantisper, rogo, moreris.

221. *Nulla longa est.*] Subaudi,

nimis. Præstans et humanitatis plena sententia: nam, ut ait Seneca: *Potest pœna dilata exigi; non potest exacta referri.* Ad hoc, Val. Max. lib. VIII, cap. I, exemplo ultimo, refert, matrem familiâs Smyrnæam virum et filium interemisse, cùm ab iis optimæ indolis juvenem, quem ex priore viro enixa fuerat, occisum comperisset, eamque ad Dolabellam delatam, qui ad Areopagi cognitionem relegavit; Areopagitas vero, et accusatores, et eam post centesimum annum ad se reverti jussisse.

222. *O demens!*] Verba uxoris moræ impatientis: ô insane! num servus homo est?

223. *Hoc volo.*] Ut pereat; aliquid fecerit, aut nihil; quid interest? — *Hoc volo.* Verba, ut tyrannis, ita et mulieri, qualem poëta adumbravit, aptissima. Femina sic depicta, potest *Archetypa* dici. Vid. *Moliere, Femmes savantes*, act. II, scene 6.

224. *Imperat ergo viro.*] Cato senior de uxoria potestate dixerat: *Omnibus hominibus uxores imperant, nos omnibus hominibus, nobis autem uxores.* Et prius Themis-



Permutatque domos, et flamea conterit : inde 225  
 Advolat, et spreti repetit vestigia lecti.  
 Ornatas paulo ante fores, pendentia linquit  
 Vela domûs, et adhuc virides in limine ramos.  
 Sic crescit numerus ; sic fiunt octo mariti,  
 Quinque per autumnos : titulo res digna sepulchri. 230  
 Desperanda tibi salvâ concordia socru.  
 Illa docet spoliis nudi gaudere mariti :  
 Illa docet missis a corruptore tabellis  
 Nil rude, nec simplex rescribere : decipit illa

stocles : *O uxor, Athenienses Græcis imperant, ego Atheniensibus, tu mihi, tibi filius. O pudor! qui dominantur viris, serviunt mulieribus. — Regna relinquit. Maritum cui imperaverat.*

225. *Permutatque domos.* ] Crebris divortiis. — *Et flamea.* Vid. sup. sat. II, v. 124.

226. *Et spreti repetit, etc.* ] Ad priorem maritum revertitur.

227. *Ornatas... fores.* ] Sup. v. 51.

228. *Vela.* ] Aulæa, peristromata, seu peripetasmata prætenta foribus divitum.

229. *Sic fiunt octo mariti.* ] De illa frequentia divortiorum, Martial. lib. VI, epig. 7.

Aut minus, aut certe non plus trigesima lux est,

Et nubit decimo jam Telesina viro.  
 Quæ nubit toties, non nubit, adultera lege est.

230. *Quinque per autumnos.* ] Per quinque annos. — *Titulo res digna sepulchri.* Mordaci joco dixit hæc poëta, ut Mart. IX, epig. 16. Inscrisit tumulo septem celebrata virorum

Se fecisse Chloë. Quidpote simplicius?

Nomina autem maritorum inscribi solebant sepulchris uxorum. *Titulo* pro epitaphio.

231. *Salvâ socru.* ] Dum vivit uxoris tuæ mater.

232. *Illam docet.* ] Filiam suam. Nota autem *spoliis et nudi.* Frequentes in poëta nostro antitheses sunt.

233. *Tabellis.* ] Litteris amatoriis : nam, Romani in tabulis cerâ inductis scribebant.

234. *Nil rude.* ] Nil rusticum et impolitum, sed comptum et venustum. — *Nec simplex.* Stolidum ;

V. 230. *Quinque per autumnos, etc.* Post hunc versum, in cod. Norimbergensi III Al. Rup. insertus est alius :

Si fierent comites citius, quàm nuberet uxor.

Non male et satirice admodum, si legeretur *nec*, ut esset sensus : Istiusmodi uxor sibi *citius* maritos faceret, quàm nos *amicos*.

Custodes, aut ære domat : tunc, corpore sano, 235  
 Advocat Archigenen, onerosaque pallia jactat.  
 Abditus interea latet et secretus adulter,  
 Impatiensque moræ pavet, et præputia ducit.  
 Scilicet exspectas, ut tradat mater honestos,

sed callidum, artificiosum. —  
*Rescribere.* Ut supra, 141.

235. *Custodes.*] *Illæ*, scil. mater  
 uxoris tuæ *decipit custodes*, Ovidio  
 morem gerens, de Arte Amandi,  
 III :

Tot licet observent, adsit modo certa  
 voluntas,

Quot fuerant Argo lumina, verba  
 dabit.

Eos decipit, vel vino. Ovid. *ibid.*  
 Fallitur et multo custodis cura Lyæo.

— *Aut Ære domat.* Pecuniâ expu-  
 gnat. Ovid. *ibid.*

Quid juvat ambages, præceptaque  
 parva monere;

Cùm minimo custos munere possit  
 emi.

— *Tunc, corpore sano.* Cùm filia sa-  
 na sit et salva.

236. *Advocat Archigenen.*] Me-  
 dicum celebrem his temporibus  
 ab Apamea Syriæ oppido oriun-  
 dum, qui multos physici et me-  
 dici argumenti libros scripsit,  
 artemque suam exercuit tempo-  
 ribus Domit. Nerv. et Trajani.  
 De eo mentio fit ap. Galenum et  
 Aetium. Ea igitur infamis mater  
*advocat* medicum, simulans mor-  
 bum filia; ut, et maritum a con-

gressione prohibeat, et facilem  
 mœchis præbeat aditum, qui, spe-  
 cie officii, vel absente marito,  
 adveniunt, et in ipso lecto latent.

— *Onerosaque pallia jactat.* Reji-  
 cere, sublevare affectat, quasi  
 filia sua febris ardore æstuans hæc  
 pallia, seu lecti operimenta, Gall.  
*les couvertures*, ferre nequeat. Sic,  
 Ovid. Epist. Heroid. XXI, 169 :  
 At mihi væ miseræ! torrentur febribus  
 artus,

Et gravius justo pallia pondus habent.

237. *Abditus interea.*] Interea,  
 dum hæc agitur comœdia, *adul-  
 ter secretus*, secreto introductus,  
*latet abditus*, donec testes omnes  
 amoveantur.

238. *Pavet.*] *Impatiens moræ pa-  
 vet.* Id est, fluctuat inter spem et  
 metum. Gall. *le cœur lui bat.* — *Et  
 præputia ducit.* Præ impatientiâ,  
*μαστροπέυει*, sive ut vet. sch. manu  
 suâ penem fricat sibi. — *Ducit.*  
 Hæc vox nunc quoque Romæ  
 inter cacophata; unde *ducere*,  
*ductare* obscœno intellectu, non  
 absimili voce apud Italos. Hen-  
 nin.

239. *Scilicet exspectas.*] Ut supra,  
 v. 75. — *Ut tradat mater, etc.* D.

V. 237. *Et secretus.* Henninius, nescio quâ fretus auctoritate, reposuit  
*arcessitus adulter.*

V. 238. *Pavet.* Ita omnes fere codd. Quidam tamen habent *silet*, inter  
 quos vet. schol. cujus glossa est *metuit*. Uude conjicere licet eum prius  
 legisse, ut nos, *pavet*.

Atque alios mores, quàm quos habet? Utile porro 240  
 Filiolam turpi vetulæ producere turpem.  
 Nulla fere causa est, in qua non femina litem  
 Moverit. Accusat Manilia, si rea non est.  
 Componunt ipsæ per se, formantque libellos,  
 Principium atque locos Celso dictare paratæ. 245  
 Endromidas Tyrias, et femineum ceroma

Ambrosius, lib. III, de virginib. velandis: *Quid potuit filia de adultera matre discere, nisi damnum pudoris?*

241. *Filiolam turpi.*] Scilicet, *Utile est vetulæ, matri turpi, filiolum turpem producere, προαγωγέειν, prostituere; quoniam ex adultèriis et scortationibus filiæ quæstum facit.*

242. *Nulla fere causa est, etc.*] *Femina prompta est ad lites contrahendas, ut ait Valer. Max. unde eis interdictum postulationibus, propter C. Afraniam Licinii Bructionis uxorem.*

243. *Accusat Manilia.*] *Exemplum hoc, notum ex A. Gellio, libro IV. Ancus Hostilius Mancinus ædilis curulis fuit. Is Maniliæ meretrici diem ad populum dixit, quòd de tabulato ejus noctu lapide ictus esset, vulnusque ex eo lapide ostendebat. Manilia ad tribunos plebis provocavit, et dixit, comessatorem Mancinum ad cedes suas venisse; eum sibi fas recipere non fuisse æde suâ, sed cum vi irrumperet, lapidibus depulsum. Tribuni decreverunt ædilem ex eo loco jure dejectum.... Et, ne cum populo ædilis ageret, intercesserunt.*

244. *Componunt.*] *Litem.* — *Per se.* *Nulla adjuvante pragmatico,*

*seu juris perito.* — *Formantque libellos.* *Accusatorios, seu petitorios, quibus aliquid aut petunt, aut negant: græce δίκη, gall. la requête.*

245. *Principium.*] *Modum instituendæ causæ. — Atque locos.* *Modumque causæ probandæ. Locis, ut Gr. τόποι, in arte tam oratoria, quàm memoriæ, dicuntur fontes sedesque argumentorum, quibus res aliqua probatur, vel refutatur. — Celso.* *Plures fuere ejusdem nominis, quorum notissimi, A. Cornelius Celsus vir doctissimus, qui Tib. temporibus vixit, multosque scripsit libros de re rustica, militari, de medicinâ, philosophiâ, et de arte dicendi. Alter, P. Juventius Celsus prætor an. V. C. DCCCLIV sub Trajano, et Consul II. An. V. C. DCCCLXXXII, sub Hadriano, qui commentarios, librosque epistolarum, quæstionum, et digesterum scripsit, et pater ejusdem nominis, cujus nonnunquam in Pandectis mentio fit. Al. Rup.*

246. *Endromidas Tyrias.*] *Ad alias mulieres transit, quas non pudet artes inhonestas et gymnicas athletarum, vel gladiatorum exercere. — Endromis.* *Vulgo vestis genus crassiore lana, longioreque*

Quis nescit? vel quis non vidit vulnera pali,  
 Quem cavat assiduis sudibus, scutoque lacescit,  
 Atque omnes implet numeros? dignissima prorsus  
 Florali matrona tubâ, nisi si quid in illo 250  
 Pectore plus agitat, veræque paratur arenæ.  
 Quem præstare potest mulier galeata pudorem,

pilo, quod ex Galliâ mittebatur, athletis proprium. Hic, *Tyrias*, purpureas et molliores, quæ opponuntur vulgaribus. — *Ceroma*. De *Ceromate*, vid. sup. III, v. 68.

247. *Vulnera pali*.] Tirones milites exercebantur ad palos, quos singulos singuli defigebant in terram, et contra quos, tanquam contra veros hostes, depugnabant ensibus ligneis armati, aut ligneis sudibus, et rotunda crate viminea, instar scuti. Veget. lib. I, cap. 11. Idem autem usus *palarum* non solum militibus, sed et gladiatoribus erat. — *Vulnera*. Imaginaria *palo* inflictâ.

248. *Cavat*.] Perforat, vel perforare simulat hastis et sudibus ligneis, dum se exercet.

249. *Atque omnes implet numeros*.] Omnia dictata peragit, et simul perfecte et accurate secundum regulas artis. — *Dignissima prorsus*. Dignissima matrona, quæ tubæ cantu, ad ludos Florales cum meretricibus celebrandos vocetur.

250. *Florali... tubâ*.] Pro ludis Floralibus, de quibus Lactant. lib. I, cap. 20, sic: *Flora* fuit mere-

trix quæ, cum ingentes opes arte meretriciâ comparasset, populum rom. moriens heredem reliquit cum magna pecunia, ex cujus annuo fenore suus natalis dies celebraretur editione ludorum, quos appellarent *Floralia*. At cum Senatui flagitiosum videretur ab ipso nomine argumentum sumi; placuit, ut pudendæ rei dignitas quædam adderetur, Deamque finxerunt esse, quæ floribus præsit, eamque oportere placari, ut fruges cum arboribus, aut vitibus bene prospereque florescerent. Hinc *Floralia* sub finem Aprilis celebrari solita. Ovid. Fast. V, v. 183. — *Tubâ*. Omnes ludi, etiam scenici, tubâ canente, mittebantur, vel incipiebant.

251. *Pectore plus agitat*.] Fes-tive poëta: nisi in illo pectore, aliquid virilius, magis masculum agitat, pro agitur, movetur. Passive positum. — *Veræque paratur arenæ*. Nisi his ad *palam* exercitiis, illa sese præparat ad veram justamque pugnam, in arena amphitheatri.

252. *Quem præstare*.] Quis pu-

V. 252. *Quem præstare potest, etc.* Forsan rectius distingueretur:

Quem præstare potest mulier galeata pudorem,  
 Quæ fugit a sexu, et vires amat? . . . . .

Vulgata tamen lectio non est rejicienda.

Quæ fugit a sexu? vires amat. Hæc tamen ipsa  
 Vir nollet fieri: nam quantula nostra voluptas!  
 Quale decus rerum, si conjugis auctio fiat 255  
 Balteus, et manicæ, et cristæ, crurisque sinistri  
 Dimidium tegmen! vel si diversa movebit  
 Prælia, tu felix, ocreas vendente puellâ!  
 Hæ sunt, quæ tenui sudant in cyclade, quarum

dor erit matronæ *galeatæ* quæ, etc. *Galea* non modo militibus, sed et gladiatoribus communis erat, 253. *Fugit.*] Abhorret. Stat. in *Silvis*:

Hos inter fremitus, novosque lusus,  
 Stat sexus rudis, insciusque ferri:  
 Et pugnas capit improbus viriles.

— *Vires amat.* Sed appetit fortitudinem virorum, eorumque exercitationes, quæ majores requirunt vires.

254. *Nam quantula nostra voluptas!*] Quàm parva nostra, virorum, voluptas in re venerea, præ feminea? Ovid. *Metam.* lib. III, fab. 4. et *Lucian.* in dial. *Menip.* *Tiresiæ* et Ἐρωτες, *Avicen.* de anim. IX. *Galenus*, de morbis IX, putârunt feminis majorem in coïtu, quàm maribus esse voluptatem. Aliter tamen *Hippocrat.* seu *Polyb.* in lib. περὶ γονῆς: Ἥσσον δὲ πολλῶ ἤδεται ἡ γυνὴ τοῦ ἀνδρὸς ἐν τῇ μίξει, πλείονα δὲ χρόνον.

255. *Quale decus rerum.*] Ironice. *Scil.* quàm pretiosæ res venderentur, et quantus apparatus, si conjugis, hoc est, armorum, opumque ejus auctio fiat, fieret! — *Auctio.* Vid. *Sat.* III, v. 33.

256. *Balteus et manicæ.*] Hæc

sunt arma gladiatoria; et, ut *Just. Lips.* *Saturn.* serm. II, cap. 11, non male suspicabatur, omnia *Samnitium*, quorum armaturam, ut nobiliorem forte affectabant feminæ nobiles: sic *Balteus*, spongia, pectori tegumentum. — *Manicæ.* *Chirotecæ*, seu χειρίδες, manuum tegmina, quibus gladiatores utebantur. — *Cristæ.* *Galeæ* cristatæ, quæ speciem magnitudini corporum adderent. — *Crurisque sinistri dimidium tegmen.* *Ocrea*, quâ dimidium crus tegebatur, et quidem *sinistrum*, quod in pugna, vel in certamine singulari protenditur.

257. *Vel si diversa movebit.*] Si uxor tua etiam diversa prælia retiariorum, secutorum, mirmillonum, et alia pugnarum genera obire velit.

258. *Tu felix.*] Ironice, ut reliqua. *Tu*, marite, *felix* prædicandus es: nam, uxor tua non unam, sed plures *ocreas* in auctione vendit. — *Puellâ.* Uxore adolescentulâ: nam puella, virgo, παρθένος dicitur, quæcumque in flore ætatis est, etsi vel nupta est, vel jam peperit.

259. *Hæ sunt, etc.*] Eædem sunt

Delicias et panniculus bombycinus urit. 260  
 Aspice, quo fremitu monstratos perferat ictus,  
 Et quanto galeæ curvetur pondere, quanta  
 Poplitibus sedeat, quàm denso fascia libro;  
 Et ride, positis scaphium cùm sumitur armis!  
 Dicite vos neptes Lepidi, cæcive Metelli, 265

mulieres.—*Quæ tenui sudant in cyclade.* Joan. Salisb. Polycrat. VIII, cap. 12. *Alter solis lineis brumæ horrores excludit: et dum omnia gelu constricta rigent, tenui sudat in cyclade, et illius delicias etiam bombycinus urit pannus, aut premit.*—*Cyclas* autem, græc. κυκλάς, tunica muliebris, in qua rotundum quid fuisse apparet ipso nomine; eamque inde dictam esse, quòd limbum (κύκλον) auro intextum in circuitu haberet, ad extremam oram assutum.

260. *Delicias.*] Quarum *delicias*, id est, tenerum, molle, delicatum corpus.—*Bombycinus.* Indusium tenue, e telis bombycum araneorum modo textis. De triplici genere bombycum vide Arist. Hist. anim. V, 18, 19. Plin. XI, 22 et 23, ibique Harduinum, qui, præter alia, recte monet, hos bombyces, perperam et inter se, et cum vermiculis illis e quibus sericum ducitur, confundi a Salmasio.

261. *Aspice.*] Graphica descriptio pugnae gladiatoria mulierum, ut infra virorum, VIII, 200 et seqq.—*Fremitu.* Clamore, anhelitu et vociferatione *perferat.*—*Ictus monstratos.* A campi doctore.

262. *Quanta.*] Quàm grandis, firma et valida.—*Sedeat.* Subsidiat sub clypeo.—*Poplitibus.* Genibus

positis, more Mirmillonis pugnantis cum Thrace, qui contra ἐπιβαίνει, insurgit in eum.

263. *Quàm denso.*] Non, ut quidam interpretes: *Fascia*, quæ densis voluminibus complicatas sinuatasque vestes colligit, hoc est, *Quàm succincta pugnet*; multo minus, ut *Dusaulx* interpretatur, *malgré les plis d'une robe retroussée*; sed, ut Ferrarius, Elect. II, 14, recte explicat: *Fascia*, ut *spongia* de qua supra 256, seu species loricæ ex pluribus tiliarum contabulationibus *densata*, veluti quædam tabellarum, instar *libri*, seu codicis, compaginatio, muniendo pectori adversus ictus; hoc est, *quàm densa loricâ*, seu *fasciâ*, instar libri, per pectus munita sit; vel potius, ut meus recte iudicat condiscipulus *Fr. Boissonade*, sine metaphora, *quàm denso libro*, cortice *fascia*, *spongia*. A.

264. *Scaphium.*] Trulla, vel matula, matella, vas cui immeiunt mulieres, quodque iis proprium est, ut lasanum viris. Sic interpretes: Turneb. vero Advers. II, cap. ult. de capillitio *scaphæ* formam habente, meretricibusque usitato; et Grang. simpl. de capitis muliebris ornamento, Gall. olim *escophion*. Sed priorum aptior videtur sententia.

265. *Neptes Lepidi.*] M. Acmi-

Gurgitis aut Fabii, quæ ludia sumpserit unquam  
 Hos habitus? quando ad palum gemat uxor Asyli?  
 Semper habet lites, alternaque jurgia lectus,  
 In quo nupta jacet: minimum dormitur in illo:  
 Tunc gravis illa viro, tunc orbâ tigride pejor. 270  
 Cùm simulat gemitus occulti conscia facti,  
 Aut odit pueros, aut ficta pellice plorat,

lius Lepidus, Censor an. *V. C.* DLXXIV. bis Cos. Pont. Max. et Princeps Senatûs. Idem nomen Triumviro, multisque Coss. fuit. — *Metelli.* L. Cæcilius Metellus, Cos. an. *V. C.* DII et DVI, Dictator, Magist. Equitum et Pont. Max. de quo, vid. supra III, 139.  
 266. *Gurgitis aut Fabii.*] Q. Fabius Gurges, Cos. an. *V. C.* CCCCLXII et LXXVIII, ac Princeps Senatûs, qui, juvenis, a patrimonio devorato cognomen illud accepit; sed prioris ætatis vitia, multis postea virtutibus compensavit. Is erat Q. Fabii Rulliani Maximi filius, et fuit avus Q. Fab. Maximi, qui Annibalem in Italia cunctando fregit. — *Ludia.* Vid. sup. v. 82.

267. *Ad palum gemat.*] Vid. sup. v. 247. — *Asyli, Asylli,* gladiatoris.

268. *Semper habet lites.*] Ovid. de Art. Am. II, 153.

Lite fugant nuptæque viros, nuptasque mariti.

Inque vicem credunt rem sibi semper agi.

Hoc decet uxores, dos est uxoria lites.

Ad hoc, Grangæus facetum hoc Tiburtinæ viæ epitaphium refert:

HEVS. VIATOR. MIRACVLVM. HEIC. VIR. ET. VXOR. NON. LITIGANT. QVI. SVMVS. NON. DICO. AT. IPSA. DICAM. HIC. BAEBIVS. EBRIVS. EBRIAM. ME. NVNCVPAT. HEI. VXOR. ETIAM. MOR TVA. LITIGAS.

270. *Tunc gravis illa.*] *Tunc,* scil. cùm jacet in lecto, molesta, semper irata, maritum vexat. — *Tunc... pejor, sævior orbâ tigride,* orbatâ cautulis a venatore subreptis. Subauditur est. Male, nostro iudicio, interpretes multi hunc versum sequentibus aptant: nam, voces *gravis*, et præsertim *pejor orbâ tigride*, difficile cum iis congruunt, *simulat gemitus*, et infra, *plorat.* A.

271. *Cùm... conscia.*] Cùm est conscia sibi adulterii commissi in maritum; tunc ut omnem de se suspicionem amoliatur, Gall. *pour lui donner le change; simulat gemitus*, plorans ac gemens, quasi alia ab eo magis ametur, *fictos* marito exprobrat amores, etc. Ovid. Eleg. VIII, lib. 1:

Et quasi læsa prior, non nunquam irascere læso,

Vanescat culpâ culpa repensa tuâ

272. *Aut odit pueros.*] Vexat servos tanquam fidos ei in fur-

V. 267. *Gemat.* Codd. fere omnes habent *gemit*; minus bene.

V. 270. *Tunc.* Codd. permulti habent *cùm*: at, ingrata est repetitio hujus vocis, quæ, præterea, sensum offendit. Vid. comment.

Uberibus semper lacrymis, semperque paratis  
 In statione sua, nec non spectantibus illam,  
 Quo jubeat manare modo: tu credis amorem, 275  
 Tu tibi tunc curruca places, fletumque labellis

tivis amoribus, vel potius servos meritorios, quos marito in deliciis esse fingit (scorta masculina); non filios, ut quidam volunt. — *Aut fictâ pellice*. Magister Amoris III, de Arte Am. 677.

Accedunt lacrymæ, dolor et de pellice fictus,  
 Et laniet digitis illius ora suis.

273. *Uberibus semper lacrymis.*] Idem Ovid. lib. I, Am. Eleg. 8:

Quin etiam discunt oculi lacrymare coacti,  
 Et faciunt udas ille vel ille genas.

Et III, de Arte, v. 291:

Quo non ars penetrat, discunt lacrymare decenter,  
 Quoque volunt plorant tempore, quoque modo.

274. *In statione sua.*] Metaphora ducta a militibus, qui stant in loco, vel statione sua; ut, inde, statim, signo dato, excurrant. Ita, lacrymæ *expectant illam*, ut manent, quo illa jubeat. A.

275. *Tu credis amorem.*] Merum est illud Ovidianum de Arte Am. lib. III, v. 679:

Jam dudum persuasus erit: miserebitur ultro,

Et dicet: curâ carpitur ipsa mei.

Præcipue si cultus erit, speculoque placebit,

Posse suo tangi credet amore Deas.

276. *Curruca.*] Ut vulgo putant, avicula dicitur, græce ἐπιλαΐς, vel ὑπολαΐς fovens pullos alienos, scil. cuculi, qui in ejus nido ova parit. Sic, tu, *curruca*, qui adulterinos educas liberos, quem Galli vocant *cocu*, *tunc tibi places*, grataris. De hoc vocabulo, *curruca* non convenit apud interpretes. Alii volunt, vel *eruca*, animalculi genus, quod *Democritus*, (Colum. XI, 3, de Erucis), *affirmat enecari, si mulier, quæ in menstruis est, solutis crinibus, et nudo pede, unamquamque aream ter circumbeat; post hoc enim decidere omnes vermiculos; et ita emori*. Alii, ut vet. schol. « *Uruca*, Mimologi « stupidi nomen finxerunt, quia « ferme quasi frequenter fallitur, « magis et (*forte*, cum agit) per- « sonam mariti. » Sed nulla versio aptior, et acceptior quam prima. A.

V. 274. *Nec non spectantibus illam*. Decem ex nostris codd. et antiquioribus, et quatuor ex Rup. habent, *atque expectantibus illam*, servato hiatu, quem dicunt esse gratum Juvenali; totidem fere, melius, quod ad metrum, *atque ipsis expectantibus*. Alii vitiosius: codex Puteanus solus, *nec non spectantibus illam*: cui lectioni arrisimus, quippe quæ metri simul ac sermonis leges servat. Elegantius tamen unus ex Mediolanensibus codd. nunc nostris, n° 112—453, *atque viris spectantibus illam*. Merito autem hunc versum, qui, salvo sensu, ejici potest, acumen interpolatoris redolere existimant critici.



Exsorbes! Quæ scripta, et quot lecture tabellas,  
 Si tibi zelotypæ retegantur scrinia mœchæ!  
 Sed jacet in servi complexibus, aut equitis. Dic,  
 Dic aliquem, sodes, hîc, Quintiliane, colorem? 280  
 Hæremus. . . . Dic ipsa? Olim convenerat, inquit,  
 Ut faceres tu, quod velles; nec non ego possem  
 Indulgere mihi: clames licet, et mare cælo  
 Confundas, homo sum. Nihil est audacius illis

277. *Exsorbes!*] Lacrymas uxoris osculando. Ovid. Am. II, 325.

Et videat flentem, nec tædeat oscula ferre,

Et sicco lacrymas combibat ore tuas.

—*Scripta et tabellas.* Vid. sup. 233.

278. *Zelotypæ.... mœchæ.*] Quæ se zelotypam, jalouse, simulaverat, ut sua celaret adulteria. — *Scrinia.* Isidorus: vasa in quibus servantur libri. Hodie, un porte-feuille.

279. *In servi complexibus.*] Petron. cap. 126. *Nam, quòd servum et humilem te fateris, accendis desiderium æstuantis: quædam enim femine sordibus calent, nec libidinem concitant, nisi aut servos viderint, aut statores.* — *Aut equitis.* In adulteriis committendis, promiscue habent infimos ac summos viros.

280. *Dic?*] Δεινῶς repetitur. — *Sodes.* Si audes, si vis, et potes. — *Quintiliane.* Rhetor disertissime. — *Aliquem colorem.* Χρόαν, speciem honestatis, prætextum, excusationem, splendida verba,

quæ culpæ huic prætereundere possis. Forma loquendi ducta a picturis, quibus colores inducuntur. Hinc, idem Quint. III, 8, 3. dixit, *colorem dare rebus deformibus.*

281. *Hæremus.*] Respondet Quintilianus. Gall. *Notre art est en défaut.* — *Dic ipsa?* Verba mariti interpellantis: uxor ipsa responde? — *Olim convenerat.* Responsio adulteræ. *Convenerat,* ut supra, v. 25. Mirum autem est hoc conventum, et mira magis adulteræ impudentia. Vividissima muliebris audaciæ adumbratio, ad naturam expressæ.

283. *Et mare cælo.*] Vide sup. sat. II, 25.

284. *Homo sum.*] Appellatione hominis mas et femina continentur. Apul. lib. V, Miles. *Votivis nuptiis hominem te jungemus homini.* Serv. Sulpicius ad Cic. epist. *Paucis post annis tamen ei moriendum fuit, quoniam homo nata fuerat.* Mulier igitur dicit, *homo sum,* id est, erroribus æque ac tu obnoxia; adeoque digna cujus peccatis ex

V. 277. *Quot.* Ita omnes nostri codd. non *quas*, quod tamen non est inconveniens.

V. 280. *Hîc.* Omnes fere codd. habent *Dic.* Sed ingratum videtur τὸ *dic* quater repetitum.

Deprensus : iram atque animos a crimine sumunt. 285  
 Unde hæc monstra tamen , vel quo de fonte , requiris ?  
 Præstabat castas humilis fortuna Latinas  
 Quondam , nec vitiis contingi parva sinebant  
 Tecta labor , somnique breves , et vellere Tusco  
 Vexatæ duræque manus , ac proximus Urbi 290  
 Annibal , et stantes Collinâ turre mariti.  
 Nunc patimur longæ pacis mala : sævior armis  
 Luxuria incubuit , victumque ulciscitur orbem.  
 Nullum crimen abest , facinusque libidinis , ex quo

infirmitate profectis humana veniam des. Similiter ap. Terent. Heaut. I, 1, 25.

Homo sum, humani nihil a me alienum puto.

285. *Iram atque animos.* ] *Deprehensæ in crinine*, non perturbantur ; sed *iram* potius , atque *animos*, audaciam sumunt ; quod summæ est protervitatis , improbitatisque perditæ.

286. *Quo de fonte.* ] Profluxerint. *Requisis*, quæres forsân , Postume ?

287. *Humilis fortuna.* ] Paupertas laboris , castitatis , aliarumque virtutum mater est.

288. *Contingi.* ] Contaminari , pollui. — *Parva tecta.* Casæ humiles , ædesque lateritiæ ; pro hominibus laboriosis in iis habitantibus.

289. *Somnique breves.* ] Propter vigilias , nocturnumque laborem. — *Et vellere Tusco.* Tractando lanam Tuscam , lanificio. Non , ut deinceps , lanæ Canusinæ , aut majoris pretii tunc quærebantur ; sed communes et indigenæ. In tali autem lanificio honestissimo

deprehensa est a Sexto Tarquinio Lucretia.

290. *Duræque manus.* ] *Duratæ.* Sic Ovid. de medicamine faciei :

Forsitan antiquæ Tatio sub rege Sabinæ  
 Maluerunt , quàm se , rura paterna  
 coli :

Cùm matrona premens altum rubicunda  
 sedile ,

Assidue durum pollice nebat opus.

— *Proximus Urbi Annibal.* Pro bello , metuque hostili , exquisite dicitur , *proximus Urbi Annibal* ; nam , ut ait Sall. Bello Jug. 41 : *metus hostilis in bonis artibus civitatem retinebat.* Annibal autem teste Livio lib. XXVI, 10 , cum duobus millibus equitum a porta Collina , usque ad Herculis fanum progressus est.

291. *Collinâ turre.* ] Ad portam Collinam turribus munitam.

293. *Incubuit.* ] Ingruit , irruit in nos. Sic Horat. lib. I, od. 3, v. 31.

Post ignem ætherea domo  
 Subductum, macies, et nova febrium  
 Terris incubuit cohors.

Paupertas Romana perît. Hinc fluxit ad istos 295  
 Et Sybaris colles, hinc et Rhodos, et Miletos,  
 Atque coronatum et petulans madidumque Tarentum.  
 Prima peregrinos obscœna pecunia mores  
 Intulit, et turpi fregerunt sæcula luxu  
 Divitiæ molles. Quid enim Venus ebria curat? 300

— *Victumque ulciscitur orbem.* Sic Rutil. Itin. I, 395 et seqq.

Atque utinam nunquam Judæa subacta fuisset

Pompeii bellis, imperioque Titi!

Latus excisæ pestis contagia serpunt, Victoresque suos natio victa premit.

295. *Hinc, fluxit ad istos, etc.*] Inde, ex eo tempore, *fluxit ad istos colles*, hoc est, Romam in in sept. coll. conditam, et Sybaris, et Rhodos, et Miletos, et molle Tarentum, id est, luxus, deliciæ et vitia istarum urbium fluxerunt ad *istos colles*, scil. ad nos Romanos. Vid. infra, var. lect.

296. *Sybaris.*] Oppidum Lucaniæ, cujus perditos mores Athenæus et Aelianus copiose descripsere; unde *luxus Sybariticus, sus, et mensa Sybaritica*, ac *libelli Sybaritici* proverbii loco dicuntur. — *Rhodos.* De quo infra, VIII, 113. — *Miletos.* Caput Ioniæ, urbs clarissima divitiis mercaturâ partis.

297. *Tarentum.*] Opp. antiquiss. et celeberrimum Calabriae, cujus luxuria tribus sequentibus epithetis adumbratur. Ex his, *coronatum*, spectat ad lautas epulas, in quibus sertis, floribus coronabantur convivæ; *petulans* ad ebrietatem; et *madidum* ad unguenta quibus diffuebant.

298. *Obscœna pecunia.*] Ideo pecuniam *obsœnam* vocat, quia mores primum molles et effeminatos efficit, ac deinde obscœnos; cum homines voluptatibus licitis satiati, sese in fœda obscœnitatis atque impuditiæ fece volutant. — *Peregrinos mores.* Scil. Græcorum et Persarum. A.

299. *Fregerunt.*] Corruerunt, enervârunt. Sic Propert. lib. III, eleg. 13, v. 60.

Frangitur ipsa suis Roma superba bonis.

300. *Quid enim Venus Ebria?*] Nam furor vini furore libidinis

V. 295. *Hinc fluxit ad istos et Sybaris colles, etc.* Hæc lectio recentiorum est editorum, nec ullâ codd. firmatur auctoritate, qui omnes habent, *Hinc fluxit ad Istros, seu Histros*, vet. schol. solus legit *Indos*, quod non improbat Pithoens, si, mox, ut suadebat Jac. Aug. Thuanus, reponatur *Rhodon et Mileton*, ut sit sensus: *Paupertas romana perît*; et eadem Româ excedens, *fluxit*, cessit ad *Histros* seu *Indos*, ad *colles Sybaris, hinc* cessit ad *Rhodon, Mileton*, atque molle *Tarentum*: quæ civitates antea deliciis et voluptatibus insignes, nunc præ Roma sobriæ sunt ac pauperes. Non male, sed recentiorem, hoc loco, lectionem servare maluimus.

Inguinis, et capitis quæ sint discrimina nescit,  
 Grandia quæ mediis jam noctibus ostrea mordet,  
 Cùm perfusa mero spumant unguenta Falerno,  
 Cùm bibitur conchâ, cùm jam vertigine tectum  
 Ambulat, et geminis exsurgit mensa lucernis. 305  
 I nunc, et dubita, quâ sorbeat aëra sannâ

auctus nil curat, nullam honestatis rationem habet; ideo, *Vini usus olim Romanis feminis ignotus fuit; quia proximus a Libero patre intemperantiæ gradus ad inconcessam Venerem esse consuevit.* Val. Max. II, 1, 5.

301. *Inguinis et capitis.*] Proprie, vulvæ et oris differentias nescit; quòd, salvâ verecundiâ, his promiscue verbis expressit *Dusaulex*: « *Confondant tout, elle se prête à tout.* » Cæterum, hic agitur de obscæno genere libidinum, quod Græcis dicitur, τῷ ζόματι μολύνεσθαι, vel τὸ ζόμα μολύνειν, seu φοινικίζειν, λείγειν; latinis, ore morigerari, capiti illudere, idem quod *fellare, irrumare*, hoc de homine, illud de femina; vel forsân, hoc loco, de *basio Florentino*, osculo, linguâ in os alterius insertâ linguamque ejus lambente, dato. De *Ariphrade* fellatore, seu irrumatore, sic *Aristoph.* in *Equit.* act. IV. extr.

Τὴν γὰρ αὐτοῦ γλώτταν αἰσχροῦς  
 ἠδοναῖς λυμáινεται,  
 Ἐν κασσαυρίοισι λείγων τὴν ἀπόπτυστον  
 δρόσον,  
 Καὶ μολύνων τὴν ὑπὲρ τὴν καὶ κυκῶν  
 τὰς ἐσχάρας.

302. *Grandia quæ, etc.*] Cohærent hæc cum antecedentibus. Scil. illa, *quæ jam mediis noctibus*

*mordet grandia ostrea, nescit quæ sint discrimina, etc.* præsertim, cùm *unguenta, etc.* — *Ostrea.* Ad *Venerem* excitant. *Grandia ostrea, et mediæ noctes* ad rem augendam pertinent.

303. *Cum perfusa mero.*] *Plin.* XIII, 3. *At, Hercules! jam quidam etiam in potus addunt unguenta, tantique amaritudo est, ut odore prodigo fruuntur ex utraque parte corporis.* Unde οἶνος μωρρίνιτης, seu μωρρίνης notus ex *Aelian.* var. H. XII, 31.

304. *Conchâ.*] *Vas conchæ* formam referens, et certe amplum hoc loco. — *Cum jam vertigine.* *Egregia et concinna ebrietatis descriptio.* Sic *Seneca* *Epist.* 83: *Adjice illam ignorationem sui, dubia et parum explanata verba, incertos oculos, gradum errantem, vertiginem capitis, tecta ipsa mobilia, velut aliquo turbine circumagente totam domum.* Sic quoque *Theognis* *Sent.* v. 503.

Οἶνοβαρῶ κεφαλὴν, Ὀνομάκριτε, καὶ  
 με θιάται

Οἶνος, ἀτὰρ γνώμης οὐκ ἔτ' ἐγὼ  
 ταμίης

Ἡμετέρης· τὸ δὲ δῶμα περιτρέχει.

306. *I nunc.*] *Verba irridentis, vel irati.* — *Quâ sorbeat aëra sannâ.* *Sanna* genus derisionis, græce μῶκος. *Exprimit gestum irriden-*

Maura, Pudicitiae veterem cum præterit aram,  
 Tullia quid dicat notæ collectea Mauræ.  
 Noctibus hîc ponunt lecticas, micturiunt hîc,  
 Effigiemque Deæ longis siphonibus implent, 310  
 Inque vices equitant, ac, lunâ teste, moventur.

tium, qui, extensis paululum labris, cum certo sibilo, aëra sorbere videntur. Gall. *hou! hou!* Sic quâ sannâ sorbeat aëra, id est, quo cum contemptu et insolenti gestu, Tullia irrideat aram Pudicitiae.

307. *Pudicitiae.*] Templum duplex Romæ. *Vetus*, majusque patriciæ in foro Boario, recentius minusque plebeiæ in vico longo: et in utraque ara priscis optimisque temporibus Reip. nulla nisi spectatæ pudicitiae matrona, et quæ uni viro nupta erat, jus sacrificandi habebat.

308. *Quid dicat.*] Et quid eadem Tullia collectea, σύντροφος, δμεγάλακτος, eodem lacte nutrita, dicat Mauræ notæ, familiari, de Dea Pudicitia.

309. *Hîc.*] Hîc, ad aram ipsam Deæ Pudicitiae, lecticis vectæ conveniunt, et egrediuntur, et inter se concumbunt. — *Hîc micturiunt.* Primo, mingunt in aram, et in

contemptum Deæ, et ob furorem libidinis, ut deinde coëant.

310. *Longis siphonibus implent.*] Siphon, græc. σίφων, canna, stipula, deinde canaliis, tubus et fistula, a sono quem efficit, sic dicta. Unde Britan. et alii intelligunt longos meatus vesicæ in corpore, e quibus urina exeat; sed Grangæus rectius, ipsam urinam longo tractu in *effigiem Deæ* projectam a mulieribus impudicis, prementibus manu suos locos, diutiusque eam retinentibus, quâ ratione urina prius coacta majori prosilit impetu; quem tractum vocat hoc loco *Siphonem*. Quod probatur ex hoc Senecæ, nat. quæst. II, 16. *Solemus duabus manibus junctis aquam concipere, et compressâ utrimque palmâ in modum siphonis exprimere.* Al. Rup.

311. *Inque vices equitant.*] *Equitare*, in re venerea, idem quod Gall. *Chevaucher*. Illæ igitur mu-

V. 308. *Tullia quid dicat, etc.* In omnibus editionibus, versus ille legitur post v. 306, hoc modo:

I nunc, et dubita, quâ sorbeat aëra sannâ  
 Tullia, quid dicat notæ collectea Mauræ,  
 Maura Pudicitiae veterem cum præterit aram.

Primus eum in veterem et veram restitui sedem, his de causis: primum, vacat in trib. e nostris codd. In uno ex Rupertianis et præsertim in cod. Pithoei, qui eum, in editione sua prætermisit. In tribus deinde aliis occupat sedem quam illi ego assignavi. Mihi autem propositionis ordiinem attentius consideranti visum est, et eum esse necessarium, præpter v. 309,

Inde domos abeunt : tu calcas, luce reversâ,  
 Conjugis urinam, magnos visurus amicos.

Nota Bonæ secreta Deæ, cùm tibia lumbos

Inciat, et cornu pariter, vinoque feruntur 315

Attonitæ, crinemque rotant, ululante Priapo,

lieres Ἀφάλλονται, καὶ παρὰ φύσιν ἐνδρίζονται, id est, alternis vicibus una aliam ascendit, et, se mutuo ὀλίσθῳ τρίβουσι, id est, armatæ membro virili fictitio coriaceo masculam libidinem mutuo exercent, quæ τριβακὴ, vel τριβαδικὴ ἀσελγεία dicitur Lucian. in Ἐρωτες : unde τριβάδες a τρίβειν, Gall. *tribaudes*, apud Latinos *frictrices*, ob frictum ὀλίσθου, seu membri fictitii : λεσβιάδες quoque vocantur a Lesbiiis mulieribus, quibus exercitii hujus inventio tribuitur, et a masculâ Sappho, quæ idcirco male audiit. Vid. Martial. lib. I, epig. 90. De hoc genere libidinis locuti sunt quoque D. Paulus, epist. ad Rom. I, 26, et Tert. de pall. 4. extr. — *Lunâ teste*. Consciâ flagitii quod, in obscura quidem nocte, sed splendente lunâ committunt. — *Moventur*. Agitantur equitantes, ut supra.

312. *Tu calcas.*] *Urinam conjugis*, cùm præteris aram Pudicitia.

313. *Visurus amicos.*] *Salutaturus amicos* potentes, qui mane salutantur; ut sup. III, 184.

314. *Nota.*] Propter flagitia in his sacris committi solita. — *Secreta Bonæ Deæ*. Festa de quibus jam disseruimus, sat. II, v. 85. — *Tibia lumbos inciata*. Sonus tubæ, et cantus efficaciores erant ad excitandam eam partem corporis quæ spinæ inferioris quinque vertebrae complectitur, quamque veteres libidinis sedem putabant.

315. *Cornu.*] Vide ad II, v. 90.

316. *Attonitæ.*] Hic, proprie, de sensuum stupore ac furore, aliàs de enthusiasmo divinitus immisso. — *Crinemque rotant*. Saltantes, et jactantes capita. — *Ululante Priapo*. Ita Britannicus : « Sacerdote Priapi edente sonos et ululatus musicis instrumentis, ne

*noctibus hic ponunt lecticas, etc.* Et orationem impeditam esse servato ordine editt. et codd. Dicunt enim, *I nunc, et dubita, quâ sorbeat aëra sannâ Tullia; quid eadem Tullia collactea dicat notæ Mauræ, cùm illa Maura, etc.* ego vero : *I nunc, et dubita, quâ sorbeat aëra sannâ Maura, Pudicitia cùm præterit aram, quid Tullia collactea dicat Mauræ notæ : ambæ ponunt hic lecticas, etc.* minime dubium, quin noster hic sensus et ordo priori sit antepouendus.

*Ibidem. Collactea.* Ita codd. nostri. Quidam Al. Rup. et edd. prisc. habent *collacia, collatia, seu collaccea*; alii vitiosius.

V. 316. *Ululante Priapo.* Ea est lectio nostrorum codd. et edd. priscarum. Vet. schol. solus, *ululantque Priapi Mænades*. Vid. comment.

Mænades. O quantus tunc illis mentibus ardor  
 Concubitûs! quæ vox saltante libidine! quantus  
 Ille meri veteris per crura madentia torrens!  
 Lenonum ancillas positâ Laufella coronâ  
 Provocat, et tollit pendentis præmia coxæ:  
 Ipsa Medullinæ fluctum crissantis adorat.

320

« scil. quiritantis vox per vim  
 « stuprum patientis exaudire-  
 « tur ». Malim tamen, ut conjici-  
 cit Al. Rup. *Ululantque Priapum*.  
 Ululare, ut *ὀλολύζειν* de quovis  
 sono et cantu tam læto, quàm  
 tristi adhibetur. Alludit ad hunc  
 versum Lucani I, 566.

. . . . . Crinemque rotantes  
 Sanguineum populis ululârunt tristia  
 Galli.

317. *Mænades*.] Proprie furio-  
 sæ Bacchi sacerdotes, ἀπὸ τοῦ  
 μαίνεσθαι. Hic, *Mænades* dicuntur  
 matronæ, quæ sono cornuum, et  
 vini furore correptæ, in sacris  
 etiam Bonæ Deæ Priapum deum  
 impurum, ut *Mænades* Bacchum  
 in Bacchanalibus invocabant.

318. *Saltante libidine*.] Saliente,  
 trepidante, hic de vehementi  
 cupiditate dicitur, ut *καρδία πη-  
 δᾶ* vel *ἐκπηδᾶ* Aristoph. Nub.  
 v. 1393 et Aristæn. epist. II, 5.

319. *Meri veteris*.] Quantus  
 torrens ad pedes defluit matronis  
 lascivis, se commingentibus!  
 Farn. *εὔρου κινουμένου ἐκ τῆς μέτης  
 καὶ πόθου τοῦ ἀφροδισίου*.

320. *Laufella*.] De quâ Martial.  
 lib. III, epig. 72:

Vis futui, nec vis mecum, Laufella, la-  
 vari.

— *Lenonum ancillas*. Meretriculas,  
 prostibula *provocat* in certamen,  
*positâ coronâ*, depositâ coronâ con-  
 vivali.

321. *Et tollit*.] Accipit victrix  
 præmia *pendentis coxæ*, pendulæ  
 Veneris, ut quæ scitius pluresque  
 subagitaverit, reliquasque *Λεσβιᾶ-  
 δας* in hâc muliebri *κλινοπέδιλῃ* vi-  
 cerit. Recte huic loco comparavit  
 Grangæus verba Apul. Met. II,  
*Hæc, Photis, inscensograbatulo super  
 me sensim subsidens, ac crebre sub-  
 siliens, lubricisque gestibus mobilem  
 spinam quatiens, pendulæ Veneris  
 fructu me satiavit*.

322. *Ipsa*.] Laufella subigitur  
 et agitur subsultu frequenti a  
 Medullina, super quam incubat,  
*fluctumque*, id est, motum fluc-  
 tuantem ejusdem *Medullinæ cris-  
 santis adorat*, hoc est, maximi fa-  
 cit, admiratur, quasi nihil eo  
 divinius excogitari possit. *Crissare*  
 autem verbum Tarentinum, quod

V. 320. *Laufella*. Revocavi ex omnibus codd. nostris, et edd. priscis.  
 Editores soli reposuerant *Saufeia*, ex auctoritate Martialis, lib. III,  
 epig. 72. At eadem lectionis varietas exstat ap. Martial. et infr. sat. IX, v. 117.

V. 322. *Fluctum*. Rectius forte habent codd. nostri et edd. priscæ  
*frictum*, quod sic interpretantur Britau. primo: « *Adorat frictum*, quia

Palmam inter dominas virtus natalibus æquat.  
 Nil ibi per ludum simulabitur : omnia fient  
 Ad verum, quibus incendi jam frigidus ævo 325  
 Laomedontiades, et Nestoris hernia possit.  
 Tunc prurigo moræ impatiens, tunc femina simplex,  
 Et toto pariter repetitus clamor ab antro :  
 Jam fas est, admitte viros. Dormitat adulter ?  
 Illa jubet sumpto juvenem properare cucullo. 330  
 Si nihil est, servis incurritur : abstuleris spem

prurire significat græc. κνιζειν  
 323. *Palmam inter Dominas.*] Inter istas dominas scil. matronas, nulla nobilitatis ratio habetur, sed virtutis, seu majoris artis cœundi, hoc est, ea nobilior existimatur quæ, in hoc obscæno conflictu, palmam, victoriam obtinet.

326. *Laomedontiades.*] Laomedontis filius, quem Virg. Aen. VIII, v. 158, Laomedontiadem Priamum vocat. — *Nestoris hernia.* Id est, Nestor quamvis herniosus. *Hernia* autem est proprie cùm, omento rupto, intestina in testiculorum tunicam, vel scrotum devolvuntur.

327. *Tunc femina simplex.*] Hoc exercitio excitatæ, inflammatæ, potius quàm satiatæ, jam intelligunt se simplices, hoc est, non nisi feminas esse, nec arte tribadum sibi voluptatem e concubitu cum viris capiendam præstari :

tunc, moræ impatientes, et prurigine, lasciviâ incensæ virorum præsentiam, verumque coitum requirunt.

328. *Antro.*] Cùm hæc sacra in locis secretis fierent, forte subterraneis ac fornicatis; recte hunc locum antrum vocat.

329. *Jam fas est.*] Verba matronarum æditæ, vel ancillæ dicta. — *Dormitat.* Non adest, vel expectantium spem fallit. Antiquius et expressius dormitat, cum interrogationis signo, quàm jam dormit.

330. *Cucullo.*] Vide ad III, 170.

331. *Servis incurritur.*] Hoc incurritur violentiam libidinis apprime depingit. Lips. Quæst. lib. II, epist. IX. hos versus 331 et 332 ex Aristoph. Θεσμοφ. 491, 492 expressos putabat :

Ταῦτ' οὐδεπόποτ' ἐφραῖτ' Εὐριπίδης,  
 Οὐδ' ὡς ὑπὸ τῶν δούλων τε κωρεωκόμων

« genibus ad frictum incurvatur. » Et Farnab. « γνὺξ ἐπικλινομένη τρίβει  
 « λείγει τε ».

V. 329. *Dormitat.* Codd. XXX sic et edd. permultæ. Quidam jam dormit. Non male quoque.



Servorum, veniet conductus aquarius : hic si  
 Quæritur, et desunt homines; mora nulla per ipsam,  
 Quo minus imposito clunem submittat asello.  
 Atque utinam ritus veteres, et publica saltem 335  
 His intacta malis agerentur sacra! sed omnes  
 Noverunt Mauri, atque Indi, quæ psaltria penem  
 Majorem, quam sunt duo Cæsaris Anticatones,

Σποδοῦμεθ', ἣν μ' ἔχωμεν ἕτερον,  
 οὐ λέγει.

332. *Veniet conductus aquarius.*] *Aquarii* aquam in aedes portabant, quâ mulieres ad balnea utebantur, gall. *porteurs d'eau*, vel potius ministri erant amoris, Gall. *des ministres d'amour*, πορνοδιάχονοι, seu *des Mercurès galants*. A.

334. *Clunem submittat asello.*] Hic, per gradationem, pervenit ad ultimum infamiæ et prodigiosæ libidinis gradum. Primum *amator*, deficiente amatore, quivis *juvenis*, deinde *servus*, post *aquarius*, demum *asinus*, vel quodcumque jumentum requiritur. De qua infanda libidine sic in Levitico XVIII, v. 23. *Mulier non succumbet jumento, nec miscebitur ei.* Et XX, v. 15. *Mulier quæ succubuerit jumento, simul interficietur cum eo.* De hac libid. loquuntur quoque Luc. in As. et Ap. Miles. X et XI. A.

337. *Mauri atque Indi.*] Hoc proverbii loco dicitur de re vulgata et nota; ut Horat. sat. I, 7, 3. *Om nibus et lippis notum et tonsoribus...* — *Quæ psaltria.* Innuitur Clodius, qui habitu psaltriæ

sacris Bonæ Deæ interfuit, stuprumque intulit Pompeiæ Cæsaris uxori: quod adeo novum et horrendum tunc temporis visum est, ut *Senatus quæstionem de pollutis sacris decreverit.* Suet. Jul. Cæs. cap. 6.

338. *Duo Cæsaris Anticatones.*] Cæsar, adversus librum Ciceronis cui titulus est *Cato*, composuit duos libros in uno volumine re-collectos, nomine *Anticatones*. Studiosi autem antiquitatis sciunt libros (qui ob id dicti volumina), in orbem plicatos, et penis quodam modo, seu longitudine, seu rotunditate similitudinem præ se tulisse; inde jocans poëta Cæsaris *Anticatonibus penem* Clodii comparat. Grangæus hanc mentem poëtæ multo magis jocosam et satiricam fuisse vult: « Facete, « inquit, significat, mentulam « Clodii duplo majorem Cæsaris « mentulâ fuisse; et propter tam « opulentum peculium Pompeiam « Cæsaris uxorem magis dilexisse « Clodium quam Cæsarem. Quæ « re autem Cæsaris mentulam « *Anticatonem* vocet, in promptu « est. Nam Cæsar corrupit Servi-

V. 332. *Veniet.* Vet. schol. *venit et*, male! Duo codd. *veniat.*

Illuc, testiculi sibi conscius unde fugit mus,  
 Intulerit, ubi velari pictura jubetur, 340  
 Quæcumque alterius sexûs imitata figuram est.  
 Et quis tunc hominum contemptor numinis? aut quis  
 Simpuvium ridere Numæ, nigrumve catinum,  
 Et Vaticano fragiles de monte patellas  
 Ausus erat? sed nunc ad quas non Clodius aras? 345  
 Audio, quid veteres olim moneatis amici:  
 Pone seram, cohibe. Sed, quis custodiet ipsos

« liam Catouis sororem unde merito illius penis *Anticato.* »

339. *Illuc.*] Unde reverentiâ loci masculi etiam mures fugiunt. Plurimum autem salis orationi eo miscuit, quod non canem memoravit, sed *murem*, nec masculum dixit, sed *testiculi sibi conscius*, qui meminerit, se habere testiculos. Al. Rup.

340. *Ubi velari pictura, etc.*] De iisd. Bonæ Deæ sacris, Seneca epist. XCVII: *Submotis extra conspectum omnibus viris, ut picturæ quoque masculorum animalium contegantur.*

342. *Et quis tunc.*] Et tamen, pauci jam, *tunc*, Clodii scil. temporibus, ausi fuissent religionem profanare.

343. *Simpuvium.*] Alii *sympinum* quasi a *συμπίνειν*: alii *simpulum*, vel *simpullum*. Tribus sub his, designantur vasa potaria cyatho similia et parva, sive lignea, sive fictilia, quorum usus erat in sacris, ad fundendum guttatim vinum. Unde Plinius lib. XXXV, cap. 12. *In fictilibus, inquit, prolibatur sympuviis, ubi legunt simpullis.* — Ni-

*grumve catinum.* Vas fictile e terra nigra.

344. *Et Vaticano.*] *Patellas fragiles* non aureas, sed fictiles, quales in monte Vaticano, et ex ejus terra fingebantur.

345. *Sed nunc.*] *Ad quas aras Clodius* quisvis non inveniatur?

346. *Veteres.... amici.*] Aetate et experientia sapientes.

347. *Pone seram.*] Include eam, adhibitis etiam custodibus, more græco. — *Sed quis custodiet ipsos custodes.* Vana mulieris custodia. Inde Aureol. Theophrast. ap. D. Hieron. in Jovinianum dicebat, *uxorem impudicam servari non posse, pudicam non debere.* Et Propert. lib. II, eleg. 6, v. 37.

Quos igitur tibi custodes, quæ limina ponam,

Quæ nunquam supra pes inimicus eat?  
 Nam, nihil invitæ tristis custodia prodest:

Quam peccare pudet, Cynthia, tuta sat est.

Et *Moliere, Ec. des Maris*, act. I, sc. 2:

Et les soins défians, les verroux et les grilles,

Ne font pas la vertu des femmes ni des filles.

Custodes ? cauta est, et ab illis incipit uxor.

Jamque eadem summis pariter minimisque libido :

Nec melior, silicem pedibus quæ conterit atrum, 350

Quàm quæ longorum vehitur cervice Syrorum.

Ut spectet ludos, conducit Ogulnia vestem,

Conducit comites, sellam, cervical, amicas,

Nutricem, et flavam, cui det mandata, puellam.

Hæc tamen argenti superest quodcumque paterni, 355

Levibus athleticis, ac vasa novissima donat.

Multis res angusta domi : sed nulla pudorem

Paupertatis habet, nec se metitur ad illum

348. *Et ab illis.*] Incipiet a custodibus, vel eos pecunia corrumpens, ut sup. v. 235, vel eos ad concubitum sollicitans.

350. *Silicem pedibus quæ, etc.*] Paupercula, quæ, nudis pedibus, incedit per vias cænosas, et silice stratas.

351. *Quæ longorum.*] Matrona nobilis ac dives, quæ lecticâ et sellâ vehi solet. — *Cervice Syrorum.* Vide supra, III, 240.

352. *Ogulnia.*] Matrona inops, sed ambitiosa, quæ vult dives videri. — *Conducit vestem.* Μη πρίασθαι θεραπαίνας, ἀλλὰ μισθοῦσθαι εἰς τὰς ἐξόδους ἀνελευθερίας, illiberalitatis, ut, hoc loco, ambitionis stultæ indicium est. Theophrast. Charac. XXII.

353. *Cervical.*] Non lectum, ut Ruperti, sed, ut Grangæus, *cervical*, græc. προσκεφάλαιον, gall. *oreiller*, ad reclinandum caput. nam, lecti non erant in sella, ut in lectica. — *Amicas.* Quas *honestas clientas* vocat Horat. lib. II, œd. 18, 8.

354. *Nutricem.*] Ut dives ac fecunda videatur mater. — *Et flavam.... puellam.* Quæ sit in deliciis dominæ, eam ubicumque comitetur, quæque sit secretorum suorum conscia; quæquidem *abra*, aut *favea* dicebatur veteribus glossis.

356. *Levibus Athleticis.*] Scilicet, donat levibus Athleticis quodcumque superest de bonis, quæ sibi pater reliquit; cumque iis omne patrimonium absorbet. — *Levibus.* Glabris, formosis et imberbibus gladiatoribus, stupratoribus suis; vel, ut vult Grangæus, eos intelligit poëta, qui cum ea caput limarent, cujusmodi homines Galli aliâ metaphorâ vocant *les piqueurs*. De verbo *levis*, vide supra sat. III, 111. — *Vasa novissima.* Scil. extrema, quæ adhuc reliqua sunt.

357. *Multis res angusta.*] Multæ pauperes sunt, sed nullam pudet paupertatis, atque turpitudinis aut infamiæ, quas secum paupertas merito trahit.

Quem dedit hæc, posuitque modum. Tamen utile quid sit  
 Prospiciunt aliquando viri: frigusque, famemque, 360  
 Formicâ tandem quidam expavêre magistrâ.  
 Prodigâ non sentit pereuntem femina censum:  
 Ac, velut exhaustâ recidivus pullulet arcâ  
 Nummus, et e pleno semper tollatur acervo,  
 Non unquam reputat, quanti sibi gaudia constant. 365  
 Sunt quas eunuchi imbelles, ac mollia semper  
 Oscula delectent, et desperatio barbæ,

359. *Hæc.*] Scil. paupertas, vel mediocritas fortunæ suæ.

361. *Formicâ... magistrâ.*] Et, ut ait Horat. lib. I, sat. 1, viris aliquando . . . . . exemplo est magni formica laboris.

— *Expavêre.... famem.* Verbum neutrum cum accus. ut ap. Horat. lib. I, od. 37:

. . . . . Nec muliebriter Expavit ensem. . . . .

362. *Prodiga non sentit.*] Alciat. Embl. XCI:

Femina iners animal facili congesta marito  
 Lucra rapit, mundum prodigit inque suum.

363. *Ac, velut, etc.*] Hic versus est pulcherrimus delectu verborum. — *Recidivus.* Metaphora petita a *cædendo*, et surculis, seu plantis, quæ recisæ renascuntur, vel e radicibus *repullulant*. Sic, mulier prodiga tollit nummos, quasi, *exhaustâ arcâ*, *repullulare*

debeant; et quasi acervus plenus semper esse debeat. *Comme si les especes renaissaient dans son coffre*, inquit eleganter *Dusaulx*. A.

365. *Gaudia.*] Voluptas venerea.

366. *Eunuchi imbelles.*] Non, ut vult vet. schol. inutiles ad concubitus; sed, quod a bellicis artibus arcerentur ad gynæcea. Claudian. in Eutrop. I, 271:

. . . . . Quid te, turpissime, bellis Ineris? Aut sævis pertentas Pallada campis?

Tu potis alterius studiis hæerere Minervæ,

Tu telas, non tela pati, tu stamina nôsse.

— *Mollia.* Levia, suavia, quia os imberbe et glabrum est.

367. *Et desperatio barbæ.*] Et, quod nulla iis spes est barbæ alendæ. Ergo rudem, importunamque barbam non timet mulier in amplexu.

V. 363. *Ac.* Revocavi ex XXV codd. Alii, *at.* — *Recidivus.* Quidam *redivivus*, minus bene.

V. 365. *Non unquam reputat.* « Vet. scholion est, inquit Al. Rup. *Hic versus in quibusdam non est.* Et, addit idem, eum transfigendum obelo, « et v. 363, *dat pro at*, vel potius versum 362 ponendum esse post versum 364 suspicabatur Schurzfl. »

Et quòd abortivo non est opus. Illa voluptas  
 Summa tamen, quòd jam calidâ matura juventâ  
 Inguina traduntur medicis, jam pectine nigro. 370  
 Ergo exspectatos, ac jussos crescere primum  
 Testiculos, postquam cœperunt esse bilibres,  
 Tonsoris damno tantum, rapit Heliodorus.  
 Conspicuus longe, cunctisque notabilis intrat  
 Balnea, nec dubie custodem vitis et horti 375  
 Provocat, a domina factus spado. Dormiat ille

368. *Et quòd abortivo.*] Et, quòd medicamento non est opus, ut conceptum a se abigant mulieres. Nam, spadones apti ad concubitum, nihil valent ad generationem.

369. *Summa tamen.*] Eo majorem ex eunuchis capiunt voluptatem, quòd eos, non sicuti vulgaris mos ferebat, ab ipso ubere raptos; sed jam bene adultos, ut eorum genitalia satis grandia, et ad rem veneream aptiora essent, castrandos curabant. Sic, *matura inguina*, id est, satis amplæ magnitudinis, et ad coitum idonea.

370. *Traduntur medicis.*] Ut testiculi exsecentur. — *Jam pectine nigro.* Inguine nigris crinibus horrido.

371. *Ergo, etc.*] Ordo est: Ergo, Heliodorus rapit damno tonsoris testiculos exspectatos, etc.

372. *Bilibres.*] Duarum librarum, quibus mentula pedalis respondeat.

373. *Tonsoris damno.*] Quia non

lucrabitur: nam, eum non tondebit: quippe, cui barba tum non crescit. — *Tantum.* Tonsoris damno, non matronarum quæ, salvâ mentulâ satis amplâ, nihil amittent. — *Heliodorus.* Pro quo vis medico, vel chirurgo (nam veteres medici erant omnes chirurgi), et castratore, ut *Archigenes* sup. v. 236.

374. *Conspicuus.*] Insignis, spectabilis magnitudine mentulæ suæ.

375. *Custodem vitis et horti provocat.*] Magnitudine penis suæ provocat Priapum ipsum, cujus mentula enormis fingebatur; cuique non modo hortorum, sed et vinearum, agrorum, et villarum custodia committebatur.

376. *Dormiat ille.*] Locus ille obscurus et perdifficilis videtur: quem sic interpretantur, qui Scal. auctoritate freti, hæc verba *Eunucho tradere* idem, ac castrandum dare, seu εὐνουχίῳ εἶναι esse volunt: *dormiat ille cum domina*; sed

V. 371. *Ergo exspectatos.* Ita omnes codd. et editt. prisc. Quidam recentiores, *ergo spectatos.* Sed parvi interest: sumitur enim *spectare* pro *exspectare.* Vid. sup. ad v. 274, var. lect.

Cum domina : sed tu jam durum, Postume, jamque  
Tondendum, eunucho Bromium committere noli.

Si gaudet cantu, nullius fibula durat

Vocem vendentis Prætoribus : organa semper 380

In manibus : densi radiant testudine tota

*noli*, ô Postume, eunuchis castrandum dare, seu castrare catamitum tuum jam grandiozem, ne forte usui sit uxori tuæ. Quod sic gall. reddidit *Dusaulx* : *Prends garde que les prêtres de Cybele ne lui fassent l'opération, de crainte qu'après cela, ton épouse ne s'en empare.* Vid. eundem sat. VI, not. 63. At, Alex. Ruperti hoc verbum *committere* idem esse quod *componere*, *comparare*, *contendens*; aliam sic aperit sententiam : « *Dormiat ille cum domina, quæ ex eo nunquam gravida fiet; sed Bromium tuum jam durum, robustum ac virilem, jamque tondendum, id est, jam barbatum, eunucho committere noli, hoc est, cave patiaris illum quasi cum hoc descendere in certamen stupri, uxori tuæ inferendi, cum verendum sit, ne hæc ita confestim concipiat.* » Lubinus vero Farn. et Bahrdt, quibus assentimur, genuinam hanc et claram magis, etsi obscenior, præbent interpretationem : O Postume, talis eunuchus dormiat cum domina sua, id est, cum conjugè tua, quæ illius membri enormitatem facile tolerare et sustinere poterit : at vero, concubinum tuum Bromium, quam-

vis durum, virilem ac robustum, et jam barbatum, cave hujusmodi eunucho committas; si enim cum eo dormiret, illum enormitate mentulæ suæ prorsus diffinderet ac corrumperet. A.

378. *Bromium.*] Juvenem Baccho similem, comatum, delicatum, quem amabat Ursidius Postumus. Porro Bacchus ita dictus erat a *ἑρόμῳ*, fremitu, quia fulminante Jove, utero materno exemptus erat. Ovid. *Metam.* III, fab. 3.

379. *Si gaudet cantu.*] Aliæ mulieres citharædorum histrionumque cantu maxime delectantur, ac musicis instrumentis. Si igitur hoc musicæ furore, *μελομανία*, corripiuntur, tum nullius fibula durat; id est, nulla erit fibula, connexio subligaris (de qua vide supra ad v. 73), quæ non statim, proposito coitus pretio, a cantoribus solvatur.

380. *Vocem vendentis Prætoribus.*] Qui munera edunt, cantores, histriones et gladiatores emunt, vel conducunt.—*Organa.* ὄργανα, instrumenta quævis musica eorum semper habebit in manibus.

381. *Testudine tota.*] Testudo, lyra, *χέλυσ*, sic dicta a testu-

V. 378. *Tondendum.* Ex omnibus nostris codd. vett. libris. Male quidam, inter quos Henninius, scripserunt *Tundendum.*

Sardoniches : crispo numerantur pectine chordæ,  
 Quo tener Hedymeles operam dedit : hunc tenet, hoc se  
 Solatur, gratoque indulget basia plectro.  
 Quædam de numero Lamiarum, ac nominis alti, 385  
 Cum farre et vino Janum Vestamque rogabat,  
 An Capitolinam deberet Pollio quercum  
 Sperare, et fidibus promittere. Quid faceret plus  
 Aegrotante viro? medicis quid tristibus erga  
 Filiolum? Stetit ante aram, nec turpe putavit 390

dine, ex qua eam primum Mercurius fecisse dicitur; intensis nervis ovium, vel boum Apollini abactarum.

382. *Sardoniches.*] Sardonyx, lapis Sardius, Σάρδιος, colorem humani unguis, ὄνυχος referens, gemma pretiosissima, Gall. *sardoine-onyx*. Sic, hoc loco, tota cithara gemmis pretiosissimis adornata est.—*Crispo numerantur.* Hoc est, *cordæ lyræ* a muliere numerantur; scil. ordine justo scite pulsantur *pectine*, plectro, *crispo*, id est, cordas crispante, tremulo celerique motu agitante.

383. *Hedymeles.*] Nomen citharædi, quod a dulci cantu (ἡδὺ μέλος) fictum videtur.

384. *Solatur.*] Hæc plectro, absente citharædo, solatur se.—*Indulget basia.* Frequenter oscula dat, *le couvre de baisers*.

385. *Lamiarum.*] Familia nobilissima, de qua vid. sup. sat. IV, v. 154.—*Nominis alti.* Antiqui, hoc est, veteris originis ac nobilitatis.

386. *Cum farre et vino.*] Nullum sacrificium erat ἀνευ σίτου καὶ ὄνου.—*Far*, mola salsa.—*Janum Vestamque.* Cur potissimum e Diis

hosce duos memoraverit poeta, rationem pete e Cic. Nat. D. II, 67. *Cum in omnibus rebus vim habeant maximam prima et extrema, principem in sacrificando Janum esse voluerunt.... Vestæ vis ad aras et focos pertinet: itaque in ea Dea, quæ est rerum custos intimarum, omnis et precatio et sacrificatio extrema est.*

387. *Capitolinam... quercum.*] Id est, coronam quercinam, præmium victoris in certaminibus Capitolinis, quæ Domitianus, exemplo Olympicorum instituerat, quæque quinquennalia, et triplicia scil. musica, equestria et gymnica erant.—*Pollio.* Citharædus, de quo Martialis:

Here de theatro, Pollione cantante,  
 Cùm subito abires. . . . .  
 Ita, ea mulier nobilis et impudica rogat Deos cum precibus et sacrificiis, an Pollio, citharædus, mæchus ejus, debeat sperare victoriam in agone Capitolino.

389. *Medicis... tristibus.*] Propter filiolum ejus, de cujus salute desperant. *Medicis* autem, non *matre*, quam adulteri magis quam filii amor tangit.

390. *Stetit ante aram.*] Qui pre-

Pro cithara velare caput; dictataque verba  
 Pertulit, ut mos est, et apertâ palluit agnâ.  
 Dic mihi nunc, quæso, dic, antiquissime Divûm,  
 Respondes his, Jane pater? Magna otia cœli:  
 Non est, ut video, non est, quod agatur apud vos. 395  
 Hæc de comœdis te consulit: illa tragœdum  
 Commendare volet: varicosus fiet haruspex.  
 Sed cantet potius, quàm totam pervolet urbem

cabantur Deos *stabant* primum ante aras, *capite velato*, ne sacrificii religio malis ominibus turbaretur; deinde corpus dextro-versum in orbem circumagere, procumbere etiam, dextramque ori admovere solebant. Vid. Marmora et Numm.

391. *Pro cithara.*] Scil. citharædo. — *Dictataque verba.* A sacerdote vel haruspice, qui precantibus solemnes formulas de scripto præire solebat, ne quid præteriretur verborum. — *Pertulit.* Ad Deos.

392. *Apertâ palluit agnâ.*] Dum consulerentur exta victimæ, scil. *agnæ apertæ*, id est, dissectæ, e quorum statu et situ divinabat futura haruspex, hæc mulier pal-lebat anxia de responso haruspicis.

393. *Dic mihi.*] Apostrophe ad Janum. — *Antiquissime Divûm.* Janus antiquissimus Italiæ Deus, vel Heros. Hinc et *κατ' ἐξοχήν*, *pater* dicebatur. Macrob. Saturn. I, 9. *In sacris*, inquit, *invocamus*

*Janum geminum, Janum patrem.... quasi Deorum Deum.*

394. *His.*] Scil. mulieribus. Hæc cum indignatione dicta sunt, nec sine irrisione Deorum. Magna vis inest in repetitione *τῷ dic*, et in verbis *antiquissime Divûm*. Al. Rup. — *Magna otia cœli.* Poëta Deos suos irridens, alludit ad dogma Epicureorum, qui Deos in perpetuo otio tempus feliciter transigere, neque res humanas curare putabant. At multo invidiosius dicit eos quidem curare res humanas, sed eas tantum, quæ ipsorum curâ indignæ sint, gravissimas vero negligere. Al. Rup.

397. *Varicosus fiet haruspex.*] Dicitur *varicosus*, cui varices sunt tumidi; vel qui venas tumidiores habet, quod fit diuturna statione, et præsertim in consultatione Deorum, cum sanguis deorsum in pedum venas decumbit.

398. *Sed cantet, etc.*] Post cantatrices, vagabundas et curiosas mulieres tangit.

V. 392. *Pertulit.* XVI codd. et multæ editt. priscæ habent *protulit*, quod probat *Dorléans*, quoniam agitur de proferendis voti verbis solem-nibus.



Audax, et cœtus possit quàm ferre virorum,  
 Cumque paludatis ducibus, præsentem marito, 400  
 Ipsa loqui rectâ facie, strictisque mamillis,  
 Hæc eadem novit, quid toto fiat in orbe,  
 Quid Seres, quid Thraces agant: secreta novercæ  
 Et pueri: quis amet, quis decipiatur adulter.  
 Dicet quis viduam prægnantem fecerit, et quo 405

399. *Et cœtus... ferre virorum.*] Mulieres ingenuæ Romanorum non in gynæceis quidem includebantur, ut in Græcia; eas tamen in publicum, conventusque virorum prodire nefas habebatur et inhonestum: nam, ut ait Euripid. in Oreste:

Εἰς ὄχλον ἔρπειν παρθένωσιν οὐ καλόν.  
 400. *Cumque paludatis ducibus.*] Armatis. Paludamentum autem erat vestis, quam supra arma induebant imperatores ad bellum proficiscentes.

401. *Ipsa loqui recta facie.*] Ὅρθοις ὀμμασιν, ἀσκαρδαμυκτὶ βλέπειν, rectis oculis intueri, quod est animi intrepidi, vel impudentiæ signum. Hic, impudentiæ est. — *Strictisque mamillis.* E sinu exsertis et patentibus. Sic, gladium strictum, pro evaginato.

402. *Hæc eadem novit.*] Egregia et luculenta curiositatis, πολυπραγ-

μοσύνης, descriptio. Quod vitium in feminis reprehendit Theocrit. eleganti hoc versiculo, Idyl. 15: Πάντα γυναῖκες ἴσαντι, καὶ ὡς Ζεὺς ἠγάγεθ' Ἡραν.

Sed et hujus vitii homines non sunt expertes. Plautus, Trinum.

Qui omnia se simulant scire, nec quidquam sciunt;

Quod quisque in animo habet, aut habiturus est, sciunt;

Id, quod in aurem rex reginæ dixerit Sciunt, quod Juno fabulata cum Jove; Quæ neque futura, neque facta sunt, tamen sciunt.

403. *Seres.*] Forte Sinenses. — *Thraces.* Extremi Orientis et Septentrionis populi, in Scythia Asiatica et Europa. *Les deux Russies et la Tartarie.* — *Secreta.* Secretos amores *novercæ et pueri*, novercæ cum privigno.

404. *Quis decipiatur.*] Ab ea quam amat.

V. 399. *Quàm ferre.* Quidam codd. habent *quæ ferre*. At prior lectio magis arridet.

V. 401. *Strictisque mamillis.* XXV codd. habent, *siccisque mamillis*, hoc est, sine lacte materno. Alii vero quos secuti sumus, et edd. prisc. *strictisque mamillis*. Vid. comment.

V. 404. *Decipiatur.* Hanc lectionem revocavi ex XXX codd. et edd. multis. Quidam legunt *diripiatur*, hoc est, quis a pluribus ametur. Non male, certe: sed nostra lectio simplicior et minus confortata videtur.

Mense: quibus verbis concumbat quæque, modis quot.  
 Instantem regi Armenio, Parthoque cometen  
 Prima videt: famam, rumoresque illa recentes  
 Excipit ad portas: quosdam facit. Isse Niphaten  
 In populos, magnoque illic cuncta arva teneri 410

406. *Quibus verbis.*] Illud Ovidianum est lib. II, Am. eleg. 8. Quoque loco fuerim tecum, quotiesque, Cypassi, Narrabo dominæ, quotque; quibusque modis.

407. *Instantem regi Armenio.*] Ex hoc loco, Lipsius in Epist. Quæst. IV, 20. conjicit Juvenalem Trajani temporibus vixisse. Hæc enim referenda esse ad Trajani expeditionem in Armenios et Parthos; et ad celebrem terræ motum, qui eodem tempore Antiochiam et vicina loca concusserit, in quo subscdisse montes fluviosque erupisse Dionis abbreviator referat. Nobis quoque visum est, et aliquot indiciis, et præsertim nominibus *Archigenis* et oratoris *Celsi*, quæ jam antea notavimus, Juvenalem non solum Trajani temporibus vixisse; sed et eo regnante, hanc scripsisse satiram: attamen Grangæo placet versum *instant. reg. Arm. etc.* referri ad jocum Vespasiani (Suet. vita ejusd. cap. 23): *ne in metu quædam ac periculo mortis extremo abstinuit jocos. Nam, cum inter prodigia cætera, mausoleum Cæsaris deridente patuisset, et stella in cælo crinita apparuisset: alterum ad Juliam Calvinam e gente Augusti pertinere dicebat, alterum ad Parthorum regem qui capillatus esset. In-*

de concludit Alex. Rup. nostrum hic poëtam tum superstitionem populi risisse, qui ex cometæ apparitione, eversionem regnorum, clades, pestem, etc. generi humano portendi credebat; tum vanitatem rumorum, et muliebris metus qui illos augere solet. At, meâ sententiâ, nec iste jocus Vespas. nec rationes ab Alex. Rup. longius petitiæ Lipsii conjecturam debilitare queunt; cujus ea vis est, ut, perpensis his quinque versibus *Instant Arm. regi, etc.* et seqq. et collatis iisdem cum Dionis abbreviatoris narratione præcitata, jam non amplius Just. Lips. sententiâ conjectura sit, sed et veritatis signum, et quoad fieri potuit, evidentiâ fultum, atque probatum. — *Armenio, Parthoque.* Armenii et Parthi erant populi prolixâ comâ criniti, et populi romani hostes. — *Cometen.* Sidus crinitum. A.

409. *Quosdam facit.*] Id est, *famam et rumores excipit*, et ipsa, cum dubiæ res deficiunt, falsas fingit. Optime autem post verbum *facit* punctum exigit *Dusaulx.* — *Isse Niphaten.* Ordo est: narrat ubicumque, et cuicumque Niphaten extra ripas diffluxisse. *Niphates* autem fluvius Armeniæ cujus mentionem non faciunt geographi. Attamen, cum *Tigris*

Diluvio, nutare urbes, subsidere terras,  
 Quocumque in trivio, cuicumque est obvia, narrat.  
 Nec tamen id vitium magis intolerabile, quàm quæ  
 Vicinos humiles rapere, et concidere loris  
 Exorata solet. Nam si latratibus alti 415  
 Rumpuntur somni; fustes huc ocus, inquit,  
 Afferte, atque illis dominum jubet ante feriri,  
 Deinde canem. Gravis occursu, teterrima vultu,  
 Balnea nocte subit: conchas, et castra moveri  
 Nocte jubet: magno gaudet sudare tumultu, 420  
 Cùm lassata gravi ceciderunt brachia massâ,

flumen, teste Strabone, e monte Niphate Tauri parte, oriretur; forsàn hoc illi nomen in cursus sui initio impositum fuit.

411. *Nutare urbes.*] Terræ motu quati. — *Subsidere terras.* Deorum et pessum ire terræ motu.

413. *Id vitium.*] Curiositatis, et credulitatis. Acerba nunc et vicinis molesta describitur mulier.

415. *Exorata.*] A miseris vicinis valde orata, qui immeritam pœnam deprecantur.

417. *Dominum.*] Herum canis, cujus nocturno latratu quies interturbata fuerit.

418. *Gravis occursu.*] Aspera et terribilis est occurrentibus. De eadem loquitur, quæ nocturno tempore lavat, quæque, postquam convivæ expectantes fame maceravit, tandem domum redit, et sitim contractam largo vini haustu explet ante cœnam.

419. *Conchas et castra.*] Conchæ, propr. vasa parva formam concharum referentia quibus unguenta, oleum aliaque servabantur; sed, hoc loco, vasa grandiora integro corpori lavando apta, ut λουτήρες Veneris, Gall. *baignoires*, designari suspicabatur Barth. ad Claud. epig. 14. — *Castra.* Hic pro instrumentis balneariis, quæ a servis ancillisque tanto cum tumultu ad balnea perferri jubet, quanto cùm castra moventur.

420. *Magno gaudet.*] Labore motuque corporis vehementi gaudet sudare, sudorem elicere in cella caldaria, vel sudatoria, quod fiebat cum magno tumultu, et magna exercitatione.

421. *Cùm lassata gravi.*] In balneis diversa erant exercitationum genera: alii enim se saltu exercebant, et a Græcis *Hamaltæ* dicebantur. Iidem utebantur *halteribus*, hoc est, pilis sive massulis

V. 413. *Quàm quæ.* Maxima pars codd. habet *quàm quòd*. Et ea mihi vera videtur auctoris lectio. At nostra, ut aiunt, doctior est.

Callidus et cristæ digitos impressit aliptes,  
 Ac summum dominæ femur exclamare coëgit.  
 Convivæ miseri interea somnoque fameque  
 Urgentur. Tandem illa venit rubicundula, totum 425  
 Oenophorum sitiens, plenâ quod tenditur urnâ  
 Admotum pedibus, de quo sextarius alter  
 Ducitur ante cibum, rabidam facturum orexim.  
 Dum redit, et luto terram ferit intestino,

plumbeis, quibus utrâque manu se librabant, ut certius assilirent: alii eandem massam plumbeam manibus sublatis ac depressis, huc illuc jactabant, aut duntaxat agitabant ad sudorem eliciendum. De hoc ultimo exercitii genere forsitan hic agitur. Vid. Senec. epist. 15 et 56. et ad hunc Lipsii notas.

422. *Callidus.*] Astutus et morum dominæ haud ignarus *Aliptes*, scil. unctor (vid. III, 76), et forte mæchus ejusdem, qui sciat illam lascivâ titillatione delectari, inter ungendum *impressit digitos cristæ*, id est, tractat, contractat leviter hanc carunculam subsultantem in mediâ muliebris pudendi rima; quam partem Græci vocant *νυμφήν, μύρτον, κλειτωρίδα*, unde *κλειτωρίζειν*, *digitos imprimere cristæ*.

423. *Summum femur.*] Summa et posterior pars femoris, clunes vel nates.—*Exclamare coëgit.* Resonare, crepare, ut Græc. *βοᾶν*, de quovis strepitu ac sono. Hic, designavit *crepitem manûs aliptæ*

*natibus illisæ, quæ cum plana pervenit, ita sonum edit.*

425. *Rubicundula.*] A balneis et sudore.

426. *Oenophorum.*] *Οἴνοφύρον*, Gall. *un broc*; vas satis amplum, quo vinum fertur.—*Quod tenditur urnâ.* Quod est capax *urnæ*. De urna vid. sat. XIV, v. 126.

427. *De quo sextarius alter.*] Sextarius, sexta pars congii. Vid. ibidem.

428. *Ducitur.*] Exhaustitur ex cœnophoro, et bibit ab ea.—*Rabidam facturum orexim*, *δρεξίτιν*, appetitum excitaturus.

429. *Dum redit.*] E stomacho, remittitur, evomitur.—*Luto intestino.* Abluto ventriculo, et alvo purgatâ. Solebant autem Romani, *orexim faciendi gratiâ*, statim a balneis uno ductu amystim bibere, et deinde vomere, idque aliquando inter cœnandum; sic Seneca ad Helviam, 9, extr. *vomunt, ut edant; edunt, ut vomant.* Et post cœnam, ut cibo alvum exonerarent, ne nimius sumptus noceret.

V. 429. *Et luto terram.* Hanc lectionem revocavi ex XXVII codd. et e multis editt. prisicis. *Luto*, antique dictum, pro *lavato*, *lauto* vel *loto*, ut *cludere*, pro *claudere* passim. Quidam legunt *loto*.

Marmoribus rivi properant, aut lata Falernum 430  
 Pelvis olet : nam sic, tanquam alta in dolia longus  
 Deciderit serpens, bibit, et vomit. Ergo maritus  
 Nauseat, atque oculis bilem substringit opertis.  
 Illa tamen gravior, quæ, cùm discumbere cœpit,  
 Laudat Virgilium, perituræ ignoscit Elissæ, 435  
 Committit vates et comparat; inde Maronem,  
 Atque alia parte in trutina suspendit Homerum.

430. *Marmoribus.*] Marmoreo pavimento.— *Rivi properant.* Δεινῶς, pro magna vini copia.— *Falernum.* Exquisite dictum, quo mero Tinget pavementum superbum Pontificum potiore cœnis.

Horat. lib. II, od. 14, 26.— *Aut lata.* Melius quàm *aurata.* Vid. infra var. lect.

432. *Serpens, bibit et vomit.*] Hanc comparat serpenti in dolia lapso; quia serpens vini avidissimus est: unde, vino imposito in sepibus, olim capiebatur ebrius.

433. *Oculis opertis.*] Ob tantam turpitudinem.— *Bilem.* iram et indignationem coërcet vix ac reprimat.

434. *Illam tamen gravior, etc.*] Aliud non minus molestum notatur vitium in feminis, garrulitas et vana scientiæ ostentatio.

Hæ sunt, quas mire exagitavit comicus noster in suo dramate, cui titulus, *les Femmes savantes.*— *Cùm discumbere cœpit.* Antiquo a Græcis recepto more, etiam in conviviiis, de rebus ad philosophiam, aliasque ingenuas artes pertinentibus disputare, ac potissimum, in missuum intervallicis, aut remotis mensis, quædam poëtarum loca recitare solebant Romani: unde mox convivis occasio fabulandi data. Al. Rup.

435. *Perituræ ignoscit Elissæ.*] Condolet Didoni, eique veniam dat, quod deserta ab Aenea, mori destinârit. *Elissa* autem nomen est Didonis satis ex Virgilio notæ.

437. *In trutina suspendit.*] Eadem metaphora usus est Horat. Sic, quia Græcorum sunt antiquissima quæque

V. 430. *Aut lata.* Ita omnes fere nostri codd. paucis exceptis, qui habent *aurata*: sed, ut recte observavit Al. Rup. ita deest copula verborum: præterea, hoc loco aptior est *lata*, hoc est, ampla *pelvis* vomitione repleta, quàm *vox aurata*.

V. 435. *Virgilium.* Quidam scribunt *Vergilium.* De hujus nominis scriptura, vid. Heyne in vita Virgiliti. p. CLXXXIII, edit. sec.

*Ibidem. Elissæ.* Ita optimi codd. scribunt, quod confirmat etymologia: nam, dicitur Græc. Ἐλισσα.

Cedunt grammatici, vincuntur rhetores, omnis  
 Turba tacet: nec causicus, nec præco loquatur,  
 Altera nec mulier; verborum tanta cadit vis: 440  
 Tot pariter pelves, tot tintinnabula dicas  
 Pulsari. Jam nemo tubas, nemo æra fatiget:  
 Una laboranti poterit succurrere lunæ.  
 Imponit finem sapiens et rebus honestis.  
 Nam, quæ docta nimis cupit et facunda videri, 445  
 Crure tenus medio tunicas succingere debet,

Scripta vel optima, Romani pensantur  
 eadem

Scriptores trutinâ.

Similiter fere, sed satirice magis  
 noster poëta *Boileau*, sat. X.

Dans la balance met Aristote et *Cotin*;  
 Puis d'une main encor plus fine et plus  
 habile

Pese sans passion *Chapelain* et Vir-  
 gile.

439. *Nec præco loquatur.*] Cau-  
 sidici tamen et præcones garru-  
 litate ab antiquis notantur. Mar-  
 tial. lib. IX:

..... Vis, garrule, quantum  
 Accipis ut clames, accipere ut ta-  
 ceas.

440. *Verborum.... vis.*] Ut Græc.  
 δύναμις, orationis copia. — *Cadit*,  
 effunditur.

441. *Tot pariter pelves.*] Simili-  
 ter Silenus Ulyssem appellat ἄν-  
 δρα κράταλον, ap. Euripid. in Cycl.  
 v. 104. Eodem spectat Sympos.  
 ænigm. LXXIX, de Tintinnabulo:

Aere rigens curvo patulum componor  
 in orbem;

Mobilis est intus linguæ crepitantis  
 imago;

Non resonat positus, motus quoque  
 sæpe resultat.

442. *Jam nemo tubas.*] Hic, fes-  
 tive vulgaris superstitio ridetur:  
 nam, veteres rerum physicarum  
 ignari, lunam deficere putabant,  
 quòd magicis sagarum incanta-  
 tionibus cogeretur: ne igitur car-  
 minibus vinceretur, sed ad illa  
 carmina obsurdesceret, sono *pel-  
 vium* ac *tintinnabulorum* ei succur-  
 rere conabantur. Quod igitur iis  
 instrumentis effici creditur, hæc  
 mulier solo linguæ suæ sono præ-  
 stare potest.

443. *Laboranti.*] Eclipsim pa-  
 tienti.

444. *Imponit finem, etc.*] Simi-  
 liter Horat. Sat. lib. I, 1, 106:  
 Est modus in rebus: sunt certi deni-  
 que fines,  
 Quos ultra citraque nequit consistere  
 rectum.

446. *Crure tenus.*] Vet. schol.  
*Accipere debet virilem habitum et*

V. 439. *Loquatur.* XII codd. habent *loquetur*: rectius forsan.

V. 442. *Nemo æra fatiget.* Codd. pars maxima, *atque æra fatiget.*  
 Elegantior autem vet. schol. lectio.

Cædere Silvano porcum, quadrante lavari.

Non habeat matrona, tibi quæ juncta recumbit,

Dicendi genus, aut curtum sermone rotato

Torqueat enthymema, nec historias sciât omnes : 450

*cingi, ut vir.* Virorum enim tunicae erant substrictae, feminarum autem manicatae et talares, id est, ad talos demissae.

447. *Cædere Silvano porcum.*] Soli viri Silvano sacrificabant, qui genius virorum, ut Juno feminarum. In vet. inscript. SILVANO. AUG. id est, Augusti genio, tutelae, defensori.—*Quadrante lavari.* Vet. glossa : *Quadrante*, (quarta assis parte.) *virorum pretium, feminæ vero gratis.* Errant, judicio Ferrarii, qui putant Juvenalem in his tribus alludere ad philosophos. Simplex enim est hujus loci sententia : mulier quæ vult docta videri, et habitum corporis virorum sumere, eorumque munia peragere debet. A.

448. *Non habeat matrona.*] Euripid. Hippol. 640 :

Σοφὴν δὲ μισῶ· μὴ γὰρ ἔν γ' ἐμοῖς  
δομοῖς

Ἐστὴ φρονούσα πλείον, ἢ γυναῖκα χρήν.  
Τὸ γὰρ πανούργον μᾶλλον ἐντίκται

Κύπρις  
Ἐν ταῖς σοφαῖσιν. . . . .

Et Martialis :

. . . . . Non sit doctissima conjux.

Ad quam vero feminam respexerit Juvenalis, incertum est. Alii, ut vet. schol. ad Statiliam Messalinam, quæ post quatuor matrimonia Neroni nupsit : post quem

interemptum, et opibus, et forma, et ingenio plurimum vixit. Henninius autem ad Sulpiciam, Caleni uxorem, feminam doctissimam, quæ et ipsa ad satiras accessit, de qua una tantum nobis superest satira, non male concinnata. — *Tibi juncta.* Scil. matrimonio. A.

449. *Dicendi genus.*] Non habeat accuratum, et ad grammaticæ et rhetoricæ regulas exactum.

450. *Enthymema.*] Græc. ἐνθύμημα. Syllogismus, qui Aristot. μονολήμματος dicitur, in quo una præmissarum propositionum deest, quam ἐνθυμέομαι, cogito, hoc est in mente retineo.—*Curtum* vocatur quoniam est decurtata et trunca quædam argumentandi ratio : quæ, etsi trunca, tamen facile intelligitur ; ut illud Ovid. in Med.

Servare potui, perdere an possim rogas ?

— *Torqueat sermone rotato.* Spectat ad rotundam brevitate[m] propositionis, quæ, quo brevior est ac rotundior, eo fortius conclusione ferit. — *Torqueat*, metaphora petita a jaculis, quæ, cum brevia sint, rotando torquentur.—*Nec historias.* Hæc ad artem historicam pertinent.

V. 449. *Curtum.* Codd. pars dimidia habet *curvum*. Eadem varietas in editis libris. Illa tamen huic præferenda videtur.

Sed quædam ex libris et non intelligat. Odi  
 Hanc ego, quæ repetit, volvitque Palæmonis artem,  
 Servatâ semper lege et ratione loquendi,  
 Ignotosque mihi tenet antiquaria versus,  
 Nec curanda viris opicæ castigat amicæ 455  
 Verba. Solæcismum liceat fecisse marito.  
 Nil non permittit mulier sibi, turpe putat nil,  
 Cùm virides gemmas collo circumdedit, et cùm  
 Auribus extensis magnos commisit elenchos.  
 Intolerabilius nihil est, quàm femina dives. 460

451. *Sed quædam ex libris.*] Unde illud J. B. *Moliere* plenum sensûs dictum, *Femmes Sav.* act. II, sc. 7: Nos peres, sur ce point, étoient gens très sensés, Qui disoient qu'une femme en sait toujours assez, Quand la capacité de son esprit se hausse A connoître un pourpoint d'avec un haut de chausse.

452. *Palæmonis artem.*] Hoc est, grammaticam. M. vel Q. Remmius *Palæmon*, sub Tiberio et Claudio principem locum inter grammaticos tenuit, et tantâ fuit arrogantia, ut, et secum natas, et morituras jactaret litteras.

454. *Antiquaria.*] Antiquæ locutionis investigatrix et critica.

455. *Nec curanda viris.*] Quorum ne viri quidem rationem habent.—*Opicæ.* Barbare loquentis, more *Opicorum*. Vid. sat. III, v. 207.

456. *Solæcismum.*] Vitiosam verborum compositionem. Hinc,

Martialis iste jocus, lib. XI, epig. 20:

Quæris, cur nolim te ducere Galla?  
 Diserta es.

Sæpe solæcismum mentula nostra facit.

Et *Moliere*, *Femmes savantes*, loco præcitato.

. . . . C'est à vous que je parle, ma sœur:

Le moindre solécisme en parlant vous irrite,

Mais vous en faites, vous, d'étranges en conduite.

457. *Nil non permittit.*] Ad mulieres transit quæ, ut non maritis suis, sed mæchis placeant, nitorem munditiemque affectant, *les coquettes*, quarum mira est impudentia et superbia, quasque egregie quoque depingit *Boileau*, sat. X, v. 186 et seqq.

459. *Elenchos.*] Uniones, seu margaritas oblongas in piri modum turbinatas. *Boucles d'oreille en forme de poire.*

460. *Intolerabilius nihil.*] Vid. sup. ad v. 30 et 136.

V. 459. *Extensis.* Ita omnes nostri codd. vet. schol. excepto, qui legit *extentis*.



Interea fœda aspectu, ridendaque multo

Pane tumet facies, aut pingua Poppæana

462

Spirat, et hinc miseri viscantur labra mariti.

Ad mœchum veniet lotâ cute: quando videri

462. *Pane tumet facies.*] Vid. sât. II, 107. Hæc porro et quæ sequuntur intelligenda de incrustatione panis madidi, quo femina domi, ut cutem molliret, linebat faciem; quod *tectorium* satis simile crustæ, vel *καταπέλασματι*, deinde foras proditura, abstergebat lomento, vel *σμήγματι* ex lacte asinino, ut mœchis placeret et cutis poliretur. Al. Rup. — *Aut Pingua Poppæana.* Unguenta suavissimi odoris, et magni pretii, ita appellata a Poppæa Neronis uxore, ob inventionem, vel ob usum frequentem.

463. *Spirat.*] Fundit, emittit odorem. — *Hinc miseri... labra mariti.* Labra mariti osculantis faciem istam ita incrustatam, et unguentis delibutam agglutinantur, et tanquam in visco inhærescunt.

464. *Ad Mœchum.*] Hic adverte, quàm varii ac diversi sint populo-

rum mores et usus, pro temporum ac regionum distantia. Apud Romanos, temporibus Juven. femina mœchos adibat *lotâ facie*, domi vero et noctu facies ejus *pane tumebat et unguentis*: apud Gallos autem, *Boil. Despr.* temporibus, vice versâ, domi et noctu *lotâ facie* marito suo, interdiu mœchis suis, medicatam et fucatam se præbebat. Unde ejusdem jocus: Si tu veux posséder ta Lucrece à ton

tour ;  
Attends, discret mari, que la belle en  
cornette,  
Le soir, ait étalé son teint sur sa toi-  
lette,  
Et dans quatre mouchoirs, de sa beauté  
salis,  
Envoye au blanchisseur ses roses et ses  
lys.

Sensus autem est: Ad mœchum mulier veniet *lotâ cute*: sed, domi et marito suo, quando vult formosa videri?

V. 464. *Ad mœchum veniet lotâ cute.* Codicum pars maxima habet, *ad mœchum veniunt, etc.* Docta quidem est numerorum ac personarum mutatio; at, hoc loco, parum placet, ubi tot verba in sing. num. junguntur. Hic autem versus, et duo seqq. in omnibus codd. et edd. hoc loco leguntur, et forte, librorum incuriâ, fuerunt ab sede moti: unde nobiliss. *Gonzalès de Salas* ad Petron. Edit. Burmanni, T. II, p. 121, et *Dusaulx* eosdem post v. 473, transponendos curaverunt, hoc modo:

Interea fœda aspectu, ridendaque multo  
Pane tumet facies, aut pingua Poppæana  
Spirat, et hinc miseri viscantur labra mariti.  
Tandem aperit vultum, et tectoria prima reponit:  
Incipit agnosci, atque illo lacte fovetur,  
Propter quod secum comites educit asellas,  
Exul hyperboreum si dimittatur ad axem.

Vult formosa domi? mœchis foliata parantur : 465  
 His emitur quidquid graciles huc mittitis Indi.  
 Tandem aperit vultum, et tectoria prima reponit :  
 Incipit agnosci, atque illo lacte fovetur,  
 Propter quod secum comites educit asellas,  
 Exul Hyperboreum si dimittatur ad axem. 470  
 Sed quæ mutatis inducitur, atque fovetur  
 Tot medicaminibus, coctæque siliginis offas  
 Accipit et madidæ, facies dicetur, an ulcus?

465. *Foliata.*] *Foliatum* unguentum, nardinum et malobathron paratum ex nobili oleo quod habent folia nardi et malobathri, imprimis in India. — *Mœchis parantur.* In gratiam eorum præparantur.

466. *His emitur.*] In gratiam mœchorum, emitur quidquid odorum, aromatum, gemmarum, etc. quibus India abundat.

Ce n'est que pour toi seul qu'elle est fiere et chagrine.

Aux autres elle est douce, agréable et badine;

C'est pour eux qu'elle étale et l'or et le brocard,

Que chez toi se prodigue et le rouge et le fard.

467. *Tandem aperit.*] Detegit vultum, et reponit, remouvet tectoria prima, scil. incrustationem panis et unguenta.

468. *Fovetur.*] Abluitur, tene-rescit et candorem accipit. *Lacte*

*asinino.* Vid. sup. satir. II, 107.

469. *Comites educit asellas.*] Alludit ad eamdem Poppæam, quam quinquaginta (alii quingentæ, vel sexentæ) asinæ sequebantur in exilium missam.

470. *Exul.*] Scil. Poppæa Neronis uxor. Vid. Plin. lib. XI, c. 41, Dion. Cass. LXII, et alios. — *Hyperboreum ad axem.* Ad extremas et septentrionales terræ partes.

471. *Sed quæ mutatis.*] Ordo est: sed facies quæ inducitur et fovetur tot medicaminibus, et accipit offas siliginis coctæ et madidæ: uno verbo, ut ait *Dusaulx*, *une face ainsi sophistiquée*, faciesne dicetur, an ulcus? — *Mutatis.* Hoc est, variis ac diversis. A.

472. *Siliginis.*] Siligo genus tritici candidissimi. Sup. V, v. 70.

473. *An ulcus.*] Nam ulcera medicamentis et emplastris curantur.

Sed quæ mutatis inducitur atque fovetur  
 Tot medicaminibus, coctæque siliginis offas  
 Accipit et madidæ, facies dicetur, an ulcus?  
 Ad mœchum veniet lotâ cute: quando videri  
 Vult formosa domi? mœchis foliata parantur:  
 His emitur quidquid graciles huc mittitis Indi.

Haud ingrata certe est eorum emendatio, at nullâ firmatur auctoritate, ideoque hanc in varias lectiones rejiciendam curavi.

Est pretium curæ penitus cognoscere, toto  
 Quid faciant agitentque die. Si nocte maritus 475  
 Aversus jacuit, periit libraria, ponunt  
 Cosmetæ tunicas, tarde venisse Liburnus  
 Dicitur, et pœnas alieni pendere somni  
 Cogitur. Hic frangit ferulas, rubet ille flagellis,  
 Hic scuticâ. Sunt quæ tortoribus annua præsent. 480  
 Verberat, atque obiter faciem linit; audit amicas,  
 Aut latum pictæ vestis considerat aurum,  
 Et cædit, longi relegit transversa diurni,

475. *Si nocte maritus.*] Id est, libidini uxoris non satisfacit; et parcens lateri, *jacuit aversus*. Lucian. in Dial. Mer. Ἐταίραν δὲ τις παραλαβὼν, πέντε δραχμὰς τὸ μίσθωμα δούς, καθεύδει ἀποστραφεῖς.

476. *Libraria.*] Non, quæ libros transcribit: sed quæ lanam librat, et quasillariis appendit; aut, pensâ lanâ, ancillis opus distribuit. — *Periit*. Actum est de ea, male tractatur.

477. *Cosmetæ.*] *Cosmeta*, « non « κοσμητρία, ornatrix, ancilla quæ « dominam exornat; sed κοσμητής, « servus qui mundum muliebrem « curat. » Sic Al. Rup. Ego vero, et alii interpretes intelligimus servas, quibus capillos curare et componere officium erat. *Les coiffeuses*, vel *les femmes de chambre*. — *Tunicas ponunt*. Exui jubentur, ut nudæ vapulent. —

*Liburnus*. Llecticarius, lecticæ gerulus. Vid. sup. III, 240. A.

478. *Alieni... somni.*] Id est, mariti, qui nocte aversus jacuit.

479. *Frangit ferulas.*] Scil. dorso suo, dum cæditur. De ferula vid. sat. I, v. 15.

480. *Hic scuticâ.*] Scutica parvum flagellum e loris, vel corio bubulo factum. Levia autem peccata *ferulis*, graviora *scuticis*, gravissima *flagellis* puniebantur. — *Annua*. Subaudi, *salaria*.

481. *Verberat.*] Non ipsa, sed jubet tortorem verberare. — *Obiter*. Quasi aliud agens. — *Faciem linit*. Fuco. — *Audit amicas*. Dum servi flagellantur.

482. *Aut latum.*] Vestem acupictam auroque intextam. Hic, de Phrygiis vestibus agitur.

483. *Transversa diurni.*] *Diurnum*, proprie ἐφημερίς, liber in quo acta

V. 474. *Est pretium curæ*. Vet. schol. ita legit. Multi, quod, meo iudicio, rectius est, *est operæ pretium*. Vulgata tamen bene quoque se habet.

V. 479. *Ille flagellis*. Ita nostri omnes codd. et edd. priscae. Quidam recentiores ex vet. schol. *ille flagello*; sed parvi interest.

V. 483. *Et cædit*. Plerique codd. habent, *et cædens*.

*Ibid. Transversa*. Apud multos legitur *transacta*, rectius forte: nam, ita dicuntur rationes diei transactæ.

Et cædit, donec lassis cædentibus, XXI  
 Intonet horrendum, jam cognitione peractâ. 485  
 Præfectura domûs Siculâ non mitior aulâ!  
 Nam si constituit, solitoque decentius optat  
 Ornari, et properat, jamque exspectatur in hortis,  
 Aut apud Isiacæ potius sacraria lenæ;

diurna, quotidiana et impensa consignantur, un registre journal. Hic, transversa, subauditur scripta a parte recta, et a parte aversa, sur le recto et le verso du feuillet; quod apprime convenit his vocibus, longi diurni. Sic: Et cædit, id est, servos cædi jubet, et relegit longum diurnum scriptum unâ et alterâ parte: ita recognoscit rationem eorum omnium, quæ illo die peracta sunt. A.

484. Exi.] Jam abi, furcifer.

485. Intonet horrendum.] Horrendum femina, ut ap. Virg. Aen. XII, 700. Intonet autem gravius quàm resonet. — Jam cognitione peractâ. Omnes fere interpretes hæc, pro finita cognitione delictorum servi uniuscujusque, et sumptode omnibus supplicio, dici intelligunt; quæ ego non a longi diurni lectione supra memoratâ, vers. 483, discrepare opinor. Sic igitur poëtæ mentem interpretor: relegit longum diurnum, et cædit, donec lassis cædentibus, et, quasi hoc non satis esset, jam cognitione, vel lectione longi diurni peractâ, intonet horrendum, XXI. Dusaulx, in sua interpr. gallica, hæc, jam cognitione peractâ, silentio præterit. Elle parcourt les articles d'un

long journal; on frapperait toujours, mais les forces venant à manquer à ses exécuteurs: il suffit, sors d'ici, malheureux, s'écrie-t-elle d'un ton qui fait trembler. Ad quod addere potuisset: encore, n'est-ce qu'à près avoir achevé sa lecture. A.

486. Præfectura domûs.] Scil. administratio et gubernatio domûs non est mitior aulâ Siculâ. Id est, hæc mulier non minus crudelis est in servos suos, quàm Phalaris et Dionysius fuerant in cives.

487. Nam si constituit.] Statuit, aut in mente habuit. Forte, ut alii volunt, mæchis locum et tempus conveniendi constituit.

488. Jamque exspectatur in hortis.] A mæchis.

489. Aut apud... sacraria.] Aedium et templorum pars intima ubi sacra reponuntur, quam Galli vocant chapelle. — Isiacæ lenæ. Pro Iside lenocinante poëta dixisse videtur. In octo autem regionibus Romæ, templa Isidis erant, in quibus potissimum adulteria et probra committi frequenter apparet, ex diversorum testimonio; unde, hoc loco, Isidem lenam bene appellat poëta.

V. 486. Præfectura domûs. Multi codd. et edd. habent, profectura domo. Idque contra leges metri; nam, pro corripitur.

Disponit crinem, laceratis ipsa capillis, 490  
 Nuda humeros Psecas infelix, nudisque mamillis.  
 Altior hic quare cincinnus? Taurea punit  
 Continuo flexi crimen facinusque capilli.  
 Quid Psecas admisit? quænam est hîc culpa puellæ,  
 Si tibi displicuit nasus tuus? Altera lævum 495  
 Extendit, pectitque comas, et volvit in orbem.  
 Est in consilio matrona, admotaque lanis

490. *Disponit crinem.*] Componit, fingit, ornat. — *Laceratis ipsa capillis.* A. domina irata et crudeli.

491. *Nuda humeros.*] Discissâ veste ab irata domina. — *Nudisque mamillis.* Item a domina, ut cædatur, si quid peccet. Sic omnes interpretes volunt. Ego vero, et *Dusaulx*, hæc, *laceratis capillis, nuda humeros, nudisque mamillis*, non sic intelligimus; sed ad festinationem attinere arbitramur, quâ infelix Psecas vocata a domina accurrit, *laceratis*, id est, sparsis, solutis *capillis*, et seminuda, ut confestim disponat crinem, etc. Eodem fere modo *Regnard*, comicus, in comœdia cui titulus est, *le Joueur*, nobis famulum Hectorem exhibet accurrentem ad heri sui clamores. A. — *Psecas.* A ψεκάζειν, irrigare, hoc est, unguentis delibueret. Sic, *Psecas* nomen sumptum ab arte, serva capillis balsamum, odoratos pulveres, medicatosque succos instillans, comamque apte et scienter disponens.

492. *Altior hic quare cincinnus?*] Verba dominæ increpantis ser-

vam. — *Cincinnus.* Crinis annulatus, une boucle. — *Taurea.* Scutica e corio taurino.

493. *Continuo flexi... capilli.*] Non bene, non æqualiter flexi. Similiter Martial. II, 66 :

Unus de toto peccaverat orbe comarum

Annulus, incertâ non bene fixus acu. Hoc facinus Lalage speculo, quo viderat, ulta est;

Et cecidit sectis icta Plecusa comis. Desine jam Lalage tristes ornare capillos,

Tangat et insanum nulla puella caput. Hoc salamandra notet, vel sæva novacula nudet,

Ut digna speculo fiat imago tuo.

494. *Quid Psecas admisit?*] Verba poëtæ miserantis ancillam.

495. *Altera lævum.*] Lævam partem comæ componit, dum prior vapulat.

496. *Volvit in orbem.*] Qui annulus vocatur Martiali. Vid. sup. et Claud. de nuptt. Hon. et Mar. . . . . Sed tertia retro Dat varios nexus, et justo dividit orbes Ordine. . . . .

497. *Est in consilio.*] Satirice, quòd matronæ tanquam senatores

V. 491. *Nuda humeros.* Codd. XXVIII ita habent et editt. prisc. permultæ. Alii, *nuda humero*. At nostra lectio doctior sine dubio est.

Emeritâ quæ cessat acu : sententia prima  
 Hujus erit ; post hanc , ætate atque arte minores  
 Censebunt , tanquam famæ discrimen agatur , 500  
 Aut animæ : tanta est quærendi cura decoris !  
 Tot premit ordinibus , tot adhuc compagibus altum

de ornatu capillorum deliberent, et sententiam dicant. Similis jocus sup. sat. IV, v. 34 et seqq. de rhombo pisce. Seneca, de brevitate vitæ, cap. XII. *Dum de singulis capillis in consilium itur.* — *Matrona.* Ancilla vetula, quæ *admota est lanis*, id est, lanificio; postquam, etc.

498. *Emeritâ... cessat acu.*] Cessavit emeritis quasi stipendiis, propter ætatem, a pingendo *acu*, vel potius a comendo, crispando et componendo crine.

499. *Hujus erit.*] Sententia prima. Metaphoram producit, cùm prius dixisset, *est in consilio.* Princeps enim senatûs a Consule, relatione factâ, prior sententiam dicebat, cæteri ordine rogabantur.

500. *Censebunt.*] Secundum formulam : *De ea re ita censeo.*

502. *Tot premit ordinibus.*] Id est, gradibus cincinnorum. — *Tot compagibus.* Fasciis, vittis, vel potius tabulatis contignationibus, *étages.* « Antiquæ, inquit Gran-  
 « gæus, matronæ crines ad verti-  
 « cem capitis convolutos habe-  
 « bant, et aggestos quasi in turrim  
 « aut metam in primore parte ca-  
 « pitis. » Ea autem muliebrium

structuræ capillorum descriptio Just. Lipsii conjecturæ vires addit, et nostræ supra memoratæ, v. 407, scil. hanc satiram temporibus Trajani fuisse scriptam; quod quidem factum evidentius etiam lectori videbitur, si, hinc Juliæ Augusti filiæ, Agrippinarum matris et filiæ, Messalinæ, Juliæ Titi filiæ, Domitiæ Domitiani Imp. uxoris; inde, Plotinæ Trajani Imp. uxoris, Marcianæ ejusdem sororis, Matidiæ hujus filiæ, Sabinæ Hadriani Imp. uxoris, Faustinarum matris et filiæ numismata inspexerit. In illis enim capilli vel regnant per totum caput implicati, sulcorum similes atque inundantis aquæ, in modum caudæ longioris nodo vincti atque desinentes; vel, pone caput, nexibus et veluti mattis in formam conchæ aut conii coguntur; quem usum nostræ nuperæ mulieres renovârunt : in his autem, ad summum capitis verticem, capilli instar turris, ante excelsioris, post dimidia brevioris inæqualibus angulis; aliquando etiam turris rotundæ, satis celsæ, cujus compages cincinnis distinguuntur,

V. 501. *Tanta est quærendi cura decoris!* XX codd. habent, ut et multæ edd. priscæ, inter quas Romana princeps : *Tanti est quærendi cura decoris!*

Aedificat caput. Andromachen a fronte videbis :  
 Post minor est : credas aliam. Cedo , si breve parvi  
 Sortita est lateris spatium , breviorque videtur 505  
 Virgine Pygmæâ , nullis adjuta cothurnis ,  
 Et levis erectâ consurgit ad oscula plantâ ?  
 Nulla viri cura interea , nec mentio fiet  
 Damnorum : vivit tanquam vicina marito ;

quæ tamen ultima comarum concinnatio Faustinis fuit propria. Ex his quatuor generibus , tertium descripsisse videtur noster , cum dixit , *Andromachen a fronte videbis : post minor est , etc.* At illud a Plotina usque ad Sabinam viguit. Ex hac igitur ipsa descriptione , sextam satiram , per eum temporis tractum , quo regnaverunt Trajan. et Hadrian. in lucem produsse verisimile videtur. A.

503. *Aedificat.*] Id optime ita expressit Boileau , sat. X.

Et qu'une main savante, avec tant d'artifice,  
 Bâtit de ses cheveux l'élégant édifice.

— *Andromachen.* A fronte videtur procera, ut Andromache uxor Hectoris , quam grandi staturâ Dares Phrygius testatur , ut Ovidius Art. am. II , v. 645.

Omnibus Andromache visa est spatiosior æquo ;

Unus qui modicam diceret, Hector erat.

504. *Post minor est.*] Id est , a tergo. Quæ poëta , hoc loco , festive satis perstringit , eadem temporibus Lud. XV Galliarum regis ridendi occasionem dabant : nam ,

simili fere capillorum congerie feminæ , adjectis quoque calceamentorum factitiis plantis , duplo majores videbantur. — *Cedo.* Particula hæc interrogationis familiaris signum. Quid deinde ? Age vero ? Sic igitur poëtæ mens explicabitur : quod vitium jam in femina mediocris staturæ ridiculum , quanto ridendum magis erit , si sortita fuerit breve spatium lateris. Alii aliter hunc locum interpretantur ; sed illorum sententiæ vel languent , vel ex verbis poëtæ perperam eliciuntur ; nam , *cedo* neutiquam significat *concedo*. A.

506. *Virgine Pygmæa.*] Pusilla et cubitalis. Vid. infr. ad XIII , 167. — *Cothurnis.* Cothurnus , calceamenti genus , quo utebantur tragædi , ut grandiores fierent , et augustam Deorum Heroumque speciem referrent ; unde etiam metaphorice tragædia *cothurnus* dicitur.

507. *Et levis.*] Agilis , ἐλαφρὰ , κούφη. — *Ad oscula.* Non tam mariti , quàm mæchi , ut eum osculetur.

509. *Damnorum.*] Quæ maritus

V. 509. *Vicina marito.* Hanc lectionem revocavi ex XXV codd. et edd. priscis. Alii , *vicina mariti*. At nostra certe elegantior est.

Hoc solo propior, quòd amicos conjugis odit 510  
 Et servos : gravis est rationibus. Ecce furentis  
 Bellonæ, Matrisque Deùm chorus intrat, et ingens  
 Semivir, obscæno facies reverenda minori,  
 Mollia qui ruptâ secuit genitalia testâ

patitur.—*Vicina marito.* Non conjugis est : nam, sup. 141, *vidua est locuples, quæ nupsit avaro.*

510. *Hoc solo propior.*] In hoc solo se ostendit uxorem, quòd amicos et servos conjugis sui odit, et gravis est rationibus, id est, multis expensis.

511. *Ecce furentis.*] Aliud non minus grave in feminis vitium carpit : scilicet, propensionem ad stultam cujuscumque generis superstitionem, quam potissimum peperit futurorum scrutandorum et præsciendorum cupiditas, quâ homines omni ævo flagrârunt. Hinc divinationes, lustrationes, noctes viduæ diebus sacris, preces meditatæ, sacrificia, procurationes fulgurum, revelationes sacræ, furores divini, somnia et prædictiones ex illis, impia homicidia ad expiscanda futura, auguria, auspicia, vena, philtia, incantamenta, etc. quæque singula miro refert ordine et satirice admodum, ita ut, ab hoc loco usque ad v. 625, absolutissimum veteris superstitionis lector habeat tractatum, qui etsi a nostris moribus alienus,

nihilominus tamen respectu antiquitatis et historicæ artis, utilis atque jucundus videtur. A.

512. *Bellonæ.*] De sacris Bellonæ jam supra locuti sumus, sat. IV, 123.—*Matrisque Deùm.* Vestæ, Cybeles, Terræ. De hac fusius dictum est, sat. II, v. 111.—*Chorus.* Sacerdotum, qui dicebantur Galli.

513. *Semivir.*] Eunuchus iste de quo loquimur, est Archigallus, antistes sacrorum.—*Ingens.* non corpore, sed dignitate ac veneratione.—*Obscæno minori.* Cæteris Gallis dignitate inferioribus. Galli autem dicuntur *obscæni greges*, apud Ovid. Met. III, 537.

514. *Qui ruptâ... testâ.*] M. Cælius ap. Plin. lib. XXXV, cap. 12, non aliter citra perniciem, quàm samîâ testâ Gallos sibi virilitatem secuisse refert; et *Lucilius*, ex correctione Hadriani Junii :

Hanc, ubi vult male habere, ulcisci pro scelere,  
 Testam sumit homo Samiam, sibi que illico  
 Proscidit caulem, testesque una computat ambo.

V. 511. *Ecce furentis.* Hoc loco, non male suspicabatur Al. Rup. lacunam esse; et, unum alterumve versum excidisse culpâ librariorum; abrupta enim est nimis oratio: præterea, verba *gravis est rationibus*, ne copulâ quidem juncta præcedentibus, hujus opinionem firmant: sed, quis sibi hoc vacuum, si quid est, explendi, provinciam suscipiet?



Jam pridem, cui rauca cohors, cui tympana cedunt 515  
Plebeia, et Phrygiâ vestitur bucca tiarâ.

Grande sonat, metuique jubet Septembris et Austri  
Adventum, nisi se centum lustraverit ovis,

Et xerampelinas veteres donaverit ipsi,

Ut quidquid subiti, et magni discriminis instat, 520

In tunicas eat, et totum semel expiet annum.

Hybernum fractâ glacie descendet in amnem,

515. *Cui cedunt.*] Ob dignitatem. — *Rauca cohors.* Sic nominantur Galli, ob acutam exilemque vocem, quæ eunuchis ac mulieribus est propria.

516. *Plebeia... tympana.*] Sacerdotes minores vel inferioris ordinis tympana pulsantes, more Gallorum in sacris Cybeles. — *Tiara.* Tiara Phrygia est pileus, de quo simbrîæ, seu fasciæ pendeabant, quibus sub mento constrictis *bucca vestitur*, malæ ac tempora obducuntur, aut operiuntur. Deæ autem Phrygiæ Galli sacerdotes erant.

517. *Grande sonat.*] Ut supra, *intonat horrendum.* — *Metui jubet.* Jam oraculum edit, in quo magna minatur mala. — *Septembris et Austri adventum.* Id est autumnus, in quo morbi et febres grassari solent.

518. *Lustraverit ovis.*] Ova expiationibus lustrationibusque adhibebantur: unde ap. Lucian. τὰ ἐκ τῶν καθαρσίων ὄα. Quæ ova non foris projiciebant, ut mos

ferebat; sed e conspectu ablata ipsi sacerdotes manducabant. A.

519. *Xerampelinas.*] Græc. ξερამπέλιναί a ξηρός siccus, et ἄμπελος pampinus; scilicet, vestes quæ colorem arefacto pampino, vel vitis folio similem, adeoque pullum, vel subrubrum et pallidum (gallice, *feuille morte*) referebant, quibusque matronæ utebantur. — *Donaverit ipsi.* Scilicet sacerdoti, Archigallo.

520. *Ut quidquid, etc.*] Vestes et pilas, vel imagines vulgo in templis aut in compitalibus, lustrationis gratiâ, suspendere solebant, ut Dii ac Manes illis imaginibus contenti hominibus parcerent. Hi autem sacerdotes persuadebant mulieribus ipsas, si vestes ac tunicas non suspendissent, sed sibi dedissent, omnia mala per totum annum esse aversuras; quo artificio vestibus potiebantur.

522. *Hybernum fractâ glacie, etc.*] Nihil non suadet superstitio sacerdotum improbitate adjuta.

V. 519. *Xerampelinas.* Hæc vox corrupta admodum in codd. fuit. Alii *xerapelinas*, alii *serampelinas*, alii *xylampelinas*, alii vitiosius. Nostra lectio propter etymologiam probatior videtur. Vid. sup. comment.

*Ibid. Veteres.* Ita codd. plerique: at quidam rectius forte habent *vestes*.

Ter matutino Tiberi mergetur, et ipsis  
 Vorticibus timidum caput abluet: inde Superbi  
 Totum regis agrum, nuda ac tremebunda cruentis 525  
 Erepet genibus. Si candida jusserit Io,  
 Ibit ad Aegypti finem, calidâque petitas  
 A Meroe portabit aquas, ut spargat in aedem

Hæc porro et seqq. non Gallis Cybeles sacerdotibus solis tribuenda sunt, sed Isiacis quoque sacerdotibus, a quibus genus hoc lustrationis, quæ aquâ, vel marinâ, vel fluviali, vel fontanâ fiebat, originem ducebat; unde ad Judæos transiit, hinc ad Christianos, sub nomine baptismatis. In his autem tribus immersionibus, τριῶν βαπτισμάτων ritus, quibus illo ævo initiabantur Christiani, vidit Henningius. A.

523. *Matutino.*] Subaudi, tempore. Ante lustrationem, nihil neque sacri, neque profani agebatur. Hoc autem superstitionis genus ita exagitat Horat. lib. II, sat. 3, v. 290.

Frigida si puerum quartana reliquerit,  
 illo

Mane die, quo tu indicis jejunia, nudus

In Tiberi stabit. Casus medicusve levârit,

Aegrum ex præcipiti mater delira necabit

In gelida fixum ripa, febrimque reducet.

Quone malo mentem concussa? Timore Deorum.

524. *Inde Superbi.*] Alius superstitiosus ritus, quem memorant Tibul. I, 2, 85, et Seneca de vita beata, cap. 27. *Cum aliquis secandi lacertos suos artifex brachia atque humeros suspensa manu cruentat, cum aliqua genibus per viam repens ululat.* — *Superbi* autem regis ager, inter urbem et Tiberim situs, a M. Junio Bruto, post exactos reges, Marti consecratus, ideoque Martius fuit dictus.

525. *Cruentis... genibus.*] Rependo super arenam, lapides, etc.

526. *Candida... Io.*] Inachi filia in candidam vaccam a Jove mutata, quæ in Aegypto, receptâ formâ humanâ, nupsit Osiridi regi, et post mortem inter Deos relata, et *Isis* appellata. — *Si jusserit.* Scilicet per sacerdotem, qui hoc mandatum sibi per somnium a Dea datum fingit. Hæc vero ad Isiacos sacerdotes pertinent.

528. *A Meroe.*] Insula maxima Nili in Aethiopia, ad finem Aegyp-

V. 524. *Vorticibus.* Quidam codd. habent *verticibus*, et rectius forsitan: nam, *vertex* a *vertere*, male semper sumitur pro rei cujusdam summitate. Audi, lector, Quintilianum ipsum, Institut. Orat. VIII, 2, 7. *Vertex est contorta in se aqua, vel quidquid aliud similiter vertitur: inde, propter flexum capillorum, pars est summa capitis; et ex hoc, quod est in montibus eminentissimum.*

Isidis, antiquo quæ proxima surgit ovili.

Credit enim ipsius dominæ se voce moneri. 530

En animam et mentem, cum qua Dii nocte loquantur!

Ergo hic præcipuum summumque meretur honorem,

Qui grege linigero circumdatus, et grege calvo,

Plangentis populi currit derisor Anubis.

ti, et urbs ejus regia Aethiopum sedes, si fides habenda Strab. I, 75, Heliod. X, Herodot. II, 29, Ptol. IV, 8, Plin. II, 75. Sed eam potius peninsulam docuere geographi recentiores. Hard. ad Plin. V, 9, seu 10, et d'Anville, *Mém. sur l'Egypte*, III, 51. Attamen, quæ nunc, siccato vel derivato fluminis brachio, aut casu aut arte, peninsula est, temporibus antiquis insula esse potuit. A.

529. *Isidis.*] Templum Isidis in campo Martio.—*Quæ surgit.* Stat. *Surgit* autem elegantius quàm est.—*Proxima antiquo ovili.* Vet. schol. « Quia ibi Romulus et pastores « assueverant pecora pascere, aut « regiam dicit Romuli, aut Palatium. »

530. *Ipsius dominæ.*] Deæ, Isidis. *Domina*, ut *δέσποινα*, vocabulum est honoris, ut Regina. Mater etiam passim Dea dicitur.

531. *En animam, etc.*] Ἐπιφώνημα εἰρωνικόν. Scil. dignus est istiusmodi sacerdos, quo cum Dii nocte loquantur! Porro *anima* vocatur quâ vivimus, *mens*, vel animus quo intelligimus et sapimus.

533. *Grege linigero.*] Choro sacerdotum Isiacorum, qui lineis vestibus induti erant.—*Grege calvo.* Caput quoque sacerdotes Isidis deradebant: unde Lamprid. de Commodus Imp. sic: *Sacra Isidis coluit, ut et caput deraderet, et Anubi potaret.*

534. *Plangentis populi.*] Cum luctu et planctu quærentis Apim, de quo vid. infr. VIII, 29.—*Derisor.* Quasi qui credulum populum derideat.—*Anubis.* Ideo summus sacerdos vocatur *Anubis*, quia nuncius quasi est inter Isidem et mulieres, quemadmodum *Anubis* Osiridis filius apud Aegyptios nuncius erat inter superos et inferos, idem qui *Mercurius* apud Græcos. Hic autem *Anubis* videtur formâ humanâ, excepto capite, quod caninum est; et sæpe, ipso rictûs ductu, exprimit et excutit sannam, linguam exsertans, quod canes faciunt fessi *currendo* ac sitientes: unde hic, duplex sensus est verbi *derisor*: quòd et sacerdotem vulgi superstitionem ridentem indicet; eundemque, ut canem currentem et anhelantem deridentique similem pingat. A.

V. 533. *Linigero.* Paucissimi ita habent codd. At, plerique, præeunte vet. schol. *lanigero*, cujus scholion est: « *Lanigero*; sic enim symmystæ, « quando Osirim quærent » . Sed præstare nobis videtur ratio historica.

Ille petit veniam, quoties non abstinet uxor 535  
 Concubitu, sacris observandisque diebus;  
 Magnaque debetur violato pœna cadurco,  
 Et movisse caput visa est argentea serpens.  
 Illius lacrymæ, meditataque murmura præstant,  
 Ut veniam culpæ non abnuat, ansere magno 540  
 Scilicet, et tenui popano corruptus Osiris.

535. *Quoties, etc.*] In sacris Isidis, ut Bacchi et Cereris, feminæ ac matronæ, utque θεσμοφοριάζουσαι apud Athenienses, novem per dies debebant abstinere a concubitu, et stramentis incubare in templo, vel pervigilia in eo agere; quod dicebatur *secubare* et *in casto* Isidis vel Cereris *esse*. Al. R.

537. *Cadurco.*] Culcita linea, stragulum, lodix. Sic dictum a Cadurcis Galliæ populis, quorum oppidum *Cadurcum*, *Cahors*, *dép. du Lot*; quique in culcitis texendis præcipuam laudem obtinebant, teste Plin. lib. XIX, cap. 1. Hic per metonym. pro quovis lecto, atque etiam, pro non servata castitate lecti matrimonialis, per eos dies. Aliter tamen vet. schol. et Isidorus in glossis. Isidor. *Cadurcum*, *membrum feminæ*, et *cadurca labra pudendi muliebris*, aut *sponda lecti*. A.

538. *Movisse caput.*] Quassasse præ ira, κινήσας κέφα. Hom. Odys. ε, 285. — *Argentea serpens.* Inter varias Isidis species et symbola, hæc sunt: vel caput ejus, vel

dextrum brachium serpentibus cinctum est, vel currus duobus draconibus vehitur: unde in illius pompa serpens ferebatur, et in templis ejus Draconis effigies erat.

539. *Meditataque murmura.*] Vota cum murmure seu susurro concepta, et antea præparata, atque non ex vero animi sensu profecta.

540. *Ansere magno.*] Ita Henninius: « Si vis hunc locum penitus « intelligere, vide Petri Bellorii « Aegyptium illum sacrorum mi- « nistrum, cum florum fructuum- « que primitiis, nec non multis « anseribus onustum e manu pen- « dulis, et, ut videtur, quadrâ « in qua non obscure mihi videor « observare *tenuè popanum*. Vide « ejus figuram æri incisam ap. « Spanh. de usu et præst. numm. « Diss. IV, p. 266. et integram in « Sandrart Academ. picturæ Germ. « edita P. I. lib. II. tab. 4. » *Popanum* autem placentæ genus est, quo Isis placari, vel coli et sacerdotes ejus vesci solebant, sicut et anseribus. Al. Rup.

541. *Corruptus Osiris.*] Facete

V. 537. *Cadurco.* Male et contra metrum, codd. multi *caduceo*, ut designetur Anubis, qui, ut Mercurius, lævâ manu caduceum gerat.

V. 541. *Popano.* XXIV codd. et vett. edd. *pepano*.

Cum dedit ille locum ; cophino fœnoque relicto ,  
 Arcanam Judæa tremens mendicat in aurem ,  
 Interpres legum Solymarum , et magna sacerdos  
 Arboris , ac summi fida internuntia cœli : 545  
 Implet et illa manum , sed parcius. Aere minuto ,  
 Qualiacumque voles , Judæi somnia vendunt.  
 Spondet amatorem tenerum , vel divitis orbi  
 Testamentum ingens , calidæ pulmone columbæ  
 Tractato , Armenius , vel Commagenus haruspex ; 550  
 Pectora pullorum rimatur et exta catelli ,

ridetur superstitio mulieris , cuius preces exaudiuntur , quia Osiris donis corrumpitur , hoc est , quia sacerdos munera accipit.

542. *Cum.... ille.* ] Isidis sacerdos locum dedit , recessit. — *Cophino fœnoque relicto.* Vid. sup. III, v. 14.

543. *Mendicat.* ] Facete , pro susurrat. Quoniam mendici Judæi susurrant et simul stipem rogant. — *Arcanam in aurem.* Id est , clam id faciunt , et *trementes* , hoc est , timide , quoniam Judæi vel Urbe ejiciebantur , vel gravius tributum pendebant. — *Judæa.* Mulier.

544. *Interpres legum Solymarum.* ] Hierosolymitanarum , Judaicarum : nam *Solyma* olim dicta Hierosolyma erat. — *Sacerdos arboris.* In silva Aricina , ut dictum sup. sat. III, v. 15.

545. *Fida.* ] Cui fides habenda. *Εἰρωνικῶς.* — *Internuntia cœli.* Dei.

546. *Implet et illa manum.* ] Judæa quoque sibi manum implet — *Parcius* , quàm manus sacerdotum Isi-

dis , et clam. — *Aere minuto.* Trientibus , quadrantibus , etc. Nam Judæi parvi *sua somnia* , oracula *vendunt.*

548. *Spondet.* ] Ordo est : Armenius , vel Commagenus haruspex spondet , etc. — *Spondet.* Idem quod promittit , sed gravius est , fidissimamque promissionem significat. — *Amatorem tenerum.* Blando ac tenero amore flagrantem.

549. *Calidæ.... columbæ.* ] Recens mactatæ , et adhuc palpitantis. — *Pulmone tractato.* Extis et corde inspectis , scrutatis.

550. *Commagenus.* ] Oriundus ex illa Syriæ parte , quæ Orientem spectat , et inter Amanum montem et Euphratem sita. Armenii autem et Commageni haruspices non in minore erant commendatione apud illas , quàm Judæi , et ipsimet Romani.

551. *Rimatur.* ] Id est , studiose introspicit. — *Et exta catelli.* Ovis , hædi et vituli exta passim consu-

V. 551. *Rimatur et exta.* Ita codd. nostri omnes et edd. priscæ. Quidam , *rimabitur exta.*

Interdum et pueri : faciet, quod deferat ipse.  
 Chaldæis sed major erit fiducia : quidquid  
 Dixerit Astrologus, credent a fonte relatum  
 Ammonis, quoniam Delphis oracula cessant, 555

lebant haruspices, sed nunquam *canis*, nisi qui id faciebant ad ritum magicæ damnatæque artis, ut isti Commageni et Armenii homines vilissimi et superstitiosi.

552. *Interdum et pueri.*] Pueros non verebitur, ad talia investiganda, occidere, cujus sceleris infandi ipse alium, scil. feminam superstitiosam accuset, ut delationi propositum accipiat præmium. Vet. schol. ait hic notari Egnatium philosophum, de quo jam sermo fuit sat. III, v. 116, qui filiam Bareæ Sorani, ad magicam hortatus ipse, postea Neroni detulit; quæ quidem mori cum patre jussa est.

553. *Chaldæis.*] Hi mirum in modum Astrologiæ dediti, in ea disciplina claruerunt. Cic. I, de Divin. 2 et 92. Gell. lib. I, cap. 9, etc.

554. *A fonte..... Ammonis.*] Ab ipso Jovis Ammonis oraculo petitum ac profectum. Cur autem a *fonte* dixerit, non ab oraculo, hæc causa est : cum Bacchus in expeditione Libyca aquæ inopiâ laboraret, aries subito ex arena exivit, eumque ad fontem perduxit, quam densa circum cingebat silva ; in cujus beneficii memoriam, Bacchus hunc pro Jove ipso habuit arietem, eique in ipso loco magnificentem extruxit templum, in quo edebantur oracula celeberrima. Sic Jupiter *Am-*

*monis* nomen accepit ab arena, ἀπὸ τοῦ ἄμμου; ei quoque tributa sunt arietis cornua : hinc *fontis* pro oraculo.

555. *Quoniam Delphis oracula cessant.*] Scoptice hoc dicit, quasi illi astrologi oraculorum defectum supplere debeant. Quam oraculorum cessationem fere simultaneam Christo nascenti tribuunt Christiani, aliis causis tribuebant Ethnici. Vid. Plut. de defect. oraculorum. De defectu autem oraculorum minime dubitandum est, id enim omnes testantur scriptores prisci. De causa vero non concordant inter se. Ethnici diversas afferunt rationes, quarum melior, meo iudicio, hæc est Lucan.

Sed siluit, postquam reges timere futura,

Et superos vetnere loqui. . . . .  
 præsertim cum certis quibusdam indiciis sacerdotum fraus detecta fuit. Similiter, sub postremi sæculi finem, cum Jansenistarum impulsu miracula fictitia fierent supra tumulum cujusdam nomine *Paris*, quem ad sanctas ædes evolâsse jactarent fidi ejus opinionis comites; atque, ob id, populi rumor ingens, ideoque timendus, exoriretur, rex tumulum muro circumdari jussit, circa quem jocosus et nasutus quidam hæc inscripsit :

De par le Roi, défense à Dieu  
 De faire miracle en ce lieu.

Et genus humanum damnat caligo futuri.  
 Præcipuus tamen est horum, qui sæpius exul,  
 Cujus amicitia, conducendâque tabellâ  
 Magnus civis obît, et formidatus Othoni.  
 Inde fides arti, sonuit si dextera ferro, 560  
 Lævaque, si longo castrorum in carcere mansit.

Plutarchus mire se torquet, ut aliquam defectûs oraculorum causam inveniatur. Christiani vero eundem eventum Christo nato tribuunt, cujus adventu omnes profligatos dæmones, omniaque obmutuisse oracula prædicant. In cujus rei testimonium afferunt hoc ultimum, verumne an falsum, nescio, Phæbi oraculum ad Imperatorem Augustum:

Παῖς Ἑβραῖος κέλεται με θεοῖς μακάρεσσιν ἀνάσσων,  
 Τόνδε δόμον προλιπεῖντε, καὶ ἄδησ αὐθις ἴκεσθαι. A.

556. *Damnat caligo futuri.*] Genus humanum a Diis ad ignorantiam futuri damnatum est. Horat. lib. III, od. 29.

Prudens futuri temporis exitum  
 Caliginosâ nocte premit Deus.

557. *Præcipuus.*] Primum locum obtinet in opinione vulgi. — *Qui sæpius exul.* Ipsi mathematici et astrologi sæpius et in exilium missi, et revocati sunt. Tacit. Hist. I, 22. *Hoc genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax, quod in civitate nostra et vetabitur semper, et retinebitur.*

558. *Cujus amicitia.*] Is mathematicus, seu astrologus amicus Othoni, *cujus amicitia*, instigatione, et *tabellâ*, id est, prædictionibus, *conducendâ*, magno pretio emptis, magnus civis (*Galba*) obiit ab Othone, cui formidandus erat; is, inquam, a Suet. vita Oth. Seleucus dicitur, sed Ptolemæus Tacit. Hist. I, 22, et Plutarcho. Hæc forsitan ejusdem hominis diversa nomina erant.

559. *Magnus civis.*] Galba, qui sic dictus est, quod ante imperium magnâ fuerit et veteri pro-sapiâ; ut qui statuarum titulis se pronepotem Q. Catuli Capitolini semper adscripserit. — *Obît.* Pro obiit. Unde ultima syllaba produ-citur, ob contractionem.

560. *Ferro.*] Ferreis catenis, manicis.

561. *Castrorum in carcere.*] Lipsius in excurs. II ad Tacit. ann. III, 22. Hæc notavit. « In urbe  
 « ipsa triplex ratio asserendi cap-  
 « tivos. Aut enim in carcere ha-  
 « bebantur, et loco concluso,  
 « sine ullo milite; aut in custo-  
 « dia militari; aut in ædibus ma-

V. 558, 559. *Cujus amicitia, etc.* Hos versus supposititios putabat AL. Rup. et reipsa in duobus e nostris codd. absunt; atque, præterea, non adeo necessarii sunt, quin, iis obelo transfixis, æque sententia procedat. At tamen non ideo e loco sunt movendi, cum in plerisque codd. et omnibus reperiantur editionibus.

Nemo mathematicus genium indemnatus habebit :

Sed qui pæne perit, cui vix in Cyclada mitti

Contigit, et parvâ tandem caruisse Seripho.

Consulit ictericæ lento de funere matris, 565

Ante tamen de te, Tanaquil tua : quando sororem

Efferat et patruos ? an sit victurus adulter

Post ipsam ? quid enim majus dare numina possunt ?

Hæc tamen ignorat, quid sidus triste minetur

Saturni, quo læta Venus se proferat astro, 570

gistratum. Custodia militaris frequentissima et Romæ, et in provinciis; ejusque modus, ut is, qui in noxa esset, catenam manui dextræ alligatam haberet, quæ eadem militis sinistram vinciret custodiæ ejus præfecti.

562. *Indemnatus.* ] Nunquam damnatus. — *Habebit...* genium. Scil. peritiam artis, vel ingenium.

563. *Cui vix.... contigit.* ] Qui vix potuit obtinere, ut in exilium mitteretur, non occideretur. — *In Cyclada.* Unam e Cycladibus insulis.

564. *Tandem caruisse.* ] *Cui tandem,* multos post annos, contigit, ut ab exilio revocaretur. — *Parva.... Seripho.* Nam Seriphus XII tantum millia passuum habebat, eademque deserta et saxosa erat.

565. *Icticæ.* ] Ictericus, Græc. *ἰκτερικὸς*, qui laborat morbo regio seu arquato, qui e bile per totum corpus suffusâ nascitur, Gall. *la jaunisse.*

566. *Ante tamen de te.* ] Ante omnia de tua morte, Postume, consulit. Quæ impia vota tunc

temporis frequentia erant; et de iis consulebantur astrologi. Vid. Pers. sat. II. — *Tanaquil tua.* Scil. conjux tua similis Tanaquili Tarkinii Prisci uxori, quæ astrologiæ, divinationum, prodigiorum, ut vulgo Etrusci, peritissima fuit.

567. *Efferat.* ] Ad rogam ferat, sepeliat.

568. *Quid enim majus, etc.* ] Quid optabilius, quàm adulteri longam vitam, mortem matris, mariti et consanguineorum, quorum opes hereditate capiat.

569. *Hæc tamen.* ] Quamvis consulat astrologos, tamen ipsa astrologiam ignorat, quod adhuc tolerari potest: ast aliæ sunt de quibus loquetur infra, versu 572, quæ eo magis vitandæ sunt, et cavendæ, quòd ipsæ hanc artem callent, et profitentur.

570. *Saturni.* ] Sidus triste, noxium. Propert. IV, 1, 84. *Grave sidus Saturni.* — *Quo læta Venus.* Quo sidere gaudeat conjungi Venus, et cui conjuncta faveat. Hæc nimirum Lunæ juncta salutaris creditur.



Quis mensis damno, quæ dentur tempora lucro.  
 Illius occursus etiam vitare memento,  
 In cujus manibus, ceu pinguia succina, tritas  
 Cernis ephemeridas : quæ nullum consulit, et jam  
 Consulitur : quæ, castra viro patriamque petente, 575  
 Non ibit pariter, numeris revocata Thrasylli.  
 Ad primum lapidem vectari cùm placet, hora  
 Sumitur ex libro : si prurit frictus ocelli

571. *Quis mensis damno.*] Quibus anni temporibus astra prosint, quibusque noceant; quando dominetur Mercurius lucri Deus, etc.? *Servius*, Georg. lib. I, planetas duos ait bonos, Jovem et Venerem; duos malos, Saturnum et Martem; unum communem, Mercurium: quæ omnia fusius describit Ovid. in Ibin.

572. *Illius occursus.*] Jam contra antapodosi demonstrat prorsus intolerabiles et pessimas illas esse, quæ ipsæ astrologiam didicerunt, et in manibus ephemeridas quotidie tractant, etc.—*Occursus.* Tanquam mali ominis. Festive, pro cave ne ducas uxorem astrologam.

573. *Ceu pinguia succina.*] Similes succinis pinguibus, ac pellucidis. *Succinum* autem (vid. Plin. lib. XXXVII, 2 et 3), est humor quidam viscosus, coloris flavi, odoris suavissimi, e quibusdam arboribus defluens. Succina maronæ manibus tractabant, ut bene olerent.

574. *Cernis Ephemeridas.*] Attritu frequenti similes factas succinis, de quibus supra.—*Ephemeridas:* ἐφημερίδες, tabulæ Fastorum, seu lunare astrologorum, quas

vulgo nostri dicunt *Almanach*; quæ præterea continebant observationes τῶν ἐμπράκτων, καὶ ἀπράκτων dierum, et τῶν καταρχῶν, quæ die, quâ horâ aliquid esset incipiendum, ut feliciter succederet.

575. *Consulitur.*] Quia jam perita est in hac arte.

576. *Revocata.*] Deterrita ab itinere.—*Numeris.* Calculationibus, supputatione mathematica. *Numeri Thrasylli*, hic, ut ap. Horat. od. I, 11, 2, *numeri Babylonii*, Græce, Ψηφίδες, ut in vetere epigrammate de astrologo:

Ὅς δὲ λαβῶν ψηφίδας, ὑπὲρ πίνακος  
 τε πυκάζων,  
 Δάκτυλά τε γνάμπτων, εὐθέξατο  
 Καλλιγένοι.

Horâ enim natali positâ, in supputatione tota res consistebat, quæ per tabulam calculatorem fiebat. *Thrasyllus* autem iste, celeberrimus mathematicus et astrologus, Tiberii Imperatoris comes, contubernalis et præceptor fuit, de quo Suet. Tib. cap. 14, et Tacit. Ann. I.

577. *Ad primum lapidem.*] Scilicet milliarium ab urbe. Etiam si vel brevissimum iter sit faciendum.

578. *Ex libro.*] Ex ephemeride.

Angulus, inspectâ genesi, collyria poscit.

Aegra licet jaceat, capiendo nulla videtur 580

Aptior hora cibo, nisi quam dederit Petosiris.

Si mediocris erit; spatium lustrabit utrumque

Metarum, et sortes ducet, frontemque, manumque

— *Si prurit.* Id est, si vel angulus ocelli fricando attritus prurit.

579. *Inspectâ genesi.*] E genesi, seu genitura, et sidere natalitio, ejusque inspectione, vel observatione, quæ horoscopus et thema, ὠροσκόπος et θέμα vocabatur, fata cuius imminetia augurari solebant. — *Collyria.* Oculorum medicamina.

580. *Aegra licet, etc.*] « Ex libris ἱατρομαθηματικῶν συντάξεων, quando cibis aut catharticum dandum esset ægrotis colligebant. » Salm. de ann. clim. p. 52.

581. *Quam dederit.*] Id est, definierit, constituerit. Ad summam autem superstitionis vanitatem declarandam, imprimis valet hoc loco rerum frivolarum minimarumque, de quibus *Ephemerides, themata, numeri Thrasylli* consulantur, commemoratio. — *Petosiris.* Aegyptius clarissimus fuit mathematicus ac philosophus, itemque astrologus, de quo Suid. Plin. II, 23, et VII, 49, et Salmas. de ann. clim. p. 76 et 353, ubi monet eundem passim Ptolemæo Ἀργαῖον dici, eumque et

Necepsum fuisse auctores τῆς κλιμακτηρικῆς ἀγωγῆς, id est, artis illius, quæ e climactericorum annorum enumeratione, habitâ simul siderum ratione, exponat quid cuilibet nato contingere possit.

582. *Si mediocris erit.*] Supple, conditionis: si pauper, nihilominus superstitiosa erit. — *Lustrabit utrumque.* Pervagabitur. — *Spatium.... metarum.* Hoc est, ab una meta ad alteram, percurret Circum, in quo viliores astrologi, divinatores, sortilegi quæstus causâ versabantur multi. *Metæ* autem, νόσσαι, tres turriculæ in formam pyramidum factæ, ad extremitatem spinæ, quâ medius Circus (maximus) erat diremp-tus, collocatæ, quas circa currus sinistrorsum flectendus erat.

583. *Sortes ducet.*] Consul et hariolos. — *Frontem manumque præbebit.* Inspiciendam: scilicet frontem Metoposcopo, seu Physiognomoni, qui ex vultu ejusque lineamentis; et manum χειροσκόπων, vel χειρομαντεί, qui e manuum lineis et incisuris, hominum mores et fata futura divinat. Al. Rup.

V. 579. *Collyria.* Male Grangæus *coliria* scribendum putabat ἀπὸ τοῦ κολλύειν τὸν ῥεῖν, id est, a prohibenda fluxione. Græcis dicitur κολλύριον globulus balsaminus, forte, a κολλύρα, specie panis, forsan ovatâ.

V. 582. *Utrumque.* Restitui ex omnibus nostris codd. et edd. priscis. Vet. schol. et quidam recentiores legunt *utrimque*.

Præbebit vati crebrum poppysma roganti.

Divitibus responsa dabit Phryx augur et Indus 585

Conductus, dabit astrorum mundique peritus,

Atque aliquis senior, qui publica fulgura condit.

584. *Crebrum poppysma.*] Hoc loco, variant interpretes. Nonnulli perperam exponunt: vati petenti concubitus aut sonitus, nescio quem, in coëundo, pretii loco exactum: alii manûs contractationem, quâ chiromantes diu suspensam tenuerit mulierem: alii blandum manûs plausum: alii vero oscula cum sonitu data pro mercede: alii demum, « Vates cum ex manûs inspectione prædixit; tum illi subinde roganti, num vera dixisset? » matrona admirans artem ejus « præbebat crebrum poppysma, seu assentiebatur ei sæpissime, per illud signum labiorum collisorum. Ferr. Elect. II, 15. » Sed, ex his interpretationibus, neque illa, neque alia placet, nec huic convenit loco: nam isti harioli miseri et vagabundi non concubitu, basiis, blanditiis vivebant: unde fit, ut aliud certissime peterent. Ea igitur explicatio Alex. Ruperti nobis potior visa est. Vetus schol. bene definiit *crebrum poppysma* oris pressi sonum, aut labiorum in se collisorum strepitum. Hinc poëta facete depinxit hujusmodi hariolos Zigeunibus hodiernis similes, quorum mos erat (*κατά* per) *poppysma crebrum*, vel crebris poppysmatibus, seu basiis jactatis mendicare, blandiri, et ad benevolentiam homines

artisquæ suæ usum allicere. Sic, *blandaque devexæ jactaret basia rhedæ*, sup. IV, 118. Sic, hoc loco, *vati roganti*, pecuniam, favorem, *per* (subauditur) *crebrum poppysma*. A.

585. *Phryx augur.*] Nam *Phryges et Pisidæ, et Cilices et Arabum natio avium significationibus plurimum obtemperârunt*. Cic. de Divinat. I, 41 extr.—*Et Indus*. Brachmanes, gymnosophista; forte magus.

586. *Astrorum mundique peritus.*] Astrologus et mathematicus. *Mundi*, hic, pro cælo ponitur.

587. *Aliquis senior.*] Scilicet Etruscus haruspex fulguritorum conditor et expiator. — *Fulgura condit*. Haruspices colligebant reliquias aut vestigia fulminis, et ibidem sepulchro condebant; transferre enim nefas erat: sic, ii qui fulmine icti fuerant, terrâ condebantur, non ut alii cremabantur. Eum locum deinde sepiebant cespite, sacrum et inaccessum habebant, et quia *bidentem* hostiam sacrificabant, locum dicebant *Bidental*. Sidon. Carm. IX:

Nec quæ fulmine Tuscus expiato  
Septum numina quærit ad bidental.  
Lucan. I, 606:

... (Aruns) dispersos fulminis ignes  
Colligit, et terrâ mæsto cum murmure  
condit.

— *Publica fulgura*. Fulgura sicut et fulmina erant aut *privata*, aut

V. 585. *Et Indus*. Dimidia pars codd. nostrorum, et antiquior habet ita: cæteri, *et inde*.

Plebeium in Circo positum est et in aggere fatum.

Quæ nullis longum ostendit cervicibus aurum,

*publica*; de quibus, vid. Plin. II, 54. et Senec. Nat. Quæst. II, 48.

588. *Plebeium.... fatum.*] Pauperum mulierum *fatum positum est in Circo*: ibi enim illis prædicatur.—*Et in aggere.* De aggere Tarquinii intelligit, quo Urbs claudabatur ab Oriente, quique muros æquabat. Plin. lib. III, cap. 5.

589. *Quæ nullis, etc.*] Hic locus sine dubio mendosus diverse intelligitur. Alii omnes legunt *nudis*, et interpretantur ita: Meretrix sine pudore collum nudare solita, illudque exornans *longo auro*, id est, monili aureo, *consulit*, id est, consulenti matronæ plebeia ante phalas, etc. *an nubat, etc.* consilium vel responsum dat. At illa explicatio adeo non dirimit difficultatem, sed et etiam auget: nam (non loquor de monili cervicibus imposito, quod satis inauditum est), *consulit et nubat*, certe ad eandem personam referenda sunt; et Romanos *consulere*, pro consilium dare, dixisse non satis constat. Alii, ut Ferr. R. V. « Hic plebeiam, et vitæ liberioris mulierem inducit poëta, *nudis cervicibus longum aurum*, seu monile gestantem. Nam, cum matronæ ita stolâ talari et manuleatâ opertæ essent, ut nihil præter faciem appareret; contra libertinæ, et quæ licentiam stupri vulgaverant, non cervice modo, sed humeris atque lacertis conspicuis ac seminudis

« erant ». Inde colligit poëtam hic locutum esse de meretricibus, quæ gestantes monile aut monilia super collum, humeros, aut lacertos, consulebant hariolos ante phalas, etc. Sed exstat eadem de cervicibus, pro humeris aut collo, difficultas; supersunt et aliæ majores. Primum, *aurum longum* dici pro *monile* non certum est; deinde, meretrices monilibus aureis, et longis etiam ornari minime credendum est. An istæ sunt, quæ nudis cervicibus longum aurum ostendant? Post demum, quid ridiculum magis quàm hoc: scilicet, meretrices Syras, Phrygias, Aegyptias, ut erant pleræque, consulere hariolos Hebræos, Syros, Phrygios, etc. atque etiam, an nubant potius cum hoc, quàm cum illo; quasi meretricibus matrimonium sit frequens atque usitatum? Quæ cum ita sint, Salmasii et Juvencii emendationi annuentes versum 589 sic legimus: Quæ nullis longum ostendit cervicibus aurum.

Id erit: illa mulier plebeia, *quæ nullis cervicibus*, hoc est, nullo modo, et nulla in parte colli, vel potius capitis *ostendit*, gestat *longum aurum*, vela auro et argento distincta, ut matronæ divites, illa, uno verbo, mulier plebeia *consulit ante phalas*, etc. *an nubat, etc....* Quæ explicatio simplex videtur, et sequentibus apta, *hæ tamen et partus subeunt*

V. 589. *Quæ nullis.* Cur contra codd. et edd. legerim ita, vid. comment.

Consultit ante phalas, delphinorumque columnas, 590  
 An saga vendenti nubat, caupone relicto.  
 Hæ tamen et partûs subeunt discrimen, et omnes  
 Nutricis tolerant, fortunâ urgente, labores :  
 Sed jacet aurato vix ulla puerpera lecto ;  
 Tantum artes hujus, tantum medicamina possunt, 595  
 Quæ steriles facit, atque homines in ventre necandos  
 Conducit! Gaude, infelix, atque ipse bibendum  
 Porrige, quidquid erit : nam, si distendere vellet,  
 Et vexare uterum pueris salientibus, esses  
 Aethiopsis fortasse pater : mox decolor heres 600  
 Impleret tabulas, nunquam tibi mane videndus.

*discrimen, etc.* quæ meretricibus non magis conveniunt quàm *monilia gestare, nubere, etc.* A.

590. *Ante phalas.*] *Phalæ*, turres ligneæ, quæ vulgo ab ovata figura ova dicuntur. Obelisci autem, aut *columnæ* mobiles septem erant vel ovorum, vel *delphinorum* figuram referentes, quæ in spina Circi ponbantur, et quarum una tolli sive auferri solebat, quoties unum e septem curriculum (nam tot fuisse constat) peractum erat. Quod intelligitur ex loco Dionis Cass. lib. XLIX extr. de M. Agrippa.

591. *Saga.*] Vestimenta sunt militaria. Sic *saga vendenti*, au *fripier*.

592. *Hæ tamen.*] Scil. mediocris fortunæ, seu plebeïæ mulieres, etsi superstitiosæ, tamen, etc.

593. *Fortuna urgente.*] Rei familiaris angustia cogente.

594. *Vix ulla puerpera.*] Quæ liberos pariat. — *Jacet in lecto aurato*, qualis nobilium est.

595. *Hujus.*] Scil. *veneficæ*, vel *obstetricis*. — *Medicamina*. Qualia memorat Plin. XX, 21, XVII, 5 et 9.

596. *Homines.*] Fætus conceptos et formatos. Id magna cum vi dictum.

597. *Conducit.*] Suscipit certo pretio. — *Gaude infelix*. Marite.

598. *Quidquid erit.*] Potionem abortivam ipse ei porrige bibendam. — *Distendere*. Gravidam fieri.

599. *Et vexare uterum.*] Quoniam pueri in eo saliant, id est, se movent.

600. *Aethiopsis fortasse pater.*] Forte servi tui. Mart. lib. VI, epig. 39:

Hic qui retorto crine Maurus incedit  
 Sobolem fatetur esse se coci Santræ.  
 — *Decolor heres*. Fuscus, niger, ex Aethiope patre et matre romana natus.

601. *Impleret tabulas.*] Testamenti tui : nam lege, filius tuus haberetur. — *Mane*. Quidquid ma-

Transeo suppositos, et gaudia, vota que sæpe  
 Ad spurcos decepta lacus, atque inde petitos  
 Pontifices Salios, Scaurorum nomina falso  
 Corpore laturos. Stat Fortuna improba noctu, 605  
 Arridens nudis infantibus: hos fovet omnes,  
 Involvitque sinu: domibus tunc porrigit altis,  
 Secretumque sibi mimum parat: hos amat, his se

ne, vel sub exordia rerum gerendarum occurrisset, id pro bono, aut malo omine habebatur. Ita Aethiopsis occursus ante pugnam Bruto et Cassio cladem, et Maurus obvius Hadriano Imperatori mortem præsignasse feruntur.

602. *Transeo suppositos.*] Supple infantes. — *Gaudia.* Patrum de liberis, et *vota* eorum, ut sibi nascantur filii.

603. *Decepta.*] Suppositione liberorum, quos matronæ divites et steriles ad *spurcos lacus* petebant, et supposito partu, pro suis obtrudebant. « Qui autem fuerint « *spurci lacus* non satis liquet. « Constat tamen, ait Alex. Rup. « Romæ infantes recens ex commercio nefando natos plerumque expositos fuisse ad columnam lactariam, in foro olitorio. « Hoc autem forum fuit propinquum monti Capitolino et Velabro, hoc est, planitiei inter Capitolinum, Aventinum et Palatinum montem, in quam aquæ

« etiam confluxisse videntur, postquam cloacis jam diu in Tiberim ductis siccata erat. Eo poetata respexisse et interpretes videntur ».

604. *Pontifices Salios.*] Exquisite *Salios* dixit poeta: nam, in hoc sacerdotum collegium, non nisi patricii juvenes, iique patrimi et matrimi cooptabantur. — *Scaurorum.* Quorumlibet nobilium. Simile tamen aliquid forte accidit in familia Scaurorum, ad quod alludit poeta. A.

605. *Improba.*] Cæca, sæpe indignis secunda, et dignis aversa. — *Stat.* Quasi ad lacus spurcos. — *Noctu.* Nam, tum pueri exponebantur.

606. *Arridens.*] Venusta hic Fortunæ imago, quam et personam facit poeta.

607. *Porrigit.*] Infert, ingerit. — *Domibus altis.* Familiis nobilibus, divitibus et antiquis.

608. *Secretumque.... mimum.*] Mysterii, vel infortunii filium,

V. 606. *Omnes.* Ita omnes codd. et edd. priscæ. Sed, inquit Al. Rup. « vox *omnes* aliena videtur: nam, non omnibus expositis infantibus « contingit tam felicibus esse, ut in nobiles familias recipiantur, sed plerumque fame pereunt. Præstiterit *alma*, vel *alis* ». Quid si, ut Marckland ianuit, et *Dusaulx* reposuit, legeretur *ulnis*, brachiis? Non male. At vulgatam, sine auctoritate alia, mutandam non judicavi.

Ingerit, atque suos ridens producit alumnos.  
 Hic magicos affert cantus, hic Thessala vendit 610  
 Philtra, quibus valeant mentem vexare mariti,  
 Et soleâ pulsare nates. Quod desipis, inde est;  
 Inde animi caligo, et magna oblivio rerum,  
 Quas modo gessisti. Tamen hoc tolerabile, si non

mox in scena mundi, quæ eadem est ac fortunæ, personam repræsentaturum.

609. *Ingerit his se.*] His insciis, sponte quasi se obtrudit.—*Ridens.* Ut supr. III, 39. jocatur.

Fortuna sævo læta negotio, et Ludum insolentem ludere pertinax, Transmutat incertos honores; Nunc mihi, nunc aliis benigna.

Horat. lib. III, od. 29, v. 49.

610. *Hic, etc.*] Nunc invehitur in amatoria pocula, et magicas artes mulierum, quæ viros etiam in furorem compellant.—*Affert,* mulieri. Profitetur se docturum illam *magicos cantus*, necromanticas incantationes.—*Hic Thessala vendit.* Ut Marsa et Ibera, epitheta in re magica passim obvia: nam, hi populi magicarum artium stu-

dio olim celebres erant, et terra eorum venenis ferax.—*Philtra.* Amoris pocula.

611. *Mentem vexare mariti.*] In furorem vertere. Tacit. Ann. XII, 66. *Agrippinæ venenum exquisitum placebat, quod turbaret mentem Claudii, et mortem differret.*

612. *Et soleâ pulsare nates.*] Facete, pro indigne tractare, ad libitum. Quid enim homini libero gravius esse potest, quàm a muliere eadem affici castigatione, quàm pueri et stulti, quibus nates virgis aut soleis cæduntur. Sic Lucian. in Philopseude: *ἐπεὶ σανδάλω γὰ χρυσῶ εἰς τὰς πυγὰς ὡσπερ τὰ παιδία πάλισθαι ἄξιοι ἂν εἶεν οἱ ἀπιστοῦντες.*—*Quod desipis.* Apostrophe ad Postumum.—*Inde est.* Illo philtro efficitur.

V. 609. *Atque suos.* Restitui ex omnibus codd. duobus exceptis, qui habent, *utque suos.*

V. 614. *Tamen hoc tolerabile si non.* Post hunc versum tres spurii referuntur a Probo, si fidem habeamus vet. schol.

Semper aquam portes rimosa ad dolia: semper  
 Istud onus subeas ipsis manantibus urnis,  
 Quo rabidus nostro Phalarim de rege dedisti.

Hos tamen egomet vidi eadem manu exaratos in pervetusto et optimo X sæculi codice Alexandrino, sive Suecorum reginæ, nec longe aberam quin eos in contextu reponerem. Exstant quoque apud duos alios codd. nostros: item, apud antiquiss. codd. Vallæ et Plathneri; nec a Juvenalis ingenio valde abhorrent.

Et furere incipias, ut avunculus ille Neronis, 615  
 Cui totam tremuli frontem Cæsonia pulli  
 Infudit. Quæ non faciet, quod Principis uxor?  
 Ardebant cuncta, et fractâ compage ruebant,  
 Non aliter, quàm si fecisset Juno maritum  
 Insanum. Minus ergo nocens erit Agrippinæ 620  
 Boletus, siquidem unius præcordia pressit  
 Ille senis, tremulumque caput descendere jussit  
 In cælum, et longam manantia labra salivam.  
 Hæc poscit ferrum, atque ignes, hæc potio torquet,

615. *Avunculus.... Neronis.*] Imp. C. Cæsar Germanicus Augustus, cognomine Caligula, frater Agrippinæ matris Neronis. Suet. in ejus vita : *Creditur potionatus a Cæsonia uxore, amatorio quidem poculo, sed quod eum in furorem verterit.*

616. *Frontem.... pulli.*] Hippomanem, de quo ante v. 133. — *Tremuli.* Frigore, ut recens nati.

617. *Quæ non faciet.*] Mulier tali exemplo incitata.

618. *Ardebant cuncta.*] Univerſum imperium. — *Et fractâ compage.* Metaphora petita ab ædificiis, quæ ruunt commiſſurâ lapidum ruptâ. — *Ruebant.* Tonante Caio.

619. *Non aliter.*] Quàm cælum terrarumque orbis peſſum irent, ſi Jupiter a Junone ( ut Caligula a Cæsonia) in furorem verteretur.

620. *Minus ergo nocens.*] Populo Romano fuit. — *Agrippinæ.* Claudii Imp. uxoris.

621. *Boletus.*] Venenatus fungus. Vid. ſupra ſat. V, v. 146. —

*Præcordia preſſit.* Vi veneni cor compressit. — *Unius senis.* Nam, Claudius exceſſit an. ætatis LXIV.

622. *Tremulumque caput.*] Alia lepida cauſa cur Agrippinæ minus nocens facinus fuerit, a Claudii deformitate petita. Sic enim ejus turpitudinem depingit historia : *risus indecens, ira turpior, ſpumante rictu, humentibus naribus: præterea linguæ titubantia, caputque cum ſemper, tum in quantulo-cumque actu, vel maxime tremulum.* — *Descendere jussit.* More ſuo, contraria jungens ſcoptice poëta ridet ἀπεθέωσιν Claudii, quem Seneca in ludo illo de morte C. Cæſaris, fingit inter Divos relatum quidem; ſed accuſante D. Augusto, in concilio Deorum damnatum, et a Mercurio obtorto collo ad inferos tractum eſſe: unde festive *descendere in cælum*, pro *ascendere* primum in cælum, et brevi poſt, ad inferos *descendere*.

624. *Hæc poscit*] Hæc autem

V. 624. *Et longam manantia labra salivam.* Ita XXV codd. Alii, *longâ manantia labra salivâ.* At noſtra doctior, et majori auctoritate firmata, quæ præterea vitat ὁμοιοτέλευτα.



Hæc lacerat mixtos Equitum cum sanguine Patres. 625  
 Tanti partus equæ ! tanti una venefica constat !  
 Oderunt natos de pellice : nemo repugnet,  
 Nemo vetet : jam jam privignum occidere fas est.  
 Vos ego , pupilli , moneo , quibus amplior est res ,  
 Custodite animas , et nulli credite mensæ. 630  
 Livida materno fervent adipata veneno.  
 Mordeat ante aliquis , quidquid porrexerit illa ,

potio , quam Caligula bibit a Cæsonia datam , *poscit ferrum* , etc. effecit , ut ille in furorem versus , posceret ferrum , ignes , et desæviret in Patres et Equites , eos torquens et lacerans.

625. *Mixtos Equitum* , etc.] Sine discrimine omnes ordines occisos.

626. *Partus equæ*.] Scil. Hippomanes , de quo sup. v. 133 , et 616. — *Tanti*. Supple pretii. — *Constat*. Hoc est , tantum pernocet reipub. In eodem fere sensu nostri dicunt : *Cette personne-là nous coûte cher* ; pro , nobis magnum affert damnum.

627. *Oderunt natos*.] Hic eximia exstat gradatio: primo, odium uxoris erga liberos mariti *natos de pellice* ; quod non adeo repugnat naturæ : secundo, *jam jam*, addit, nostris scil. temporibus , *fas est occidere privignum* , natum de alia uxore legitima : tertio , vos pupilli , scil. pueri qui patrem amisistis , et sub tutela matris vestræ

estis , quibus amplior res est , id est , dives hereditas percipienda , a vestra etiam matre , moneo , custodite animas , cavete ab insidiis ejus , præsertim , si secundas inierit nuptias. A.

630. *Nulli credite mensæ*.] Ne matris quidem vestræ.

631. *Adipata*.] Succulentæ dapes , optima edulia , adipe veluti condita. — *Livida*. Sic *lurida* , et *pallida aconita et vina* dicuntur.

632. *Mordeat ante* , etc.] Duo apud veteres *prægustatorum* ordines erant. Alii cibum *mordebant* , partem aliquantulam edebant ante , iique *prægustatores* , græce *ἔδεατροί* dicebantur : alii potum explorabant , et , a *potione* , vocabantur. Vetus lapis :

M. VLP. AVG. LIB.

PHÆDIMO. DIVI. TRAIANI. AVG.

A. POTIONE.

Hunc autem morem recentem et a Persis petatum ab Augusto Romæ allatum suspicabatur Lips. ad Ann. Tac. XII, 66.

V. 632 et 633. *Mordeat ante* , etc. Vet. schol. « Sequuntur hi duo verbi siculi , qui in aliis non sunt ». Hos quoque a quibusdam codd. abesse monet Valla. Et reipsa absunt in VI ex nostris codd. vel aliâ manu recentiori sunt restituti. Non tamen ab hoc loco sunt alieni , nec poetam dedecorant.

Quæ peperit : timidus prægustet pocula pappas.  
 Fingimus hæc, altum satirâ sumente cothurnum  
 Scilicet ; et finem egressi legemque priorum, 635  
 Grande Sophocleo carmen bacchamur hiatu,  
 Montibus ignotum Rutulis, cœloque Latino.  
 Nos utinam vani ! sed clamat Pontia : Feci,  
 Confiteor, puerisque meis aconita paravi,  
 Quæ deprensa patent : facinus tamen ipsa peregi. 640  
 Tune duos unâ, sævissima vipera, cœnâ ?  
 Tune duos ? Septem, si septem forte fuissent.

633. *Pappas.*] Græc. πάππας, venerationis nomen, quo infantes pædagogis suis, vel nutritiis, vel aleriis blandiebantur.

634. *Fingimus hæc.*] Scilicet, inquiet aliquis, egressus finem priorum satirographorum, Lucilii, Horatii, Persii, qui communia tractabant, hæc scelera ficta naras? Utinam hæc ficta fuissent!... — *Cothurnum.* De cothurno, vid. sup. v. 506.

636. *Grande... carmen.*] Magnifice pro, res tragicas cano divino spiritu afflatus. — *Bacchamur.* Ut Bacchantes. Sic quoque poëtæ ἐνθεουσιάζοντες, et tragici grandia, cum magno oris *hiatu*, proferunt. — *Sophocleo hiatu.* Eodem stylo et sublimitate, quâ usus est Sophocles in suis tragædiis.

637. *Montibus... Rutulis.*] Populi sunt Latii, quibus Turnus imperavit. Hic pro Italia tota sumitur. Sic : res inauditas populo Romano, et Italiæ gentibus.

638. *Nos utinam vani!*] Mendaces simus. *Vani* dicuntur men-

daces et infidi, et levia inaniaque pro gravibus et veris astutissime componentes. Gell. XVIII, 4. — *Pontia.* Drymionis uxor, cujus facinus horrendum memorat vetus lapis in Ge. Fabricii collect. Antt. p. 234.

PONTIA. TITI. PONTII. FILIA.

HEIC. SITA. SVM.

QVAE. DVOBVS. NATIS. A. ME.

VENENO. CONSVMTIS.

AVARITIAE. OPVS. MISERE. MIHI.

MORTEM. CONSCIVI.

TV. QVISQVIS. ES. QVI. HAC. TRANSIS.

SI. PIVS. ES. A. ME. OCVLVS. AVERTE.

639. *Aconita.*] Vid. sup. I, 158.

640. *Quæ deprensa.*] Inventa apud me — *Patent.* Id est, efficiunt scelus manifestum.

641. *Tune duos.*] Exclamatio poëtæ indignantis.

642. *Tune duos.*] Δεινῶς repetuntur hæc verba. — *Septem, si septem forte fuissent.* Respondet Pontia : sic *Medea*, apud Senec. act. ult.

Utinam superbæ turba Tantalidos meo Exisset utero, bisque septenos parens Natos tulissem ! Sterilis in pœnas fui.

Credamus tragicis, quidquid de Colchide torvâ  
 Dicitur, et Procne. Nil contra conor, et illæ  
 Grandia monstra suis audebant temporibus; sed 645  
 Non propter nummos. Minor admiratio summis  
 Debetur monstris, quoties facit ira nocentem  
 Hunc sexum, et rabie jecur incendente feruntur  
 Præcipites; ut saxa jugis abrupta, quibus mons  
 Subtrahitur, clivoque latus pendente recedit. 650  
 Illam ego non tulerim, quæ computat, et scelus ingens

643. *Credamus tragicis, etc.*] Sensus est: Si, nostris temporibus, Pontia tale facinus commisit, jam credamus vera esse, quæ tragici poëtæ de Medea et Procne fabulantur.—*De Colchide torva.* Colchis patria Medeæ (hodie *la Mingrèlie*) a qua et ipsa Colchis denominata est. Propert. lib. II, Eleg. 21:

Colchida sic hospes quondam decepit  
 Iason.

644. *Procne.*] Filia Pandionis, Athen. regis, et Terei Thracum regis uxor, satis ex Ovidio nota, quæ filium Ityn,

Tendentemque manus, et jam sua fata  
 videntem,  
 Et mater! mater! clamantem, et colla  
 petentem  
 Ense ferit.

645. *Grandia monstra.*] Scelera immania.

646. *Non propter nummos.*] Non lucri cupidine.—*Minor admiratio.*

Admiratio, hic pro horrore, indignatione, quam scelus excitat in nos. Minor ergo indignatio debetur sceleri, quod ex ira et rabie ferente procedit, etc. Cæterum, omnibus notum, *furens quid femina possit.* Virg. Aeneid. V, 6. Sic et Cicero Off. I, 8 extrem. *Permultum, inquit, interest in omni injustitia, utrum perturbatione aliqua animi, quæ plerumque brevis est, et ad tempus, an consulto et cogitato fiat injuria: leviora enim sunt quæ repentino aliquo motu accidunt, quàm ea, quæ meditata et præparata inferuntur.*

648. *Jecur incendente.*] Vid. sup. I, 45.—*Feruntur præcipites.* Nam, *furor iraque mentem præcipitant.*

649. *Ut saxa jugis.*] Comparatio.  
 650. *Clivoque latus, etc.*] Et quibus jugis latus recedit, *clivo*, vertice pendente, ruinam minitante.

651. *Quæ computat.*] Ad calculum quasi revocat facinus. Sic Se-

V. 643. *De Colchide torva.* Sic nostrorum codd. pars maxima. Quidam, *sæva.* Alii, sed paucissimi, *de Colchide terra.*

V. 644. *Procne.* Rectius ita scribitur, quàm *Progne*: nam, Græcis dicitur *Πρόκνη.*

Sana facit. Spectant subeuntem fata mariti  
 Alcestim ; et, similis si permutatio detur ,  
 Morte viri cupiant animam servare catellæ.  
 Occurrent multæ tibi Belides, atque Eriphylæ: 655  
 Mane Clytæmnestram nullus non vicus habebit.  
 Hoc tantum refert, quod Tyndaris illa bipennem  
 Insulsam et fatuam dextrâ lævâque tenebat ;

neca Epist. 14. *Nemo ad humanum sanguinem propter ipsum venit, aut admodum pauci: plures computant, quàm oderunt. Nudum latro transmittit: etiam in obsessa via, pauperi pax est.*

652. *Spectant.*] In theatro, in ludis. — *Subeuntem fata mariti.* Vitam Admeti morte sua redimentem: quod generosum et prope unicum uxorii amoris exemplum satis notum est, ex Eurip. et aliis tragicis. A.

653. *Permutatio.*] Nam, oraculum et Parcæ dixerant Admetum, quamvis finitum esset spatium vitæ, non moriturum esse, si alius pro eo mori vellet. Al. Rup.

654. *Morte viri.*] De hoc in catellas amore feminarum, multo plura invenirentur et apud veteres, et apud recentiores exempla. Mordax autem est illud Juvenalis dictum.

655. *Belides.*] Sive Danaïdes, satis ex fabula notæ. — *Eriphyla*, Talai filia, soror Adrasti, et uxor Amphiarai vatis, quæ maritum

latentem, ne duceretur ad bellum Thebanum, ubi se moriturum prævidebat, ipsa prodidit aureo monili corrupta a Polynice; et postea, cum a Thersandropeplum accepisset, Alcæonem filium ad arma cum Epigonis capienda adducere conata est.

656. *Clytæmnestram.*] Satis ex historia notam.

657. *Hoc tantum refert.*] Σωπτικῶς dicit poëta, hoc unum referre, id est, hoc discrimen esse inter Clytæmnest. et mulieres Romanas, quòd illa rudi ac simplici modo, scil. bipenni maritum occiderit; hæ autem majori calliditate ac subtilitate, parva scilicet potione venenata, doctæ per populum nigros efferre maritos, ad eundem finem perveniant.

658. *Insulsam et fatuam.*] Rudem et inhabilem. Hæc epitheta ad Clytæmnestram potius referenda sunt, quæ hic adumbratur nondum satis apta facinori, vel pro sceleris horrore mente turbata.

V. 654. *Cupiant.* Ea est lectio nostrorum codd. Quidam *cupient.*

V. 656. *Clytæmnestram.* Ex Al. Ruperti sic scripsimus, non *Clytemnestram*, nec *Clytemnæstram* ut cæteri omnes editores: nam græce dicitur, Κλυταιμνήστρα.

At nunc res agitur tenui pulmone rubetæ:

Sed tamen et ferro, si prægustaret Atrides

660

Pontica ter victi cautus medicamina regis.

659. *Tenui pulmone rubetæ.*] Ut supra sat. I, v. 70.

660. *Sed tamen et ferro.*] Supple res, scil. cædes maritorum nihilominus ageretur; *si, Atrides*, Agamemnon Atrei filius, Clytæmestræ maritus, etc. Hic, pro quovis marito sumitur. *Alors on emploierait le fer, si le mari, prudent*

*comme Mithridate, se précautionnait contre le poison. A.*

661. *Cautus.*] Ut sibi caveret, *prægustaret medicamina*, id est, antidotum, quod magna arte parari, et quo uti solebat adversus venena Mithridates, rex Ponti, qui ter, vel tribus bellis a Sulla, Lucullo et Pompeio victus est.

V. 660. *Prægustaret.* Hanc lectionem revocavi ex nostris codd. et edd. priscis. Pauci, *prægustavit*: quidam, sed pauciores *prægustabit*. *Dusaulx* solus legit *prægustârit*. Non male; sed sine auctoritate.

---

# SATIRÆ SEPTIMÆ

## ARGUMENTUM.

MENDICANT ARTES, SIC ROMA COEGIT AVARA.

Excellentissima satira, quâ ostendit litteratorum sui ævi miseriam, quæ tanta erat, ut quidam, et celeberrimi viri ad vilia quæque ministeria paupertate adigerentur. Solus enim Cæsar artes et studia fovebat; cæteri vero proceres ac divites, vel poëtas sterili admiratione prosequabantur, vel, cùm ipsi essent poëtæ, carmina carminibus rependebant; et, si quando ædes suas recitantibus publice commodarent, non ideo sump-tus, nec subsellia suppeditabant (1—47). Nihilo secius vates plerique laudis cupiditate adducti, versus concinnabant; cùm tamen mens, nisi expers curarum sit, non facile numine afflari divino, nec sensus excelsiores concipere queat; præsertim, si illi Mæcenates desint: inde ornatissima boni poëtæ adumbratio (51—71). Ad conditionem deinde historicorum (98—106), causidicorum, patronorum causarum et jurisconsultorum transit, quorum operam et doctrinam esse ingratas æque ostendit (107—149). Omnium ingratus labor, et merces vilissima Rhetorum atque Grammaticorum (150—214), qui continuis puerorum eadem recitantium declamationibus defatigati, a discipulis despecti, interdum male habiti, a parentibus mercede exigua remunerati, ac sæpe hujus mercedis parte defraudati, ærumnosam vitam agunt, a quibus tamen parentes multiplicem eruditionem, curam ingentem puerorum, perpetuamque vigilantiam postulant (215—243). His Alexander Ruperti addit: « Quæ Juvenalis de misera studiorum studio-  
« sorumque conditione disputavit, ad nostra quoque tempora  
« transferri possunt fere singula. » Quid de statu litterarum, litteratorumque conditione in Germania dicendum sit, nescio: nobis autem omnibus notum est; scilicet, in Gallia, non tantam

## 256 SATIRAE SEPTIMAE ARGUMENT.

esse eorum inopiam, quin infimæ etiam notæ scriptores hodiè multo ampliorem, quàm ipsi majores nostri, e suo labore mercedem percipiant: immo, quemdam novi tragœdiæ auctorem, in quem modicum illud opus plus famæ, dignitatum et nummorum, quàm in Cornelium ipsum, ipsumque Racinium optimorum operum collectio, contulit. Quid dicam de causidicis et pragmaticis, quorum eo quæstuosior est professio, quo apud quasdam gentes vilior et miserior? Non hîc *amethystina vendunt causidicum*, non pro eo spondet *Tyrio stlataria purpura flo*, sed crassa nigrique coloris toga; unde Gallia nostra dici recte semper potuit *nutricula causidicorum*. Quid de grammaticis, ludi magistris, mathematicis, fere omnibus sophistis, quales olim Athenis suggillavit Socrates, quibus, ut ipsi clamant, innata contigit scientia? Quid de fictarum narrationum, carminum, cantilenarum scriptoribus, inter quos nonnulli superbe vicos urbis vehiculis vecti terunt, atque miseros pedites luto conspergunt? O ter, quaterque beata Gallia! Quòd si tamen adeo mediocres plerique, jactanticuli, ventosi sint, neu in Cæsarem Musarum fautorem munificentissimum, neve in Gallos omnis doctrinæ avidissimos culpam inferas; sed in ipsos potius sciolos, qui, statim ut opes et divitias delibaverunt, *Musarum æde relictâ*, suæ famæ curam abjiciunt, avaritiæ aut ambitioni prorsus dediti, atria nobilium, magistratuum curiam perpetuo obsident, gratiam, mercedes, munera adulatione, callidis sordidisve artibus, aut saltem importunitate, rapturi: tempus enim illud effluxit, quo gloria tantum, et exoptanda fortunæ mediocritas litteratis præmium erat, et fere solus Apollo. Esto: doctum quandoque virum Fortuna sequatur; doctus vero nunquam Fortunam: nam, ait *Boileau*, Arte Poët. cant. IV:

Aux plus savants auteurs, comme aux plus grands guerriers,  
Apollon ne promet qu'un nom et des lauriers.

---

## SATIRA VII.

### LITTERATORUM EGESTAS.

**E**T spes, et ratio studiorum in Cæsare tantum:  
Solut enim tristes hac tempestate Camenas  
Respexit, cum jam celebres, notique poëtæ  
Balneolum Gabiis, Romæ conducere furnos  
Tentarent; nec fœdum alii, nec turpe putarent 5  
Præcones fieri, cum, desertis Aganippes

1. *Ratio studiorum.*] Id est, causa cur homines studio litterarum se dedant. — *In Cæsare tantum.* Quis fuerit ille Cæsar, cum omnes a Julio Cæsare Imperatores hoc nomine in actis publicis numismatibus et marmoribus designati fuerint, non constat inter viros doctos. Alii Neronem, quod non probabile est, intelligunt: nam, Neronis temporibus, Juvenalis nondum scribebat. Alii, Domitianum, non rectius forte: noster enim poëta non is erat, qui istiusmodi tyrannum laudaret. Quidam Nervam, Trajanum, Hadrianum etiam putant; nec ulla ratio est, cur hunc illumve præferamus. Ita rem in ambiguo relinquere melius est, quam adeo incertam exagitare. Multo plures tamen Trajanum volunt. Ego vero Hadrianum malim qui, teste Spartiano, principatûs sui initio, litteratos fovebat et remunerabatur. A.

3. *Respexit.*] Consolatus est, erexit. Sic Virg. Ecl. I, v. 28: Libertas, quæ sera tamen respexit inertem.

4. *Balneolum...conducere.*] Non, ut alii volunt, operam suam locare balnearioribus; sed, ipse balneariam artem exercere. — *Conducere furnos.* Artem pistoriæ, furnariæ exercere: uno verbo, ad artes sordidas se conferre, ut victum sibi quærerent. *Baigneurs ou boulangers.*

6. *Præcones.*] Quorum ars et vilis erat, et quæstuosa. Duplex erat præconum officium: aut cives, jubente magistratu, vel iudice, vel etiam divite patrono, vocabant, citabant, compellabant: hos Galli vocant *Huissiers*. Sic sat. I, vers. 99: *Jubet a præcone vocari:* aut, in atriis Liciniis, et aliis foro vicinis, sub auctione servos, *Oenophorum, tripodas, armaria, cistas, suppellectilem* aut agros, uno verbo, *meubles et immeubles* vendebant, Gall. *huissiers priseurs*; quod differt ab illo servili et conductitio officio quo funguntur apud nos miseri isti, quos vocamus *crieurs publics*. — *Desertis Aganippes vallibus.* Missis studiis. *Aganippe* autem, fons Heliconis, in Beotiâ, Musis sa-



Vallibus, esuriens migraret in atria Clio.  
 Nam, si Pieria quadrans tibi nullus in umbra  
 Ostendatur, ames nomen victumque Machæaræ,  
 Et vendas potius, commissa quod auctio vendit 10  
 Stantibus, œnophorum, tripodas, armaria, cistas,  
 Alcithoën Pacci, Thebas et Terea Fausti.  
 Hoc satius, quàm si dicas sub iudice, vidi,  
 Quod non vidisti. Faciant equites Asiani

cratus. Vid. prolog. Persii. A.

7. *Clio.*] Una e Musis, pro poëta quovis. — *Esuriens migraret in atria.* Divitum nobiliumque, patronos salutandi, vel sportulam petendi et accipiendi gratiâ. Gall. *faire antichambre.*

8. *Quadrans tibi nullus.*] Si ne minimæ quidem mercedis spes tibi ostendatur. *Quadrans* autem quarta pars assis. Vid. sat. I, 121, et VI, 447. — *Pieria... in umbra.* Melius *umbra* quàm *arca*; hoc est, in professione litterarum et ingenuarum artium, quæ in umbra, scil. domi, et in otio ac tranquillitate tractantur. *Pierius* autem mons in Macedonia Musis sacer.

9. *Machæaræ.*] Nomen præconis hâc tempestate noti, ut videtur seqq.

10. *Auctio.*] Sic dicitur, quòd pretium in illa a licitantibus augetur, Gall. *enchere*: ita, *auctio commissa*, quia licitatores stantes, circumstantes inter se quasi com-

mittuntur, ut licitando pugnent; et qui in hac pugna pluris licetur, rem pretio auctam reportet. — *Auctio vendit.* Novo dicendi genere, pro quod *venit in auctione.*

11. *Oenophorum.*] Vide supr. VI, 426. — *Tripodas.* Mensas, sellas, aut vasa tribus pedibus fulta. — *Armaria.* Scrinia in quibus libri, vasa, vestes, aliaque reponuntur. — *Cistas.* Capsas, capsulas.

12. *Alcithoën Pacci, etc.*] « Nomen fabularum tragicarum, simul ac ineptorum poëtarum, qui eas scripserunt ». Sic vet. schol. « *Alcithoë*, Ἀλκιθόη, inquit « Al. Rup. non *Alcathoë*, Ἀλκαθόη, dicebatur mulier Thebana quæ, sprete Bacchi orgiis, in vesperationem mutata est. »

13. *Sub Iudice.*] Hoc est, coram. — *Dicas... vidi, quod non vidisti.* Scil. dicas falsum testimonium.

14. *Equites Asiani.*] Olim servi ex Asia, Cappadocia et Bithynia

V. 8. *In umbra.* Duobus exceptis et vet. schol., omnes codd. habent: *in arca.* Cur illam huic prætulerim lectionem, vid. supra.

V. 12. *Alcithoën.* Magna in his nominibus legendis varietas. Alii *Alcinoën*, vel *Alcinoëm*, vel *Alcionem*. Pro sequenti nomine *Pacci*, alii legunt *Baccii*, alii aliter: sed, hæc parvi sunt momenti.

Quantum, et Cappadoces faciant, equitesque Bithyni,  
Altera quos nudo traducit Gallia talo. 16

Nemo tamen studiis indignum ferre laborem

Cogetur posthac, nequit quicumque canoris

Eloquium vocale modis, laurumque momordit.

Hoc agite, ô juvenes! circumspicit et stimulat vos, 20

Materiamque sibi ducis indulgentia quærit.

Romam traducti, qui liberti, et civitate donati, per malas artes ad censum equestrem pervenerunt. Sic omnes interpretes: ego vero, non hæc revera dici existimo de servis ad censum equestrem provectis, qui, tunc temporis, non adeo frequentiores erant Romæ; sed, de istis nebulonibus pessimis, et de industriâ viris, qui quotidie, ut apud nos, nobiles fictitii, *chevaliers d'industrie*, et plerumque *nudis pedibus*, ex provinciis in Urbem affuebant, opes et divitias quæsitura, quas, mox, per furtum, delationem et perjuriam sibi pararent. A.

15. *Cappadoces faciant.*] Cappadoces, Cretes et Cilices dicuntur habere studium naturale ad falsa testimonia proferenda. Unde illud ap. Suid. proverbium. Τρία κίππα κίκισα, scil. Κρήτες, Καππάδοκες καὶ Κίλικες.

16. *Altera Gallia.*] Galatia, seu Gallo-Græcia. — *Nudo talo.* Nudis pedibus; quod infimæ et miserabilis fortunæ indicium est. Sic in *Tartuf. act. I*:

Un gueux qui, quand il vint, n'avait pas de souliers,  
Et dont l'habit en tout valait bien six deniers.

17. *Studiis indignum.*] Inhonestum doctis hominibus, ut conducere furnos aut balnea, etc.

18. *Cogetur.*] Egestate. — *Nequit quicumque.* Venusta boni poetæ periphrasis.

19. *Eloquium vocale.*] Carmen grande et sonorum. — *Modis, canoris.* Sonoris versibus, et apta modulatione suavibus. *Modi, τόνοι, μέλη,* numeri, modulationes. — *Laurumque momordit.* Poëta, et sacer Apollini vates mordebat laurum; quo morsu, divinitus inspirari credebatur; hinc illud Tibulli II, Eleg. 5, 63:

Vera cano, sic, usque sacras innoxia laurus

Vescar. . . . .  
Hinc quoque, vates *δαφνηφόροι* vocabantur. Ad quod alludens *Vindocinensis poëta*, sic olim cecinit, inter Lædi virentia prata, Vindonesque puellas:

D'un gosier *mâchelaurier*,  
J'oy crier,

Dans Lycophron, ma Cassandre.

20. *Hoc agite.*] Proprie verba ministri in sacris: hic, verba hortantis ad carmina scribenda.

21. *Materiam.*] Exercendæ suæ in vos munificentiae occasionem quærit. — *Ducis.* Scil. Imperatoris indulgentia, liberalitas.

Si qua aliunde putas rerum exspectanda tuarum  
 Præsidia, atque ideo croceæ membrana tabellæ  
 Impletur, lignorum aliquid posce ocus, et quæ  
 Componis, dona Veneris, Thelesine, marito; 25  
 Aut claude, et positos tineâ pertunde libellos.

22. *Si... aliunde.*] Ab aliis, quàm a principe.—*Putas rerum exspectanda tuarum præsidia.* Aliquos fortunæ tuæ tutores et defensores.

23. *Croceæ membrana tabellæ impletur.*] Docte, pro, si carmina, vel libri a te scribuntur. Stylo autem Romani vulgo utebantur, et tabulâ ceratâ, quam vocabant quoque pugillarem codicillum, Græc. *πινακίδιον, δέλτος*, Gall. *tablette*. Quæ ratio scribendi expeditior in usu erat, cùm res tantum leves notarentur, vel epistolæ mitterentur. At scriptores philosophi et historici, atque etiam poëtæ, et omnes quibus diuturni laboris opus scribendum esset, membranâ utebantur, quæ erat bicolor, id est, alba ab interiore parte, et ab altera, quâ pili fuerant, *crocea*. Ita, hoc loco, *tabellæ membrana croceæ*, erit, ex quorundam interpretum mente, volumen ex membranis confectum, a parte pilorum croceis; vel, ut alii volunt, volumen oleo cedri, aut citri, cui color croceus est, inunctum, ut a carie et tineis tutum esset. Nobis vero aliter: nam, etsi vulgo membranas, unam alteri jungentes, in modum longi panni, volverent circa teretem baculum citreum, eburneum, aut quovis alio ligno, um-

bilicum appellatum; aliquando tamen, et sæpe, libri, ut apud nos, in folia et paginas dividebantur, et tabellis cedrinis, pro tegmine, muniebantur: quod patet ex aliis scriptoribus; et, ne extra quæramus auctoritates, ex hac ipsa sat. v. 100:

Atque oblita modi millesima pagina surgit.

In hoc igitur nostro sensu, perfacilis erit hujus loci explanatio: nam, *membrana*, id est, folium (numerus sing. pro plur. ut sæpe fit ap. poëtæ), vel potius, *folia* ex membranis confecta, *tabellæ croceæ*, libri cujus *tabella*, id est, tegmen, *la reliure* est *crocea*; ut apud nos diceretur: *un livre relié en maroquin citron*. A.

24. *Lignorum aliquid posce.*] Ut libros a te scriptos comburas. Sensus est: oleum et operam perdidisti; quo et reliqua verba 25 — 29 spectant. Al. Rup.

25. *Veneris... marito.*] Vulcano, scilicet igni. — *Thelesine*. Nomen cujusvis poëtæ, ad quem hæc scripta est satira. Forte idem de quo Martial. lib. III, epig. 40, VI, 50, XII, 25.

26. *Tineâ pertunde.*] Id est, tineis ac vermibus pertundendos et absumendos permitte.

V. 25. *Componis.* Codd. multi habent *conscribis*, quod glossam redolet.

Frangere miser calamos, vigilataque prœlia dele,  
 Qui facis in parvâ sublimia carmina cellâ,  
 Ut dignus venias hederis et imagine macrâ.  
 Spes nulla ulterior: didicit jam dives avarus 30  
 Tantum admirari, tantum laudare disertos,  
 Ut pueri Junonis avem. Sed defluit ætas  
 Et pelagi patiens, et cassidis, atque ligonis:  
 Tœdia tunc subeunt animos, tunc seque suamque  
 Terpsichoren odit facunda et nuda senectus. 35  
 Accipe nunc artes, ne quid tibi conferat iste  
 Quem colis, et Musarum, et Apollinis œde relictâ:

27. *Frangere miser calamos.*] Mar-  
 tial. lib. IX, epig. 75:

*Frangere leves calamos, et scinde, Thalia, libellos,*

Si dare sutori calceus ista potest.

— *Vigilataque prœlia.* Carmina de prœliis heroïca, *vigiliis* et multo labore a te scripta.

28. *Parvâ... cellâ.*] Inopiam poëtarum nota, ut supra, *tertia tabulata.* Sat. III, 199.

29. *Hederis.*] Coronabantur olim *hederâ* victores poëtæ et oratores, in agone musico. Hinc Romæ, in bibliothecis tum privatis tum publicis, imprimis Apollinis Palatini, imagines et statuæ doctorum virorum dedicari, et semper *hederâ* virenti coronari solebant. — *Imagine macrâ.* Quæ referat maciem ac pallorem poëtæ, ex assiduo labore ac studio contractum.

30. *Spes nulla ulterior.*] Nulla tibi merces alia eveniet, præter *imaginem macram.*

32. *Ut pueri.*] qui cæca admiratione, non recto animi judicio re-

guntur. — *Junonis avem.* Pavonem.

33. *Pelagi.*] Commerciî maritimi. — *Cassidis.* Militiæ. — *Ligonis.* Agriculturæ.

35. *Terpsichoren.*] Unam e Musis, pro studio poëtico. — *Facunda et nuda senectus.* Poëta senex, facundia clarus, sed nudus et pauper.

36. *Accipe nunc artes.*] Artificia quibus *iste, quem colis,* patronus utitur, ut nihil præmii, adjumenti *conferat,* dare cogatur.

37. *Musarum et Ap. œd. relictâ.*] Ad poëtam hæc referenda sunt; ut sit sensus: *ne iste, patronus dives, quem colis, relictâ œde Mus. etc.* id est, propter quem relinquis, negligis Musarum commercium, et doctorum conventum, *aliquid conferat tibi; versus ipse facit.* Quidam hæc, sed male, nostro judicio, ad patronum ipsum referunt, interpungentes post *colis;* et sic interpretantur: *Ipse patronus, relictâ œd. Mus. et Ap. id est, vel spreto doctorum judicio, versus facit.* A.

Ipse facit versus, atque uni cedit Homero  
 Propter mille annos. At, si dulcedine famæ  
 Succensus recites, Maculonus commodat ædes; 40  
 Ac longe ferrata domus servire jubetur,  
 In qua sollicitas imitatur janua portas.  
 Scit dare libertos extrema in parte sedentes  
 Ordinis, et magnas comitum disponere voces.  
 Nemo dabit regum, quanti subsellia constant, 45

38. *Ipse facit versus.*] Ut carmina carminibus compenset. Nota est historia cujusdam Græculi poëtæ qui, cum Augustus ei versum versu, et epigramma epigrammate rependisset; principi paucos offerens denarios, callide dixit: εἰ πλέον εἶχον, πλέον ἐδίδουν: si plus haberem, plus tibi darem.

39. *Propter mille annos.*] Non propter ingenii carminisque præstantiam; sed tantum propter vetustatem.

40. *Maculonus.*] Dives patronus. — *Commodat ædes.* Ut *Fronto hortos.* Sat. I, v. 12.

41. *Ferrata domus.*] Ferro, clavisque ferreis munita. — *Servire jubetur.* Usui esse poëtæ ad recitandum.

42. *In qua sollicitas, etc.*] Cujus janua non est minus munita, quam porta urbis sollicitæ et

anxiæ metu hostium. — *Janua.* Proprie est privatarum ædium; *porta urbium.* Hic taxat luxum Romanorum in ædificiis privatis exstruendis, instar urbium.

43. *Scit dare libertos.*] Qui tibi recitanti applaudant. — *Extrema in parte sedentes.* Ne conspiciantur.

44. *Ordinis.*] Subselliiorum. — *Disponere voces.* Præparare, ut, signo dato, a μεσοχόρω acclament. — *Comites.* Clientes. Similes autem voces, pretio vestis aut cœnæ mercabantur poëtæ. Horat. in Art. poët.

Ut præco, ad merces turbam qui cogit emendas!

Assentatores jubet ad lucrum ire poëta.

45. *Regum.*] Optimatum, divitum, ut supra I, 136. Sic, *dabit quanti subsellia constant, rex,* patronus tuus, ne sumptus quidem suggeret, qui faciendi sunt

V. 39. *At si, etc.* Ita XX ex nostris codd. Alii, *aut si, vel sed si.* Illa vero magis arridet.

V. 40. *Maculonus.* Vetus scholion est: alii, *sordidas ædes;* alii, *pictas.* Unde suspicabantur quidam in vetustissimis codd. jam temporis lapsu perditis, scriptum fuisse *maculatas,* pro *maculonus* non aliunde notus. Quæ conjectura certe non inepta est.

Et quæ conducto pendent anabathra tigillo,  
 Quæque reportandis posita est orchestra cathedris.  
 Nos tamen hoc agimus, tenuique in pulvere sulcos  
 Ducimus, et littus sterili versamus aratro.

ad conducenda, disponenda ac reportanda subsellia, etc. Tacit. vel auct. Dialog. de orat. cap. 9, de Basso poëta: *Cum toto anno, per omnes dies, magna noctium parte, unum librum excludit et elucubrat, rogare ultro et ambire cogitur, ut sint qui dignentur audire; et, ne id quidem gratis: nam, et domum mutuatur, et auditorium exstruit, et subsellia conducit, et libellos dispergit..... Nec aut amicitiam inde refert, aut clientelam, aut mansurum in animo cujusquam beneficium, sed clamorem vagum, et voces inanes, et gaudium volucre.*

45—47. *Subsellia.*] Hos versus illustravit Just. Lipsius in epist. ad Belgas, Cent. II, epist. 48. « Juvenalis tria ostendit in his « auditoriis fuisse, Subsellia, Anabathra, Orchestra: *Subsellia*, « in medio ac planitie, atque, ut « ita dicam, æquore atrii (*les bancs du parterre*): *Anabathra*, ad « latera, quæ assurgerent gradatim, et per scalas, theatri « more, subselliis exstructis aliis « super alia: denique *Orchestra*, « e *cathedris*, quæ in fronte ante ipsum recitantis suggestum, « dispositæ honestioribus, extra « auditorum plebem, plane ut « in theatris, ubi inferiore et primore illa parte primores et senatores sedebant. Schol. vetus: « *Orchestra*, inquit, *spatium in theatro dicitur quod pantomimo saltanti vacat; ejusmodi autem et*

« poëta eligit in quo stans (vel « etiam sedens in pulvino) recitet, ante tabulata. »

46. *Anabathra.*] A Græco ἀναβαίνω, ascendo, gradus superiores scansiles, ad quos respondent Gall. *les loges ou l'amphithéâtre.* — *Pendent.* Eleganter, ob altitudinem. — *Tigillo.* A tigno (*solive, appui, travée*), e materia lignea. — *Conducto.* Non commodato, nec mutuato, sed, ducto cum, vel circa, id est, subjecto ad tabulata fulcienda. A.

47. *Reportandis.*] Quia, vel ab alio commodatæ sunt, vel e suis locis huc collatæ.

48. *Nos.*] Bene: nam, poëta loquitur, et suam quoque stultitiam damnat. — *Hoc agimus.* Versus facimus.

48 et 49. *Tenui in pulvere, etc.*] Scil. frustra laboramus. Ita proverbii loco dicitur: *Arenæ mandare semina, et, littus arare. Semer sur le sable. Boileau, sat. VIII.*

Après cela, docteur, va pâlir sur la bible,  
 Va marquer les écueils de cette mer terrible.

.....  
 Afin qu'en ta vieillesse, un livre en maroquin  
 Aille offrir ton travail à quelque heureux faquin,  
 Qui pour digne loyer de ta bible éclaircie,  
 Te paie, en l'acceptant, d'un je vous remercie.

Nam si discedas, laqueo tenet ambitiosi 50  
 Consuetudo mali: tenet insanabile multos  
 Scribendi cacoëthes, et ægro in corde senescit.  
 Sed vatem egregium, cui non sit publica vena,  
 Qui nil expositum soleat deducere, nec qui  
 Communi feriat carmen triviale monetâ, 55  
 Hunc qualem nequeo monstrare, et sentio tantum,

50. *Nam si discedas.*] Si velimus a poësi discedere, et utilioribus studiis animum applicare.—*Ambitiosi... mali.* Ut supra *Ambitiosa paupertas* sat. III, 182. *Ambitio*, proprie popularis gratiæ studium, et captatio ad obtinendos honores, deinde vanæ gloriæ affectatio.—*Consuetudo.* Fit, ut aiunt, altera natura. Inde D. Augustinus, Confess. VIII: *Ex voluntate perversâ facta est libido, et dum servitur libidini, facta est consuetudo, et diù consuetudini non resistitur, facta est necessitas.*

52. *Scribendi cacoëthes.*] Κακὸν ἦθος, malus mos, natura, ingenium. Medicis κακὸς ἦθος dicitur, quod curatu difficile, vel insanabile est, carcinoma, vel aliud ulceris genus.—*Ægro in corde.* In animo, qui morbo scribendi laborat.

53. *Sed vatem egregium.*] Ordo est: sed, *animus carens anxietate, cupidus silvarum, aptusque, etc., facit egregium vatem, cui, etc.* Ornata autem, et nimis forte, poëtæ egregii adumbratio, cui comparatur eadem, sed et concinnior, et venusta magis, in his duobus Horat. verss. lib. II, sat. 4, v. 43: *Ingenium cui sit, cui mens diviniore, atque os*

Magna sonaturum, des nominis hujus honorem.

—*Publica vena.*] Vulgare ingenium. *Vena* autem facultas poëtica, metaph. ducta a metallis et fontibus, unde et nobis quoque dicitur, *une vcine féconde*; Anglis, *poëtical vein.*

54. *Nil expositum.*] Tritum, notum omnibus, jam antea multoties expositum, Lucret.

Avia Pieridum peragro loca nullius ante

Trita solo. . . . .

—*Deducere.* Scribere: translatio a mulieribus quæ, nendo pensa deducere dicuntur: nam, deducere, est lanam in fila trahere: unde Horat. lib. II, epist. I, 225. *Tenui deducta poemata filo.*

55. *Communi feriat carmen triviale monetâ.*] Ornate, pro stylo vulgari, plebeio, et ingenio demisso scribat. Similitudo petita a nummis unius notæ ac formæ, qui in manibus omnium perpetuo versantur, quique eandem præ se ferunt speciem.—*Ferire carmen.* In Ovid. I. Trist. eleg. ult.

Dum ferit Aoniâ carmina culta lyrâ.  
 In Calpurn.

Seu cantare juvat, seu ter pede læta ferire

Carmina. . . . .

Anxietate carens animus facit, omnis acerbi  
 Impatiens, cupidus silvarum, aptusque bibendis  
 Fontibus Aonidum. Neque enim cantare sub antro  
 Pierio, thyrsumve potest contingere sana 60  
 Paupertas, atque æris inops, quo nocte dieque  
 Corpus eget: satur est, cùm dicit Horatius, *Euœ!*

57. *Omnis acerbi impatiens.* ] Qui nihil mali aut molesti patitur, sentit.

58. *Cupidus silvarum.* ] Horatius: Scriptorum chorus omnis amat nemus et fugit urbes, Rite cliens Bacchi somno gaudentis et umbrâ.

— *Aptusque bibendis.* Cui poëticum a natura tributum est ingenium.

59. *Fontibus Aonidum.* ] Scilicet Musarum, quibus in Aonia parte Beotiae montana, præter Heliconem montem, erant etiam aliqui sacri fontes, ut Hippocrene et Aganippe, de quibus qui bibebant, numine Musarum afflari credebantur. — *Cantare sub antro Pierio.* Digna Musis et Apolline promere.

60. *Pierio.* ] Vide sup. v. 8. — *Thyrsum contingere.* Hoc est, furorē, ἐνθουσιασμὸν concipere, quem tractatio, percussio *Thyrsi*, hastæ hederæ et pampinis cinctæ, quæ Bacchus et Bacchæ utebantur, immittere credebatur: unde, θυρσοπλήγες, insanientes in orgiis Bacchi. Baccho autem cum Apolline Parnassi commune imperium, poëtarum tutela, et en-

thusiasmus tribuitur. Al. Rup.

61. *Paupertas sana.* ] Hoc loco *sana*, non apta furori poëtico, sui compos, sobria nimis.

62. *Corpus eget, etc.* ] Hunc versum et præcedentem sic imitatus est *Boileau*, Art. poët. lib. IV:

Un auteur, qui pressé d'un besoin importun,  
 Le soir, entend crier ses entrailles à jeun,

Goûte peu d'Hélicon les douces promenades;

Horace a bu son saoul, quand il voit les Ménades.

— *Satur est.* Hoc facete, pro non jejunos erat Horatius, cùm, etc. Hoc loco, Juvenalis respexisse videtur ad Horat. od. 19, lib. II, in qua, carmina præclara fundit, imprimis lyrica, et dithyrambica, phantasie plena; quæ quidem sic incipit:

Bacchum in remotis carmina rupibus  
 Vidi docentem, etc. . . . .

— *Euœ!* Nota vox Baccharum, εὐοῖ, et exclamatio, cùm præsentis numinis sensu perturbarentur, ac furerent: unde Bacchæ εὐοῖαι γυναῖκες dicuntur passim, et ipse Bacchus Εὐῖος, Evius.

V. 60. *Sana.* Ita codd. plerique et optimi. Quidam, ut vet. schol. *mæsta.*

V. 61. *Euœ!* Vox illa apud omnes fere codd. corrupta est. Lectionem Al. Rup. recepimus; utpote quæ sola etymologiam servat.



Quis locus ingenio, nisi cùm se carmine solo  
 Vexant, et dominis Cirrhæ, Nysæque feruntur  
 Pectora nostra duas non admittentia curas? 65  
 Magnæ mentis opus, nec de lodice paranda  
 Attonitæ, currus, et equos, faciesque Deorum  
 Aspicere, et qualis Rutulum confundat Erinnyes.  
 Nam, si Virgilio puer, et tolerabile deesset

63. *Quis locus ingenio.* ] Exer-  
 endo. — *Nisi cùm se.* Eleganter  
 pro, nisi cùm solo furore poëti-  
 co (poëtæ) agitantur, vexantur.

64. *Et dominis Cirrhæ, etc.* ] Or-  
 do est: et nisi cùm pectora nos-  
 tra duas non admittentia curas  
 feruntur, rapiuntur a dominis  
 Cirrhæ et Nysæ, id est, ab Apol-  
 line et Baccho. *Cirra* autem urbs  
 Phocidis, et navale Delphorum  
 oppidum Apollini sacrum; unde  
 Cirrheus quoque vocatur. —  
*Nysæ.* Permultæ hujus nominis  
 fuerunt urbes (XI, ut aiunt),  
 omnes Baccho dicatæ. Forsan hic  
 designatur unus e Parnassi ver-  
 ticibus *Nysa* quoque dictus, et  
 eidem Baccho sacer.

65. *Duas... curas.* ] Scil. rei do-  
 mesticæ, et studii litterarum.

66. *Magnæ mentis opus.* ] Sen-  
 sus est: Aspicere currus et equos,  
 faciesque Deorum, ut Virgilius,  
 et qualis Erinnyes confundat Ru-  
 tulum, est *opus* magnæ mentis, et  
 non attonitæ de lodice paranda.  
 Sic interpretes; ego vero, malim:

*magnæ mentis opus est aspicere,*  
 ad aspiciendum, etc. Sed inter  
 utrumque sensum parva inest  
 dissidentia. — *Lodice.* De vili stra-  
 gulo lecti, ut supra VI, 196: hic,  
 pro quovis vestimento. A.

67. *Attonitæ.* ] Sollicitæ, anxietatis.

68. *Rutulum.* ] Turnum. — *Con-  
 fundat.* Animum ejus ita pertur-  
 bet, ut, in furorem vertetur. —  
*Erinnyes.* Una e Furiis, *Alecto*, de  
 qua Virg. (ad quem locum Ju-  
 venalis respicit), *Aeneid.* lib.  
 VII, 445 et seqq.

Talibus *Alecto* dictis exarsit in iras.  
 At juveni oranti subitus tremor occu-  
 pat artus;  
 Deriguere oculi: tot Erinnyes sibilat  
 hydriis,  
 Tantaque se facies aperit. Tum flam-  
 mea torquens  
 Lumina cunctantem, et quærentem di-  
 cere plura,  
 Repulit, et geminos erexit crinibus  
 angues,  
 Verberaque insonnit, rabidoque hæc  
 addidit ore.

69. *Puer.* ] *Servus.* — *Tolerabile  
 deesset hospitium.* Deesset simplex

V. 64. *Cirrhæ Nysæque.* Plerique habent *Cyrrhæ Nisæque.* At Græce  
 scribitur Κίρρῶν et Νύσα.

V. 65. *Nostra.* Quidam habent *vestra*, quasi Juvenalis poëtas alloquatur.

V. 69. *Deesset.* Plerique codd. habent *desit.* Sed, inquit Rupert. hæc  
 emendatio est scholastici cujusdam metro timentis.

Hospitium, caderent omnes a crinibus hydri : 70  
 Surda nihil gerneret grave buccina. Poscimus, ut sit  
 Non minor antiquo Rubrenus Lappa cothurno,  
 Cujus et alveolos, et lænam pignerat Atreus.  
 Non habet infelix Numitor, quod mittat amico ;

quidem, sed commoda et nitida domus.

70. *Caderent a crinibus.* ] Alec-  
 tūs, quæ tot sibilat Hydris, ser-  
 pentibus, ut supra.

71. *Surda nihil gerneret.* ] Id est,  
 non tam gravi, horrendo reso-  
 naret buccina sonitu Furia. Ad  
 hos respicit Virgilianos, Aeneid.  
 VII, 513 :

Pastorale canit signum, cornuque re-  
 curvo

Tartaream intendit vocem; quâ pro-  
 tinus omne

Contremuit nemus, et silvæ intonuere  
 profundæ.

Audiit, et Triviæ longe lacus. . . .  
 Et trepidæ matres pressere ad pectora  
 natos.

Illud vero est (69 — 71) dictum  
 pro: Virgilius si pauper fuisset,  
 non scribere potuisset Aeneidem  
 divinum carmen, cum inventio-  
 nis subtilitate, tum narrationis  
 præstantia excellens et admiran-  
 dum. Virgilius autem, si Donato  
 fides adhibenda, in vita ejus cap.  
 6. *possedit prope centies sestertidm,  
 ex liberalitate amicorum, habuitque  
 domum Romæ in Esquiliis, juxta  
 hortos Mæcenatis.* Al. Rup.

72. *Non minor.* ] Poscimus, ut

*Rubrenus Lappa* cujus, etc. non  
 sit *minor*, inferior veteribus poë-  
 tis. — *Rubrenus Lappa.* Poëta tra-  
 gicus pauper illius ævi, non aliun-  
 de notus. — *Antiquo cothurno.* Pris-  
 cis poëtis tragicis. De Cothurno  
 vide sat. VI, 506 et 634.

73. *Cujus lænam pignerat Atreus.* ]  
 Id est, cujus tragædia, quam scri-  
 bit de Atreo, *pignerat*, in causa  
 est, cur pignori opponere cogatur,  
 ob inopiam, vestes et supellec-  
 tilem, ut alimenta emat. Sic in-  
 terpretes: ego vero satiricam ma-  
 gis, et subtiliorem forte inter-  
 pretationem hanc propono: cujus  
*Atreus*, tragædia quam nunc scri-  
 bit, *pignerat alveolos et lænam*, est  
 pignus pretii vasorum et vestis,  
 quæ ære alieno emit: quod  
 idem est, ac si obrutus alieno  
 ære, creditoribus suis se solutu-  
 rum promisisset, cum, tragædiâ  
 scriptâ et actâ, pretium ejus et  
 mercedem recepisset. — *Alveolos.*  
 Paropsides. Vid. sup. V, 88. —  
*Lænam.* Vestimenti genus. Sup.  
 III, 283. A.

74. *Numitor.* ] Dives romanus.  
 — *Infelix.* Ironice. Infelix enim  
 est, ut sunt divites plerique, per-  
 verso judicio, et malo usu opum.

V. 73. *Alveolos.* XXV MSS. habent *albiolos*, ut edd. priscae aliquot;  
 sed vitiose illud, et profectum ex vulgari permutatione litteræ *v* in *b*:  
 qua de re, vid. Al. Rup. ad Sil. Ital. VIII, 473 et 543.

Quintillæ quod donet, habet: nec defuit illi, 75  
 Unde emeret multâ pascendum carne leonem  
 Jam domitum: constat leviori bellua sumptu  
 Nimirum, et capiunt plus intestina poëtæ.  
 Contentus famâ jaceat Lucanus in hortis  
 Marmoreis: at Serrano, tenuique Saleio 80  
 Gloria quantalibet quid erit, si gloria tantum est?  
 Curritur ad vocem jucundam, et carmen amicæ

75. *Quintillæ.*] Amicæ et metrici.

76. *Unde emeret.*] Mansuefactas alere feras in divitum deliciis Romæ erat: quod hic taxat poëta.

77. *Constat leviori bellua sumptu.*] Ironice: poëta nimirum plus devorat quàm leo.

79. *Lucanus.*] M. Annæus Lucanus L. Annæi Melæ, fratris Senecæ, filius, ditissimus eques Romanus, poëmatis de Pharsalico bello auctor. — *Contentus famâ.* Quia, sat divitiarum habet. *Famam* tamen viventis Lucani obscurare conatus erat Nero; at, post mortem ei non invidit, ut intelligitur ex veteri hac inscriptione:

M. ANNAEO. LVCANO.  
 CORDVBENSI. POETAE.  
 BENEFICIO. NERONIS.  
 FAMA. SERVATA.

— *Jaceat... in hortis.* Expers curarum. *Jaceat* in lectulo, scil. lucubratorio, in quo veteres scribere solebant. — *In hortis marmoreis.* In hortis plerumque etiam scri-

bebant poëtæ; ut ipse testatur Ovid. lib. I, trist. eleg. ult.

Non hæc in nostris, ut quondam, scribimus hortis,

Nec consuete meum lectule corpus habes.

— *Marmoreis.* Qui marmore, columnis marmoreis et statuis exornati sunt.

80. *Serrano.*] Poëtæ pauperi, et ære alieno obstricto, cujus ita meminit Mart. IV, ep. 37:

Trecenta debet Titius, hoc bis Albinus,

Decies Sabinus, alterumque Serranus.

— *Tenuique Saleio.* Pariter poëtæ pauperi, ut indicat *tenui* epitheton, cujus meminit Tacitus, sestertiis quingentis a Vespasiano donati. Quintil. lib. X, cap. 1.

82. *Curritur.*] Hic insignem poëta laudat dulcedinem carminum et vocis facundæ Statii, ad quem audiendum affluebant omnes. — *Amicæ.* Gratæ omnibus, et acceptæ. Hæc, de Statio poëta, non sine subtili cavillatione dicuntur nonnulli, præsertim Ri-

V. 80. *Marmoreis.* In V codd. scribitur *marmoreus*; quam lectionem vitiosam certe defendit ita Schurzfl. citatus interdum ab Al. Rup. qui ita legebat: *Jaceat Lucanus in hortis marmoreus; sit Serrano, tenuique Saleio gloria quantalibet, etc.* ut sententia hujus loci esset: statuas po-

Thebaidos, lætam fecit cùm Statius Urbem,  
Promisitque diem: tanta dulcedine captos

galtius, qui monet poëtam de Statio ut de lenone loqui: quod vix credendum est; certe non nisi v. 87, et forte, ne ibi quidem: at, v. 82 — 85, ut de meretrice *amica*, cujus *vox jucunda* est, quæ *promittit* noctem, quæ *dulcedine magnâ captos afficit animos*, magnaue *libidine auditur*. Ad hæc Henninius: « Acute, inquit, Rigaltius vidit nostrum, non sine quâdam invidiâ, et æmulatione de Statio, ceu lenone loqui, forte, quod nimio calamistrorum lenocinio carmina sua, præcipue desultoria, inureret; vel, et quod nimium parasitarum retur apud lautiores, quorum auribus insidias fecisse ostendunt hodieque Silvæ Papinii. Cùm vero constet, occultam quamdam dissentionem fuisse inter Statium et Martialem, ut docuit accurate (*immo argumentis admodum levibus*) Gevarr. lectt. Papin. c. 35, et Martiali Juvenalis amicissimus fuerit, licebit conjicere Statium tangi Martiali VII, 23; et, ideo etiam, a Juvenale satirica bile in transitu notatum; idque multo magis, ob superbam illam Thebaidos perorationem, quâ suimet ipse buccinator ampullatur. » Hanc Rigaltii conjecturam fulcire videtur quoque auctor vetustus vitæ Juvenalis dicens: « Satiram non absurde composuit

« in Paridem pantomimum Domitiani, et P. Statium, ejus semestribus militiolis tumentem. » Attamen, hanc invidiæ et odii notam a nostri poëtæ mente abesse prorsus crediderim. Hic, meo judicio, Juvenalis Statium celebrem poëtam simul collaudat, ejusque miseretur, quòd, cum tanto ingenio, tantaque fama abundaret, esuriisset tamen, nisi, in Paride pantomimo, novus ei Mæcenas fuisset exortus. Si igitur in his, satiricæ bilis non nihil videre licet; non in Statium, nec in Paridem ipsum redundat; sed obiter potius in avaritiam et ignorantiam nobilium, qui histrioni Musas fovendi provinciam reliquerint; immo, in Principem ipsum, qui tantam eidem pantomimo concesserit auctoritatem, ut, ille et præfecturas et tribunatus ad libitum vendere et concedere potuerit. A.

83. *Thebaidos*.] Poëma epicum de bello Thebano, scil. inter fratres Eteoclen et Polynicen, quod etiam nunc exstat. — *Stadius* (Papinius). Poëta insignis Neapolitanus, Domitiano gratus, propter extemporalem carminum componendorum facilitatem; et ab eo tam coronis et auro, quam agro Albano donatus. Vide Petrum Crinit. lib IV, cap. 1.

84. *Promisitque diem*.] Ad reci-

sitas poëtis non solvere æs alienum, quo teneantur. Gronov. Obs. III, 13 ita quoque emendavit, probante Burmann. ad Anthol. II, p. 66. Sed hæc meræ sunt conjecturæ, quæ nos morari non debent.

Afficit ille animos, tantâque libidine vulgi  
 Auditur! sed cùm fregit subsellia versu,  
 Esurit, intactam Paridi nisi vendat Agaven.  
 Ille et militiæ multis largitur honorem,  
 Semestri vatum digitos circumligat auro.

tandum carmen suum, indixit diem programmate.

86. *Fregit subsellia versu.*] Hyperbole: hoc est, vehementi recitatione et facundiâ, causa fuit cur scamna frangerentur, præ nimio auditorum applausu: idem Sidon. Apollin. lib. V, epist. 10, de oratore celeberrimo sui temporis, *rhetorica sedilia plausibili oratione frangentem.*

87. *Esurit.*] Nempe post ingentes hos applausus, nemine se patronum ei præbente, esurivisset, nisi, *Paridi* pantomimo, de quo infra 88, vendidisset *Agaven*, tragœdiam suam de *Agave* filia Cadmi, uxore Echionis et matre Penthei, quæ bacchabunda filium in celebratione sacrorum Liberi patris interemit. De ea Statii tragœdia nihil nunc superest. — *Intactam.* Nulli antea tractatam, aut recitatam. *Vendebant* autem poëtæ fabulas suas Prætoribus, vel Aedilibus, vel aliis qui ludos edebant.

88. *Ille.*] Paris histrio. Alter fuit hoc nomine a Nerone occisus. Suet. in Neron. 5, 54. Ille, de quo sermo est, tantopere apud Domitianum gratia et auctoritate valebat, ut, eo permittente, præfecturas concederet aut venderet. Suet. in Domit. cap. 3. De eo, apud Martialem lib. XI, epig. 14. illud exstat epitaphium:

Quisquis Flaminiam teris viator,  
 Noli nobile præterire marmor.  
 Urbis deliciae, salesque Nili,  
 Ars et gratia, lusus et voluptas,  
 Romani decus, et dolor Theatri;  
 Atque omnes Veneres Cupidinesque  
 Hoc sunt condita quo Paris sepulchro.

De eodem jam locutus est sat. VI, v. 87. — *Militiæ... honorem.* Gradus militares, præfecturas et tribunatus.

89. *Semestri vatum, etc.*] Circumligat digitos vatum suorum, poëtarum auro semestri. Hoc aurum semestre plerique ad equestrem referunt dignitatem; alii rectius ad tribunatum militarem. Quem locum ita illustrat Lipsius, milit. Rom. II, 9, his verbis:  
 « Aevo Augusti aliud discrimen  
 « Tribunorum subortum, ut qui-  
 « dam *lati clavii*, quidam *angusti-  
 « clavii* essent, illi qui ex senatu,  
 « isti qui ex equite nati. Utrum-  
 « que genus ambitiose petitum et  
 « datum; et quo pluribus grati-  
 « ficari possent, factum *semestre*,  
 « unde *semestris tribunatus* ap. Plin.  
 « Epist. IV, 4. Juvenalis appel-  
 « lat scite *semestre aurum*, quia,  
 « annulo etiam aureo Tribuni ute-  
 « bantur, quod Appianus nota-  
 « vit in reb. Pun. cap. 104. χρυ-  
 « σοφοροῦσι γὰρ τῶν κρατευομένων  
 « οἱ χιλίαρχοι, τῶν ἐλαττόνων σιδε-  
 « ροφορούντων. Suet. vel alius auc-  
 « tor vitæ Juvenalis scribit: Sa-

Quod non dant proceres, dabit histrio : tu Camerinos

Et Bareas, tu nobilium magna atria curas!

91

Præfectos Pelopea facit, Philomela Tribunos.

Haud tamen invidias vati, quem pulpita pascunt.

Quis tibi Mæcenas? quis nunc erit aut Proculcius,

Aut Fabius? quis Cotta iterum? quis Lentulus alter?

« *tiram non absurde composuit in*  
 « *Paridem pantomimum Domitiani,*  
 « *poëtamque P. Statium, ejus semes-*  
 « *tribus militiis tumentem. Sic ap-*  
 « *pellat istas præfecturas et tri-*  
 « *bunatus, a temporis scilicet*  
 « *modo.* »

90. *Quod non dant proceres.*] Hunc et duos sequentes versus exilii Juvenalis fuisse causam nequaquam dubium est; nec tamen, a Domitiano, ut quidam volunt; multo minus a Nerone, ut vet. schol. refert: sed, ab Hadriano, qui sub Paridis nomine, figurate histrionem latere suspicabatur, quem tunc in deliciis aulæ fuisse monet scriptor vitæ Juven. Sed hæc fusius in vita Poëtæ exagrabimus. — *Tu Camerinos.* Cognomen Sulpicie gentis. Hic pro quibusvis nobilibus ut, *et Bareas*, quod est cognomen Marcie gentis. A.

91. *Tu nobil. mag. atria curas!*] Nobilium, qui nihil conferunt in poëtas: quin potius colatis Paridem histrionem, doctorum hominum patronum. — *Magna atria.* ut supr. v. 7.

92. *Pelopea.... Philomela.*] Tragædiæ de iis scriptæ, Paridi venditæ, vel oblatæ faciunt *præfectos* etc. *Pelopea*, Πελοπεία. Alia fuit Pelie filia, de quâ vid. Heyne ad Apollod. p. 157. Alia Thyestæ

filia, quæ, ex incestu cum patre ipso, genuit Aegisthum Clytæmestræ adulterum, et Agamemnonis interfectorem; nisi hæc Πελοπεία dicta, ut et Amphionis e Niobe filia, ap. Apollod. III, 5, 6, et mater Cycni. Forsan hic agitur de tragædia Pelopis ipsius Tantali filii, Atrei et Thyestæ patris, cujus nota ex Ovid. fabula. — *Philomela.* Hujus historia satis nota ex Ovidio.

93. *Haud tamen invidias.*] Vati, poëtæ, quem pulpita pascunt; qui fabulas in theatro exhibendas histrionibus vendendo vitam sustentat. — *Pulpita.* Quodvis suggestum, imprimis in theatro, pro theatro ipso.

94. *Quis tibi Mæcenas?*] Erit patronus? — *Mæcenas.* Satis ex Horat. notus, cujusque nomen, ut Musarum et litteratorum fautoris generosi, apud nos etiam nunc proverbii loco cessit. — *Proculcius.* De quo egregiam hanc laudem posteritati mandavit Horat. lib. II, od. 2, 6:

. . . . Extento vivet Proculcius ævo  
 Notus in fratres animi paterni.

95. *Aut Fabius.*] Poëta forte respexit ad Q. Fabium Maximum, de quo Quintilianus, Institut. Orat. VI, 3: *Fabius Maximus incusans Augusti congiariorum quæ*

Tunc par ingenio pretium, tunc utile multis 96  
 Pallere, et vinum toto nescire Decembri.  
 Vester porro labor fecundior, historiarum  
 Scriptores: petit hic plus temporis, atque olei plus:  
 Namque oblita modi millesima pagina surgit 100  
 Omnibus, et crescit multâ damnosa papyro.  
 Sic ingens rerum numerus jubet, atque operum lex.

*amicis dabantur exiguitatem, heminaria dixit.* Ejusdem quoque liberalem animum commendat Valer. Max. lib. IV, cap. 8. — *Cotta.* Haud dubie, quem tantis laudibus celebrat Ovid. in epist. de Ponto II, 8, III, 2 et 5 — *Lentulus alter.* Scil. Lentulus Spinther et fratres ejus, quorum operâ Cicero revocatus est, quorumque idem passim virtutes commemorat. Hi autem omnes de quibus hoc loco sermo est liberales viri erant Augusto familiarissimi; unde quidam non male suspicantur hunc Principem in his obiter designari.

96. *Tunc.*] Melius quàm *nunc*, quod quædam ferunt edd. quodque hoc obliquum et minime gratum offert sensum: nunc contra, multi illam utilitatem ex suis laboribus capiunt, ut palleant, et ne habeant quidem, quo vinum sibi toto mense Decembri, quo Saturnalia celebrantur, comparare possint. At nos: his temporibus, *tunc, utile erat multis*, etc. Expolitio prioris sententiæ. A.

97. *Pallere.*] Studiis assidue incumbere; unde pallor contrahitur. — *Et toto vinum nescire Decembri.* Id est, et a vini cibique ni-

mio usu abstinere, ne opsoniis repleti a studiis abhorrerent; idque etiam toto Decembri, in quo omnes genio indulgent Saturnalium tempore.

98. *Vester porro labor.*] Ad historicos transit. Vester forte, inquit, labor et utilior, et fructuosior erit. Hæc ironice dicta.

99. *Atque olei plus.*] Nempe plus petit studii et lucubrationis.

100. *Oblita modi.*] Sine modo ac fine, quale opus T. Livii, quod centum et quadraginta voluminibus, ut aiunt, vix persolvitur. — *Millesima pagina.* Vid. not. ad vers. 23.

101. *Multâ damnosa papyro.*] Quia, tam multum papyri emendum est, etiam damnum apportans et impensam. — *Papyro.* Hoc est, chartâ: nam, ex papyro, quæ planta nascitur in palustribus Aegypti, aut quiescentibus Nili aquis, præparantur chartæ divisæ acu in prætenues, sed quàm latissimas philuras. Ex ea etiam navigia intexunt, et e libro (plantæ) vela, tegetesque, necnon vestes et stragula.

102. *Rerum.*] Scil. scribendarum. — *Atque operum lex.* Scil. artis vestræ, quæ jubet singulas

Quæ tamen inde seges? terræ quis fructus apertæ?  
 Quis dabit historico, quantum daret acta legenti?  
 Sed genus ignavum, quod lecto gaudet et umbrâ. 105  
 Dic igitur, quid causidicis civilia præsent  
 Officia, et magno comites in fasce libelli?

res plene ac plane memorare, eoque ordine quo gesta sunt. De historicæ artis legibus, vid. Cicer. de Orat. cap. 15.

103. *Seges.*] Metaphorice. Quid inde pretii refers? Metaphoram producit. — *Quis fructus.* Præmium terræ apertæ, reclusæ aratro, pro labore duro atque ingrato.

104. *Acta legenti.*] Actuario, seu scribe aut tabellioni, au notaire ou au greffier, quorum duplex fuisse videtur officium: Primum enim Senatûs et populi decreta, aut privatorum sponiones, transactiones, matrimonia, etc. scribebant, quod vocabatur *in acta referri*, ut sup. II, 136; deinde, hæc eadem verba legis et actorum publicorum præconi subiciebant, ut ab eo clare enunciarentur; vel, cum de privatis ageretur, verba, clausulas actorum ipsimet coram partibus *legebant*, enunciabant: in hoc igitur sensu, dixit Juvenalis: *quis dabit historico, quantum daret acta legenti, au greffier ou au notaire.* Male igitur, nostro iudicio, Alex.

Ruperti, « *Acta, res gestas, historias legenti, anagnostæ.* » A.

105. *Sed genus ignavum.*] At divites Romani avaritiæ suæ, et historicorum contemptui illud prætententes, dicunt, historicos esse genus ignavum, quod *lecto gaudet et umbra*; id est, domi et in otio studiis vacat, et a publicis negotiis abstinet: quod jam Horat. pari fere modo expresserat. Vid. supr. v. 58; et Ovid. Art. am. III, 541:

Nec nos ambitio, nec amor nos urget habendi;

Contempto colitur lectus et umbra foro.

Male igitur correxerunt *tecto*: Intelligit enim poëta *lectum* lucubratorium, in quo se componebant antiqui, scriptioni aut meditationi operam daturi. Id *jacere* dixit jam Juvenal. v. 79.

106. *Dic igitur.*] Aptæ ad Causidicos transitio. Si historicis nihil conceditur; dic, sodes, *quid civilia officia, causis peroratis in foro, civibus præstita reddant, vel quid lucri afferant?*

107. *Comites in fasce libelli?*]

V. 105. *Quod lecto.* Omnes nostri codd. habent *tecto*. At, in cod. Puteano, prius scriptum fuisse videtur *lecto*, quod a posteriori manu in *tecto* mutatum est. Vet. schol. quoque *lecto*. Vid. sup. comment.

V. 106. *Præsent.* Codd. pars maxima *præstant*. At nostra lectio sermonis legibus accommodatior.



Ipsi magna sonant, sed tunc cùm creditor audit

Præcipue, vel si tetigit latus acrior illo,

Qui venit ad dubium grandi cum codice nomen. 110

Quid præsentent actionum forensium commentarii, libri, quos secum afferunt in magno fasce, ces liasses de papiers, græc. δέσμαι δίκαικῶν βιβλίων?

108. *Magna sonant.*] Doctæ dicendi formulæ: vocem valde intendunt et clamant. — Cùm creditor audit. Sed tunc præcipue cùm creditor adest in iudicio, et præsens auscultat.

109 et 110. *Acrior illo qui venit.*] Hic locus, quod ad mentem spectat poëtæ, non adeo obscurus est. Agitur enim in hac parte, de altero quovis, cujus causa est dubia; quique eo acrius tangit latus, id est, instat, urget causidicum, ut ei viriliter patrocinetur. Attamen quis est ille? An alter creditor, qui creditum reposcit dubium; an debitor qui negat debitum? De re ambigitur; nec concordant interpretes. Qui debitorem intelligunt auctoritate Cicer. freti, epist. ad Atticum: *Perfeci, ut Salaminii totum nomen persolverent*; et Plauti in Cistellâ: *Nunc, quod reliquum restat, volo persolvere, ut expungatur nomen*; hoc verbum *nomen* dici volunt debitum, *une dette*, et sic interpretantur: *Debitor qui venit ad nomen dubium*, id est, ad debitum denegandum, vel jam denegatum a se. Non male sic: sed ex altero loco ejusdem Cic. Verr. VII, n° 17: *Pecuniam sibi esse in nominibus; numeratam in præsentia non habere*; Gall. *qu'il n'avait point d'argent*

*comptant; mais, que sa fortune était toute en porte-feuille, vel potius, en créances sur particuliers, videtur τὸ nomen de credito, d'une créance, sicuti de debito dici posse; unde hunc locum interpretantur quidam: Alter creditor qui venit ad nomen dubium, id est, ad creditum falsum, vel saltem dubium aut controversum reposcendum. Quo fit, ut difficultas non dirimatur, sed eadem permaneat. Attamen, si hæc, grandi cum codice, attenter perpenderit, tunc, institutis juris quæstio solvi facile poterit. Utri enim, debitori an creditori utile est, atque etiam necesse venire ad tribunal cum grandi codice? Utri, uno verbo, postulatum probandum scriptis? Creditor argenti summam quamlibet, vel merces, vel alia ad tempus commodavit, propter quæ nullum a debitore petit receptionis signum aut chirographum; sed in codicibus suis, ses registres, ea omnia accurate inscripsit, quos sibi reposcenti creditum necesse est, afferat secum ad tribunal: fit autem nomen, creditum, dubium, vel quia falsum est aut exaggeratum, vel quia debitor deficit, debitum negat, aut rescissionem exigit. Utcumque erit, necesse est, ut creditor veniat ad tribunal cum suo codice. At debitor; an venire debeat cum codice grandi accepti et expensi? id minime puto: nam, aut scriptum exstat, aut non: si exstat, nihil est debitori opus*

Tunc immensa cavi spirant mendacia folles,  
 Conspuiturque sinus. Veram deprendere messem  
 Si libet: hinc centum patrimonia causidicorum,  
 Parte aliâ solum russati pone Lacernæ.

*codice.* Solutionis signum, *l'acquit*, a creditore sufficit. Hoc enim unico signo dilui potest debitum, cuius exstat signum (*à moins qu'on ne s'inscrive en faux, alors c'est un cas différent*); et non magno codice *impensiet accepti*, quod solutionem indicare aliquando, sed non probare potest: si contra nullum exstat scriptum; si creditor nullum prodiit chirographum, aut testem, aut signum evidens crediti; tunc debitori jusjurandum imperatur; et illi se nihil debere affirmanti fides habetur: nihil igitur ei opus est magno nec parvo codice expensi aut accepti. Ex his autem deductis et satis perpensis, colligo: *Juvenalem hoc loco de altero creditore locutum, cujus creditum (la créance) dubium est; quique ideo venit ad tribunal cum grandi codice; et eo acrius urget latus causidici, quod nomen est dubium, aut controversum. A.*

111. *Cavi... folles.*] Buccas ex-

plicat vet. schol. at, melius alii pulmones spirandi vim habentes. Pulmo est veluti *folles* corporis. — *Spirant mendacia.* Rabularum fraudulentiam, clamosam orationem et impudentiam notat.

112. *Conspuiturque sinus.*] Sputo nimio conspergitur, præ magna orationis vehementia et celeritate perorantis. Unde Aristoph. schol. *Acharn. IV, 7* notavit, *σιάλουχοι* dicti *εί προσραίνοντες σίαλον ἐν τῷ προσδιαλέγεσθαι.* — *Deprendere.* Cognoscere — *Veram... messem.* Præmium laboris causidicorum.

113. *Hinc.*] Unâ parte centum patrimonia causidicorum.

114. *Russati pone Lacernæ.*] Vet. schol. « Nomen aurigæ abjecti: « ex colore russatus, Lacerna sub « Domitiano auriga fuit. » Ita, ex alterâ parte, pone unius aurigæ opes et præmia, videbis lances æquas. In ludis autem Circensibus, aurigæ in quatuor divisi erant factiones a coloribus

V. 114. *Russati pone Lacernæ.* Omnes quidem eodd. habent *russati*; sed quidam *rus* et *sati* divisim exhibent. Unde glossæ vett. aliquot: « *Rus sati* « *pone Lacertæ*: Tmesis, pro *pone rus Satilacertæ*, aurigæ, cui nomen erat « *Satilacertæ*. » Codd. quoque fere omnes habent *lacertæ*. Unde, hæc lectio inextricabiles in ambages adduxit interpp. quorum pars maxima eundem huic loco sensum esse voluerunt, ac supra sat. III, v. 231, ubi *lacertæ* dicitur *rus* adeo breve, ut vix *lacerta* in id commorari queat. Sed minime conveniens est hæc interpretatio: et, nescio quo modo in mentem alicujus venire potuerit; præsertim, post versum præcedentem: *Hinc centum patrim. causs. parte aliâ etc.* At, vide comment.

Consedère duces : surgis tu pallidus Ajax 115  
 Dicturus dubia pro libertate, bubulco  
 Judice. Rumpe miser tensum jecur, ut tibi lasso  
 Figantur virides, scalarum gloria, palmæ.  
 Quod vocis pretium? siccus petasunculus, et vas

vestium distinctas et denomina-  
 tas, *russatam*, *prasinam*, *albam* et  
*venctam*, quibus a Domit. adjec-  
 tæ sunt *aurata* et *purpurea*: quot  
 vero factiones agitatorum, tot  
 quoque faventium erant, qui in  
 diversa inde partium studia dis-  
 trahebantur. Hic igitur *Lacerna*,  
 aut *Lucerta*, nam, variæ sunt lec-  
 tiones, erat auriga, vel ductor  
 currûs factionis *russatæ*, cui Do-  
 mitianus favebat; ideoque Im-  
 peratoris muneribus dives erat.  
 Hæc ita *Dusaulex* male reddidit: *un  
 cocher de l'Empereur*. Quos enim  
 Galli vocant *cochers*, sunt famuli  
 conductitii, quorum conditio  
 est omnino diversa, quippe vilis  
 et parum quæstiosa: at aurigæ  
 et curruum ductores, in Olympi-  
 cis, ut in Circensibus ludis, etsi  
 apud viros sapientes, et veteris  
 disciplinæ fautores male audi-  
 rent, liberi tamen, et, apud  
 multos, in honore erant. A.

115. *Consedere duces.*] Hoc scop-  
 tice sumptum, ex Ovid. *Meta-  
 morph.* lib. XIII, 1 — 398. —  
*Duces.* Judices nempe. — *Ajax.*  
 Causidicus, quem pallidum re-  
 præsentat, propter causæ dubium  
 eventum. — *Surgis.* Nam, cum  
 iudices *sedent*, et causidici sur-  
 gunt. Vid. Ovid. *ibid.*

116. *Dubia pro libertate.*] Pro  
 cliente, cujus libertas dubia est,  
 et in quæstionem vocata. Sicut

Tullius pro Archia poëta dicens  
 jus ei civitatis asseruit; quæ cau-  
 sa inter graves et difficiles erat  
 annumeranda. — *Bubulco iudice.*  
 Rudi, ceu rustico et barbaro:  
 nam, ex singulis tribubus urba-  
 nis, et rusticis, quæ erant nume-  
 ro XXXVI, terni iudices sorte  
 eligebantur, ut, apud nos, *les  
 jurés*: quo fiebat, ut multi inter  
 eos, *bubulci* essent: quod scop-  
 tice dicit poëta, ad augendam mi-  
 seriam conditionis causidicorum.

117. *Rumpe..... tensum jecur.*]   
 Omnem iram in adversarium ef-  
 funde tuam, cum tanta vocis in-  
 tentione, ut *jecur* fere rumpatur;  
 nam, *jecur* primaria olim habe-  
 batur affectuum sedes, et tumere,  
 vel extendi irâ credebatur.

118. *Figantur virides, etc.*] Ut  
 sterilem tantum inanemque lau-  
 dem consequaris. Scil. ut palmæ  
 virides figantur, etc. Mos erat  
 causidicorum et oratorum victo-  
 riam in foro partam testari palmâ  
 pro foribus appensâ. *Scalæ* autem  
 sunt aditus domûs, sive janua,  
 quam *scalas* ἐμφοτικῶς vocat, ad  
 indicandam pauperiem causidi-  
 corum, qui, more mendican-  
 tium, in cœnaculis habitant: ita,  
 ut, in cubiculum nequaquam  
 introire possent, nisi per *scalas*;  
 sic, *palmæ* sunt *gloria scalarum*.

119. *Petasunculus.*] *Petaso* est  
 coxa porcina salita costarum maxi-

## Pelamydum; aut veteres, Afrorum epimenia, bulbi; 120

man. partem comprehendens. Deterior petaso vetus et siccus; optimus, qui recens et musteus. Hic, petasunculus, un méchant petit jambon.

120. *Pelamydum.*] Vas plenum parvorum thynnorum, in particulas consectorum et conditorum. Plin. IX, 15, vel 18. *Thynni intrant e magno mari pontum, verno tempore, gregatim, nec alibi feticant. Cordylæ appellantur partus, qui fetas matres redeunt in mare autumnno comitantur; limosæ vero, aut e luto pelamydes* (ἀπὸ τοῦ πηλοῦ) *incipiunt vocari; et cum annum excessere tempus, thynni... Pelamydes in apolectos particulatimque consectæ, in genera cybiorum disperitiuntur.* Pelamydis autem effigiem habet nummus apud Spanh. de usu et præstant. Numism. dissert. III, p. m. 201. — *Aut veteres, Afrorum epimenia bulbi.* Ecce unum ex his locis, qui mire cruciaverunt interpretes: alii, *bulli* legentes, interpretantur pisces exiguos et vilissimos, qui apud Afros, *epimenia* sunt, id est, munera menstrua Afrorum, quæ, singulis mensibus, Romam afferuntur: alii, censent sordida munuscula ipsorum Afrorum esse bulbos: alii legentes *epimenida*, quod probant Calder. Brit. et Farn. ut appositio sit, quoniam Plin. XIX, 5 dicat, ex genere bulborum esse *scillan*, et duo genera *medicæ*, masculum albis foliis, femineum nigris, et tertium genus *epimenidium* vocetur; sic

interpretantur: veteres *bulbi*, ex genere eorum qui nascuntur in Africâ, quique *epimenidia*, seu per contractionem *epimenida* vocantur. « Quid, addit Ruperti, « si scribatur *epimænia*, et poëta « hoc vocabulum effinxerit ex « Græc. ἐπιμαίνεσθαι, insanire, furere, imprimis amore, unde ἐπιμαίνια scil. φάρμακα dici possint « amoris remedia, sive stimuli? « bulbos enim stimulare amorem « notum ex Plin XIX, 5. Mart. « III, 75. Ovid. Remed. Am. et « Colum. X, 105? » Inde veniet illa non multo magis probata aliis interpretatio: *veteres bulbi*, qui Afris sunt remedia, aut stimuli amoris. In hac igitur tanta commentariorum farragine, quid erit eligendum, aut rejiciendum? Omnia rejicienda: nihil enim genuinum, nihil simplex, nihil etiam probabile videtur. At nos, sic, vulgatam servantes lectionem, versus hunc explicabimus: *epimenia*, Græc. ἐπιμήνια, proprie munera, vel etiam munuscula exilia, ac veluti xenia, sordida, stipendii loco, pro navata opera, in singulos menses collata, hic, victus menstruus, id est, demensus singulis mensibus, et datus servis, *la ration*. Ita: *Pretium vocis erit petasunculus, pelamydum vas, aut, bulbi veteres, epimenia Afrorum* (servorum), id est, *veteres bulbi* quales, singulis mensibus, nostris servis Afris, aut Mauris, vel infimis nostrorum servorum demetimus ad victum menstruum.

V. 120. *Pelamydum.... epimenia.* De his verbis, vid. sup. comment.

Aut vinum Tiberi devectum, quinque lagenæ.  
 Si quater egisti, si contigit aureus unus,  
 Inde cadunt partes ex fœdere pragmaticorum.  
 Aemilio dabitur quantum petet. At melius nos  
 Egimus? Hujus enim stat currus aëneus, alti  
 Quadrijuges in vestibulis, atque ipse feroci

125

Gall. *une mesure de vieux oignons, ou d'autres légumes, semblable à la ration que nous distribuons chaque mois aux derniers de nos esclaves, pour leur nourriture.* Diversa autem servorum genera erant Romæ, qui nutriebantur, aut vestiebantur a dominis, pro suo quisque munere atque officio. Servi Afri et Mauri minoris aestimabantur quam Asiani; ut vidimus sat. V, v. 53: *Gætulus cursor, et manus ossea Mauri*; et infra: *flos Asiæ*, etc. ideoque vilissima dabantur vilioribus alimenta. Intelligentes porro lector, cur, ut alii, *oleru et bulbos*, ad explicandum locum, ex Africâ non arcessamus, optime videbit. A.

121. *Vinum Tiberi devectum.*] Allatum nempe Romam secundo flumine, ex Hetruria, seu Veis, et parum laudatum.

122. *Si quater egisti.*] Causas. — *Si contigit aureus unus.* Si vel nummus unus aureus tibi detur. Aurco autem nummo non idem semper valor ac pretium fuit. Vid. sat. IV, v. 29.

123. *Inde cadunt partes.*] Pars mercedis danda est pragmaticis, ex fœdere pacto. *Pragmatici* autem

dicebantur, qui oratoribus aderant, iisque leges ac jura, et formulas suppeditabant. Cùm, in principio, oratores ipsi ac causidici inter reipublicæ nobilissimos viros a partibus eligerentur, sicuti infra fusius explicabimus; cùmque iis juris ac legum scientia tantum generalis esset, oportebat, ut illis adessent viri juris et legum periti, qui verba solemnia formulasque suggererent. Hi autem *pragmatici* vocabantur; quæ consuetudo usque ad Juven. tempora, et longe post viguit. Fere pari modo, apud majores nostros, *Paribus, aux Pairs*, in Curia sedentibus, aderant consiliarii clerici *les conseillers clercs*, qui eodem munere fungerentur. A.

124. *Aemilio.*] Nobili et diviti causidico. — *At.* Observatio.

125. *Hujus enim.*] Responsio ironica. — *Enim.* Pro enimvero, Græc. γάρτοι. — *Stat currus aëneus.* Currus triumphalis, quo aliquem majorum suorum triumphasse ostentat. Multis autem ex *Aemilia* gente triumphii honos obtigit.

126. *Quadrijuges.*] Equi quatuor currui juncti. — *Alti.* Sublimes et eximie magnitudinis, vel alte

V. 124. *Petet.* Quidam legunt *licet*: at, codd. plerique *petet*, quod revera, rectius fluit.

Bellatore sedens curvatum hastile minatur  
 Eminus, et statuâ meditatur prælia luscâ.  
 Sic Pedo conturbat, Matho deficit : exitus hic est

jactantes crura. — *Ipsæ feroci bellatore sedens.* Bellatore, subaudi equo. Ipse equestrem statuam suam ostentat. Causidicis porro statuæ equestres erigebantur; quod irridet Martial. lib. IX, epig. 68 :

Tam grave percussis incudibus æra resultant,

Causidicum medio cum faber aptat equo.

Currus autem spectat ad majores suos; statua equestris ad ipsum. Iis porro, qui morum Romanorum sunt expertes, ridiculum, et vix credendum erit causidicos, ut in causis perorandis ditescerent, hanc vanam nobilitatis et divitiarum effigiem præ se ferre coactos fuisse: at, si ad patrocinii et clientelæ originem attenderint; nihil in hoc videbitur absurdum. Stante enim republica, patricii soli, nobiles, atque divites plebei, qui ad honores provehi studebant, hanc veluti meliorem atque unicam prope viam aggressi, pauperibus patroni atque advocati erant, eorum partes in foro agebant, idque gratis: hæc arte favorem et suffragia consequerentur: et, quanto quis peritior aut felicior, eo promptius ad dignitates provehebatur. At, lapsis moribus et virtutibus cum republica, corrui ingenuæ hujus artis liberalitas. Causidici professio quæ patroni personæ antea fuerat inhærens, Imperatorum tempori-

bus separata, et plebeiis atque obscuris hominibus relicta, sensim mercenaria facta est. Unde illa causidicorum prope omnium paupertas, de qua queritur Juvenalis, quibusdam tamen exceptis; qui, ut iste Aemilius veterem nobilitatis et divitiarum speciem retinere affectantes, eo plus faciebant lucri, quo illustriori gente oriundi viderentur: quod hic notat noster poëta. A.

127. *Curvatum hastile.*] Tam affabre statua efficta est, ut hastile, quod *minatur*, intentat, videatur tremere, adeoque curvari, et mox jactandum.

128. *Prælia lusca.*] Quod effigies exhiberet virum, altero clauso oculo, certius ictum dirigentem: ita, omnes interpp.; at, melius mentem cepisse videtur vet. schol. sic: *Cujus oculus introrsus cedit*: nam, in statu antiquis, tales sunt oculi ob pupillam planam.

129. *Sic.*] Hæc arte, quæ Aemilio feliciter cessit, scilicet hæc nobilitatis et divitiarum ostentatione, *Pedo* causidicus ignotus; non *Pedo* Pompeius vir illustris e Senec. apocoloc. nec *Pedo* Albinovanus poëta, de quo Martial. X, 96; sic, inquam, *Pedo* decoquit, dilapidat, æs vetus alienum non solvit, novum contrahit, rationes debitorum congerit, commiscet. *Conturbat* verbum juris, *devient insolvable.* — *Matho deficit.*

Tongilli, magno cum rhinocerote lavari 130  
 Qui solet, et vexat lutulentâ balnea turbâ,  
 Perque forum juvenes longo premit assere Medos,  
 Empturus pueros, argentum, murrina, villas:  
 Spondet enim Tyrio stlataria purpura filo.  
 Et tamen est illis hoc utile: purpura vendit 135  
 Causidicum, vendunt amethystina: convenit illis

De Mathone supr. I, 32.—*Deficit.* Alterum verbum juris: deficitur opibus, obruitur ære alieno, *fait banqueroute.* — *Hic exitus Tongilli.* Idem casus, defectus manet Tongillum qui, etc.

130. *Magno cum rhinocerote.*] Vase unguentario et corneo, e naso rhinocerotis, quo ditiores utebantur in balneis. Pauperibus autem in usu erat guttus e cornu tauri.

131. *Vexat balnea.*] Molestus est iis qui simul lavantur. — *Lutulentâ... turbâ.* Servorum suorum, qui per cœnosas vias dominum secuti, ad balnea magno strepitu jam ei famulantur.

132. *Juvenes longo premit assere.*] *Premittit onere assere longæ,* perticæ duplicis, sellæ, lecticæ. De lecticis vid. supr. III, 245. — *Juvenes Medos.* Servos e Media lecticarios.

133. *Empturus.*] Ut apud Theophr. *character.* cap. 23, ἀλαζών προσποιούμενος ὀνητιᾶν. — *Argentum.* Argentea vasa. — *Murrina.* Vid. supr. VI, 156.

134. *Spondet... stlataria purpura.*] *Spondet,* fidem facit solutionis,

*lui tient lieu de caution.* *Purpura,* vestis, *stlataria,* adjectivus a *stlata,* quæ ap. A. Gell. navis est piratica, ut docent Caper de orthogr. et Turnebus *Advers.* lib. XIX, cap. 32., Exstat in antiquo lexico scriptum: *stlata,* περιπαικῶν σκάφους εἶδος. Unde *purpura stlataria* vestis piraticæ navi similis, id est, veluti latrocinans, fallax, cujus splendore spoliuntur venditores divitem censentes, qui eam gestet.

135. *Et tamen illis.*] *Causidicis pauperibus.* — *Utile hoc.* Hæc divitiarum ostentatio: *nam, purpura vendit causidicum;* id est, commendat plebi, cui eo majori pretio locabit ac vendet operam suam, quo majorem adhibuerit fastum et splendorem vestibus suis, quoque plus se jactaverit: quod genus lenocinii, *charlatanisme,* omnibus commune videtur conditionibus; atque etiam liberalibus artibus, quibuscum tamen minime congruere videtur, nam, ut nostri vulgo aiunt: *l'habit ne fait pas le moine;* atamen, addunt, *il le fait valoir.* A.

136. *Vendunt amethystina.*] *Ves-*

V. 132. *Medos.* Non male emendabat Lips. *Epist. Quæst. IV, 25 Mæsoz:* at sine auctoritate; nam, ubique legitur *Medos.*

Et strepitu, et facie majoris vivere census.  
 Sed finem impensæ non servat prodiga Roma.  
 Fidimus eloquio? Ciceroni nemo ducentos  
 Nunc dederit nummos, nisi fulserit annulus ingens.  
 Respicit hoc primum qui litigat, an tibi servi 141  
 Octo, decem comites, an post te sella, togati  
 Ante pedes. Ideo conductâ Paulus agebat  
 Sardonyche, atque ideo, pluris quàm Cossus, agebat,

timenta coloris violacei. Nam amethystus lapis est hujus coloris, de quo Plin. lib. XXXVII, cap. 9. — *Convenit illis, etc.* Repetitio prioris sententiæ.

137. *Facie.*] Specie. — *Majoris census.* Majorum opum.

138. *Sed finem impensæ, etc.*] Sed adeo ostentationi, vanitati, luxui extra modum protenso dedita est Roma, ut jaceat quisquis non splendet. Hinc Seneca epist. 50: *Non ego sum ambitiosus; sed nemo aliter vivere potest: non ego sumptuosus sum; sed Urbs ipsa magnas impensas exigit.*

139. *Fidimus eloquio?*] An, si nobis vera eloquentia sit, propterea ita huic confidemus, ut speremus ampla ingenii præmia nos esse consecuturos? Minime: nam, nemo Ciceroni, etc.... Alii hunc versum sic legunt: *ut veteres redeant; Ciceroni nemo ducentos, id*

est, etiamsi veteres oratores, ut Crassus, Antonius, Hortensius in lucem redeant; tamen nemo, etc.

140. *Annulus ingens.*] Insigne Equitum et Senatorum.

141. *Respicit hoc primum qui litigat.*] Vulgi stultam opinionem ridet.

142. *Octo servi.*] Qui lecticam portent, octophori, ut sup. I, 64. — *Decem comites.* Clientes te deducentes ad Forum, ut sup. I, 64. — *An post te sella.* Quâ, si libuerit vehi possis. De sella, vid. I, 96. — *Togati ante pedes.* An amici, honoris causâ, præeuntes. *Circum pedes sunt obsequia servorum, ante pedes, amicorum.* Agroet. de orthograph. p. 2274.

143. *Paulus.*] Pauper, ut videtur, causidicus agebat causas.

144. *Sardonyche conductâ.*] Anulo conducto, in quo pretiosa gemma sardonyx: nam, ut ait

V. 139. *Fidimus eloquio.* Dimidia pars codd. et quædam edd. priscae habent: *ut redeant veteres*: quæ lectio certe profecta est ab ingenio docti hominis, et forte ab ipso Juvenale, qui utraque in suis codd. lectione usus est. Vulgata tamen lectio bene quoque se habet.

V. 144. *Cossus.* Ita omnes fere nostri codd. Quidam præeunte vet. schol. habent *Gallus*.



Quàm Basilus. Rara in tenui facundia panno. 145  
 Quando licet Basilo flentem producere matrem?  
 Quis bene dicentem Basilum ferat? Accipiat te  
 Gallia, vel potius nutricula causidicorum  
 Africa, si placuit mercedem ponere linguæ.  
 Declamare doces? ô ferrea pectora Vetti! 150  
 Cùm perimit sævos classis numerosa tyrannos.

Martialis, lib. II, epigram. 29 :  
 Rufe, vides illum subsellia prima te-  
 nentem,  
 Cujus et hinc lucet sardonychata  
 manus.

— *Ideo pluris... agebat.* Majori  
 pretio dicebat.— *Cossus.* Alter cau-  
 sidicus pauper, ut *Basilus*. Alii  
 legunt, *Gallus*.

145. *Rara in tenui facundia, etc.*]  
 Supple, ex opinione vulgi : nam,  
 contrarium docet poëta infr. sat.  
 VIII, v. 47.

146. *Flentem producere matrem.*]  
 In judicium : id est, quis pau-  
 peri causidico gravem difficilem-  
 que causam committet?

147. *Accipiat te Gallia.* ] Si vis  
 digna et ampla eloquentiæ præ-  
 miâ consequi ; pete Galliam aut  
 Africam : in iis enim provinciis  
 viguere eloquentia et oratores.

150. *Declamare doces?* ] Ad rhe-  
 tores transit ; docetque eorum  
 laborem esse, ut causidicorum,  
 molestissimum, et vilissimam mer-  
 cedem. Hoc loco, Alex. Ruperti  
 emendationem recepimus ; ut,  
*Vetti* sit genitivus : quo fit, ut  
 sententia et elegantior, et vivi-  
 dior, melius cohæreat cum se-  
 quentibus ; ita : *declamare doces?*  
 rhetor es? *ô ferrea pectora Vetti!*

certe, *pectora Vetti* sint *ferrea*  
 necesse est, oportet ; cùm, etc.  
 — *O ferrea pectora!* omnis laboris  
 patientissima, ut ap. Horat. *illi*  
*robur et æs triplex circa pectus erat,*  
*χαλκοκαρδίας, et σιδηράφων.* —  
*Vetti.* Vettius, seu Vectius, cla-  
 rissimus rhetor, forte idem de quo  
 Plin. lib. XXIX, cap. 1. *Vectius*  
*Valens adulterio Messalinæ Claudii*  
*Cæsaris uxoris nobilitatus, pariterque*  
*eloquentiæ assectator fuit.* Hic, pro  
 quovis rhetore. A.

151. *Cùm classis numerosa.* ] Cùm  
 Ingens numerus discipulorum  
*perimit sævos tyrannos*, in ficto scil.  
 themate, quod rhetor tractan-  
 dum dedit, occidit, etc. Ejusdem  
 generis declamatio rhetorica, de  
 qua sat. I, v. 16. *consilium de-*  
*dimus Sullæ, etc.* Aliter tamen, non  
 absurde quidem, hunc locum  
 explicat Lubinus. « Videtur, in-  
 « quit, poëta respicere ad Dio-  
 « nysium juniorem Siciliæ tyran-  
 « num, qui tyrannide exutus a  
 « Dione, et regno pulsus, Co-  
 « rinthi ludum litterarium ape-  
 « ruit, atque in illo miserrime  
 « consenuit. » Sic poëtæ mens  
 erit : *declamare doces*, rhetoricam  
 artem profiteris, *ô ferrea pectora*  
*Vetti!* certe sunt Vettio ferrea

Nam quaecumque sedens modo legerat, hæc eadem stans  
Proferet, atque eadem cantabit versibus iisdem.

Occidit miseros crambe repetita magistros. 154

Quis color, et quod sit causæ genus, atque ubi summa

pectora, qui potest perferre tam patienter tantos labores; cum huiusmodi classis discipulorum *perimat sævos tyrannos*, Dionysium ipsum excarnificare et perimere potuerit, deque illo supplicium miserrimisumpserit modis. Prior tamen prævaluit explicatio. A.

152. *Nam quaecumque sedens.*] Classis, numerus discipulorum. Perperam aliqui hæc magistro addicunt. Hoc loco, de discipulis agitur, qui primum sedentes legunt dictata a magistro, ut ea memoriæ infigant; deinde stantes proferunt in medium, dicunt, declamant, non omnes sine dubio congregatim, sed singuli, quisque suo ordine. Hinc *repetita crambe*: unde fit, ut mihi non inepta videatur versu præcedenti præcitata Lubini sententia: nam,

hujusmodi repetitio fastidiosa sat est, ut etiam sævissimos (qualis fuit Dionysius) occidat tyrannos. A.

153. *Cantabit versibus iisdem.*] Sic Terentius Phorm. III, 2, 10, *cantilenam eandem canere*. Cantare quoque ad vitiosam spectat declamandi rationem, cantui similem, quo vitio sæpe notantur discipuli. — *Versibus iisdem*. Totidem incisis periodis: nam, versus  $\kappa\omega\lambda\omicron\nu$ , membrum etiam dicitur.

154. *Crambe repetita.*] Vet. schol. « Proverbium,  $\delta\iota\varsigma\ \kappa\rho\acute{\alpha}\mu\beta\eta\ \theta\acute{\alpha}\nu\alpha\tau\omicron\varsigma$ : « omnibus tritum, cum nihil sibi « tam fuisse cognitum significare « voluerunt. » Sic: quemadmodum *erambe* (species brassicæ) sæpius apposita, vel recalefacta nauseam creat stomacho; ita hæc lectio tæties *repetita occidit*, etc.

155. *Quis color.*] Colores di-

V. 153. *Proferet*. Henninius sua auctoritate reposuit *perferet*, quod alienum est ab hoc loco.

V. 154. *Crambe*. Codd. omnes nostri habent *cambre*; quam lectionem defenderunt interpretes quidam; ut, hoc loco, designetur inscriptio declamationis de *Cambre* Scytharum rege, cujus meminit Diodor. Sicul. vel de *Cambria*, seu *Cambro-Britannia*, hodie, *la principauté de Galles*. Calderin. sic: « *Cambre* oppidum est in Theutrania Troadis, ut scribit Plin. « et e proxima regione est Lesbos, in qua Mitylenem occupaverunt tyranni, ut auctor est Strabo, Nigesilus et Magarogilus. Alcæus poeta « eos carmine insectatus est, unde aureum plectrum habuisse dicitur. « Ergo, hoc loco, declamatio de tyrannis ejectis *Cambre*. » Aliter autem, *Omnibonus* noster, quem jam sat. V, v. 154, laudavimus: « *Cambre*, « vel etiam *Gambre*, quia *c* et *g* sibi plerumque cedunt invicem, « ut docet Priscianus. Si *Gambre*, pro *Cambre* accipimus, a græc. « oritur:  $\gamma\acute{\alpha}\mu\beta\rho\varsigma$  gener dicitur, et erit *Gambre* nomen controversiæ, in

Quæstio, quæ veniant diversa e parte sagittæ,  
 Nōsse velint omnes, mercedem solvere nemo.  
 Mercedem appellas? quid enim scio? Culpa docentis  
 Scilicet arguitur, quod læva in parte mamillæ  
 Nil salit Arcadico juveni, cujus mihi sextà 160  
 Quaque die miserum dirus caput Annibal implet;  
 Quidquid id est, de quo deliberat, an petat Urbem

cuntur ornamenta orationis, quæ e triplici ejus genere sublimes, medio et tenui oriuntur. — *Quod sit causæ genus. An sit deliberativum, judiciale, an demonstrativum?* — *Summa quæstio.* Status controversiæ. An conjecturalis, an definitiva?

156. *Sagittæ.*] Argumenta, quæ adversarius opponit.

158. *Mercedem appellas?*] Memoras, poscis? Verba discipuli, imperiti mercedem solvere negantis. Quid enim a te didici? — *Culpa docentis scilicet arguitur.* Responsio magistri. Scilicet, inquit, si discipulus vel negligens, vel obtusus est animo; in docentem culpa transfertur.

159. *Læva in parte mamillæ.*] Id est, in corde: nam, ut ait Plin. lib. XI, cap. 37: *Cor animalibus cæteris in medio pectore est, homini*

*tantum infra lævam papillam.* Cor autem sumitur sæpe pro virtute et ingenio: unde adagium illud: *corpus sine pectore.*

160. *Nil salit.*] Nil emicat ingenii, industriæ aut solertiæ. — *Arcadico juveni.* Ignavi, bardo et hebetes; tam propter asinos, qui in Arcadia nascuntur optimi, quam propter Arcades ipsos, qui a poëtis βεκασιέλκνοι dicuntur, hoc est, rudes et stupidi. Attamen, Virgil. Eclog. X, v. 32, dixit, *Soli cantare periti Arcades.* F. D.

161. *Cujus... dirus... Annibal.*] Sensus est: cujus declamatio rhetorica de Annibale deliberante, etc. *caput miserum meum implet*, id est, obtundit, gravat, me tædio afficit. — *Sexta quaque die:* nam, rhetores declamationibus certum diem assignare solebant.

162. *An petat Urbem a Cannis.*]

« qua gener accusatur occidisse socerum suum, ut ejus hereditatem facilius et celerius consequatur; et est constitutio conjecturalis, cui, « quia sæpe agebatur apud sophistas, *Gambre* nomen impositum fuit. Et « est alius sensus: quia de versibus dicit, fortasse fabulam regis Oenomai « innuit, quòd multos generos occiderit... (Sequitur in cod. ejusdem « historia Oenomai et Atalantæ filiæ ejus, satis nota). Hæc ergo fabula, « sive de genero qui occidit socerum, sive de socero qui occidit generos, « sæpe a discipulis repetita, magistros pene deducit ad mortem. » Hæc autem omnia meræ sunt conjecturæ, quæ lectionem vet. schol. non confirmare valent. Vide supra comment.

A Cannis, an post nimbos, et fulmina cautus  
 Circumagat madidas a tempestate cohortes.  
 Quantum vis stipulare, et protinus accipe, quod do,  
 Ut toties illum pater audiat. Ast alii sex, 166  
 Et plures, uno conclamant ore sophistæ,  
 Et veras agitant lites, raptore relicto;  
 Fusa venena silent, malus ingratusque maritus,  
 Et quæ jam veteres sanant mortaria cæcos. 170

Post victoriam Cannensem, quod Maharbal sapienter suaserat.

163. *An post nimbos et fulmina.*] Territus fulminibus et tempestate quâ bis acies dirimebatur. Vid. Tit. Liv. lib. XXVI, cap. II.

164. *Circumagat.*] Reducat a mœnibus. Silius de Bell. Punic. XII, 663:

... Cunctantem, et vana minantem Circumagit, castrisque ducem succedere cogit.

165. *Quantum vis stipulare.*] Indignatus pergit magister: quantamlibet a me voles summam pete, et protinus hanc tibi dabo, si pater filium suum et toties, et tam patienter recitantem audiat, quoties ille mihi fuit audiendus. Ea autem verba *quantum vis stipulare, etc.* male quidam dispensatori tribuunt discipulum præceptori tradenti. A versu 158 usque 166, ordo sermonis hic est, et sensus: ad hæc, *quid scio?* respondet magister: quia mercedem negas, *scilicet, culpa docentis arguitur*, me incusas, quasi negligens in docendo fuerim! An in me culpa inferenda est, si nil salit *Arcadico* tibi? Non-

ne me assidue cruciavisti cum tuo Annibale, etc? Age vero, *quantum vis stipulare; et tibi dabo, si pater tuus tam patiens sit, etc?* — *Stipulari.* Verbum juris. *Stipulatur* qui poscit; *spondet* qui pollicetur. A.

167. *Sophistæ.*] Sophistæ primum iidem ac rhetores; postea vero, hoc nomine cœpti sunt dici, qui artem deceptoriam exercebant, *quæ sophistica* appellatur. — *Uno conclamant ore.* De iisdem conqueruntur; scil. de injustitia discipulorum et parentum.

168. *Et veras agitant lites.*] Causas perorant in Foro. — *Raptore relicto.* Dimissis illis fictis causis, et scholasticis declamationibus de *raptore*, scil. Paride, qui Helenam, vel Jasone, qui Medeam rapuit.

169. *Fusa venena silent.*] Non jam tractatur fictum thema de veneno dato vel pellici, vel conjugii, ut Creüsæ a Medea. — *Malus ingratusque maritus.* Nulla jam quæstio erit de Jasone, vel de Theseo, vel de alio marito uxorem deserente.

170. *Et quæ jam veteres, etc.*]

V. 166. *Ast alii.* Lectionem hanc revocavi ex omnibus codd. et edd. priscis. Quidam: *Hæc alii*, recte quoque.

Ergo sibi dabit ipse rudem, si nostra movebunt  
 Consilia, et vitæ diversum iter ingredietur,  
 Ad pugnam qui rhetorica descendit ab umbra,  
 Summula ne pereat, quâ vilis tessera venit

Vel de medicamentis in mortario tritis, a Medea, et filiabus Pelix senis jam et cæci, traditis, ut eorum vi juventutem patri redderent.

171 — 173. *Ergo sibi dabit, etc.*] Ordo est: ergo, qui descendit ab umbra rhetorica, id est, a schola, ubi fictæ tantum et umbratiles causæ tractantur, ad pugnam, id est, ad Forum ubi veræ lites aguntur; scil. qui ex rhetore factus est causidicus, si nostra movebunt consilia, si mihi crediderit, dabit ipse sibi rudem, etiam forensi exercitationi, omnique arti cuilibet oratoriæ (quam parum quæstuosam ostendi) renunciabit, et diversum vitæ genus ingredietur. Alii hæc aliter interpretantur, præter Dusaulx et Al. Ruperti quos, quia mentem auctoris plene ac plane ii percepisse videntur, sumus insecuti. A.

171. *Rudem.*] Tropice, pro libertatem sibi dabit. De proprio verbi hujus sensu, vide sup. sat. VI, v. 113.

174. *Summula ne pereat.*] Id est, ne causas inter agendum perdas *summulam*, quâ vilis tessera venit frumenti; hoc est, pro qua colligenda, vilis tessera frumenti, quam (veluti mercedem lautissimam) acceperas a parentibus, venit, venum it, venditur; uno verbo, ne consumas modicam acceptam a parentibus mercedem. Tessera au-

tem olim frustilla lignea quadrata, certo signo impressa, certaque notata formâ, quâ donabantur ii quibus jus petendi erat frumenti publici. Definitus enim Romæ numerus hominum erat, quibus frumentum dabatur de publico; ut e Suet. in Jul. Cæs. cap. 41, intelligi potest, qui de Julio ita scribit: *atque e viginti trecentisque millibus accipientium frumentum e publico ad centum quinquaginta retraxit.* His igitur tesseres, sive symbolis instructi, pergebant ad horrea publica, et singulis mensibus frumentum accipiebant. Ex illis autem quibus frumentariæ tessere erant, aliqui eas vendebant, aliqui eas dabant pro mercede servis suis aut familiaribus. Tessere aliæ erant scil. globuli certæ speciei, notis inscripti et nominibus, ut frumenti et aliarum rerum; quos qui, in ludis ab Imperatoribus actis, ut juvenalibus a Nerone, cum primam ille barbam posuit, jactos arripuerant globulos, ea accipiebant quæ iis inscripta fuerant: sic Dio in Nerone, et post Xiphil. in compendio de eodem. Πάντα μὲν γὰρ πολυτελέστατα ἃ ἄνθρωποι ἐσθίουσι, πάντα δὲ καὶ τὰ ἄλλα τιμιώτατα, ἵππους, ἀνδράποδα, ζεύγη, χρυσίον, ἀργύριον, ἐσθῆτα ποικίλην ἐδίδουσαν διὰ συμβόλων. σφαίρια γὰρ μικρὰ γεγραμμένα ὡς ἕκαστα αὐτῶν ἔχοντα εἰς τὸν ἑμίλον ἐρρίπτει; καὶ

Frumenti : quippe hæc merces lautissima. Tenta, 175  
 Chrysogonus quanti doceat, vel Pollio quanti  
 Lautorum pueros, artem scindens Theodori.  
 Balnea sexcentis, et pluris porticus, in qua

ἔδιδότο δ' τι τις δι' ἐκείνων ἤρπασεν.  
 Tessera quoque, figura senorum  
 laterum, quæ cubus dicitur, po-  
 tissimum ossea, punctis distincta,  
 quâ in alveolum jactâ luditur,  
 Gall. *des dés*. Tessera denique mi-  
 litaris dicta, (hanc Polyb. appel-  
 lat *πλατεῖον*) taleola, vel tabella  
 lata inscripta, ferens præceptum  
 du cis, quo vel aliquod opus, vel  
 ad bellum exercitus movebatur.  
 De prima tesserarum specie scil.  
 frumentariâ, hoc loco, agitur. A.

175. *Quippe hæc merces lautissi-  
 ma.* ] Scil. tessera frumentaria.  
 Hoc ironice dictum puta; ut sup.  
 119, *siccus petasunculus, vas pe-  
 lamydum*, etc. causicis datum.—  
*Tenta*. Explora, quære, vide.

176. *Quanti doceat.* ] Pro quanta  
 mercede, pro quo pretio Chry-  
 sogonus citharædus de quo vid.  
 sup. sat. VI, 74. — *Pollio doceat*.  
 Instituat. Alter citharædus cita-  
 tus ibid. VI, 387.

177. *Lautorum pueros.* ] Divitum  
 pueros, qui plus citharædo et  
 saltatori, quàm rhetori dabant :  
 quod etiam nunc fit apud nos.  
 — *Scindens*. Proscindens, dividens,  
 Forte, propter sensum, *scindens*,  
 lacerans, sub pedibus terens; et,  
 figurate, contemnens *artem Theo-  
 dori*, rhetoricam artem. *Theodo-  
 rus* autem Gadareus, celeberrimus  
 rhetor, qui, dum Tibe-  
 rius Imperat. Rhodi versaretur,  
 eum habuit discipulum. Ita om-

nes fere interprett. Non possum,  
 quin mirer facilitatem, quâ con-  
 traria contrariis, et secum pu-  
 gnantia jungant interpretes. Hos  
 enim Chrysogonum et Pollionem,  
 quos poëta sat. VI, 74 et 387.  
 ut citharædos adulteros, et quasi  
 lasciviæ magistros nominatim ci-  
 tavit, vertunt nunc in rhetores,  
 qui scindunt, id est, minutatim  
 dividunt et ingerunt artem Theo-  
 dori in animos puerorum. Quæ  
 miranda nimis, atque subita, ut  
 sit vera, videbitur immutatio : nec  
 ullus erit sanæ mentis, qui tan-  
 tam poëtæ nostro oblivionem,  
 atque probabilitatis contemptum  
 attribuat. Ego vero, hos non so-  
 lum affirmarem esse Chrysogo-  
 num atque Pollionem, de quibus  
 jam locutus erat; sed et hunc  
 Theodorum alium esse ac rheto-  
 rem, non possum quin credam.  
 Vel eum esse suspicor citharæ-  
 dum, qui artis suæ regulas scrip-  
 serit, quas Chrysogonus et Pollio  
 scindunt, id est, docent pueros,  
 vel alium forte deformiorem, ad  
 cujus cinædicam artem infandam  
 isti nebulones sub specie artis mu-  
 sicæ docendæ informabant pue-  
 ros. Nam, in Hesychii Lexic. ad  
 verb. Θεόδωρος, sic : Θεόδωρος  
 ἔλεγον οἱ κωμικοὶ τοὺς εὐρυπρώκτους,  
 ἀπὸ Θεόδωρου τινός, οὐκ εὐ τῆς ἑαυ-  
 τοῦ ὄρας προσησχημένου. A.

178. *Sexcentis.* ] Supple millibus  
 sestertiûm constant, exstruuntur

Gestetur dominus, quoties pluit. Anne serenum  
 Exspectet, spargatque luto jumenta recenti? 180  
 Hic potius: namque hic mundæ nitet ungula mulæ.  
 Parte aliâ longis Numidarum fulta columnis  
 Surgat, et argentem rapiat cœnatio solem.  
 Quanticumque domus, veniet, qui fercula docte  
 Componat; veniet, qui pulmentaria condat. 185  
 Hos inter sumptus sestertia Quintiliano,  
 Ut multum, duo sufficient: res nulla minoris  
 Constabit patri quàm filius. Unde igitur tot

balnea divitum. De balneorum luxuria, vid. Senec. Epist. 86.

179. *Anne.*] An, si deambulare velit, exspectet dum tempus fiat serenum? vel, inter vias cœnosas, jumenta sua in lutum proferat? minime: sed potius per vastas porticus, lecticâ gestabitur, etc. A.

180. *Spargatque luto.*] Ubi mularum pedes luto spargantur?

181. *Hic potius.*] Spatiabitur, ubi ungulæ mularum semper nitent.

182. *Numidarum.... columnis.*] Ex Numidico marmore.

183. *Cœnatio.*] Triclinium, locus in superiori domus parte ad cœnandum aptus. — *Rapiat.* Excipiat. — *Argentem solem.* Tepidum, et matutinum, et hybernum. Ut autem æstate solem arcerent, et hyemè reciperent antiqui, pro diversa regionum ac temporum qualitate, ædificia, ut docent Vitr. et Pallad. et Colum. erigebant; ita, ut, fenestræ æstivo tempore ad septentrionem conversæ solem aversarentur; hyber-

no vero solem raperent. Sic Plin. Jun. domum suam Novocomens. describit: *Incipit porticus ante medium diem hyberna, inclinato die æstiva. Hæc adeuntur diætæ duæ, quarum in altera cubicula quatuor, altera tria, ut circuit sol, aut sole utuntur, aut umbrâ.*

184. *Quanticumque domus.*] Subaudi constet, non satis est. — *Veniet qui,* etc. sup. V, 120.

185. *Veniet qui pulmentaria condat.*] Coquus. Pulmentaria autem dicuntur quævis opsonia, vel quæ cum pane eduntur, a pulte quæ priscis Rom. loco panis erat.

186, 187. *Sestertia Quintil.... duo.*] Supple, millia, 391 fr. 97 c. per annum. Hunc autem locum ex Crætitis Thebani Ephem. ap. Laërt. in ejus vita imitatum suspicabatur Grangæus. Τίθει μαγεύρω μνᾶς δέκα, ἰατρῶ δραχμῆν, κόλακιν τάλαντα δέκα, συμβούλιον καπνὸν, πόρνην τάλαντον, φιλοσόφῳ τριβόλον.

188. *Unde igitur tot Quintil... habet saltus?*] Attamen, objiciet ali-

V. 185. *Componat.* Codd. multi habent *componit*; et eodem versu *condit*. At optimorum codd. lectionem secuti sumus, *componat*, et *condat*.

## Quintilianus habet saltus? Exempla novorum

quis : si vera essent quæ de paupertate rhetorum dixisti supra ; unde Quintilianus, tot habet saltus, villas, prædia.

189. *Exempla novorum factorum transi.*] Respondet poëta : *exempla* adeo rara potentiae *factorum transi*, hoc est, non tam eruditioni suæ, aut virtutibus, quæ magnæ sunt certe, non tam hominum liberalitati, quàm aspiranti fato et fortunæ opes suas debet : ei enim uni, quod, nesciam an ulli, contigit, ut locuples et honoratus inter vivos, etsi mereretur, esset. *Nova autem fata* Latini dicebant, cùm magna quædam et prope inusitata atque insolita felicitas alicui evenisset. Quidam ex his de Quintiliano, ut sup. v. 82 et seqq. de Statio dictis, aliquam invidiæ notam nostro Juvenali incuti posse putant. Vide quod jam loco præcitato de Statio diximus. De Quintiliano autem hæc accipe. Quamdiu Romæ rhetoricam artem professus est, scil. per XX annos, non tantæ fuit opulentiae, etsi tamen non omnino pauper, nec famæ ac celebritati suæ penitus accommodatæ : nam, et magna cum gloria in foro versatus est, et primus Romæ scholam habuit publicam, et salarium accepit e fisco centena sestertia : quæ merces exigua sane tot ac tantorum respectu laborum, prope unica, ut videtur, fuit illi concessa. Ei præterea post abdicatum officium docendi publicum, cura nepotum e sorore a Domitiano fuit deman-

data, quæ non ei tantas attulit opes, quantas memorat hoc loco Juvenalis : nam, eum, Trajani etiam temporibus, Plinius Jun. epist. lib. VI, 32. nobis offert *animo* quidem *beatissimum*, sed *modicum facultatibus*. Unde fit, ut, si forte dives unquam et honoratus evaserit, idque sub extremum vitæ tempus, non tam eruditioni suæ ac gloriæ novum hoc munus, si quid id est, debuerit, quàm fortunæ ludo, quæ in Hadriano Imperatore ejusdem fortunæ alumno, veterem ei discipulum dederit agnoscendum. Illum autem Hadriani fuisse eloquentiæ præceptorem, id Ausonii testimonio probatur : ornamenta consularia ei fuisse concessa, id ejusdem Ausonii quoque auctoritate firmatur. Sed, quis iste fuerit Clemens, per quem Quintilianum hos honores impetravisse testatur idem Ausonius ; hæc est difficultas. Duo Clementes fuere sub Domitiano. Alter Imperatoris consanguineus, qui ipsam ejus sororem duxit uxorem, e qua filios sustulit, quorum studiis a Domitiano præfectus est Quintilianus : unde hunc fuisse Clementem cujus operâ Quintilianus impetraverit ornamenta consularia quidam putant : sed, hoc parum arridet ; nam, Ausonius rhetorem nostrum ab Augusto discipulo consularibus ornamentis insignitum fuisse ait, Domitianus porro non fuit ille Augustus discipulus, sed potius Hadrianus. Quintiliano præterea,



Fatorum transi : felix , et pulcher , et acer ;

190

Felix , et sapiens , et nobilis , et generosus

Appositam nigræ lunam subtexit alutæ ;

Felix , orator quoque maximus , et jaculator ;

non satis amplas fuisse divitias ex epist. Plinii sub Trajano scripta videtur , ut ad dignitatem consularem proveheretur : nam , census senatorius erat triplex equestris , id est , valebat duodecies HS , et quidem ultimis *Augusti Cæsaris* temporibus. Cùm vero *Clemens* alter ( *Atreius* ) Plinii Junioris fuerit quoque coævus sub Trajano ; fieri potuit , ut idem ei ornamenta consularia rogaverit , vel potius commonefecerit *Hadrianum* de *Quintiliani* olim in se meritis , qui eum supra modum ditaverit , et ei ornamenta tantum consularia concesserit. Hæ sunt conjecturæ *Dodwelli* in annalibus *Quintilian.* § XXXIV—XLI. Ita , *Quintilianus* noster , si veræ sunt conjecturæ , a *Galba* primum schola publica , et stipendio publico , sed mediocri donatus , deinde a *Domitiano* nepotibus suis instituendis præfectus , sed parvis cum emolumentis , et modicus sub *Trajani* imperio , ab *Hadriano* , sub finem vitæ suæ , ad opes et potentiam subito , ac per breve tempus evectus est. Quod exemplum , si fortunæ tribuit *Juvenalis* , ac non virtuti et doctrinæ viri , non ideo invidiæ nota ei incutienda est ; nam , et hoc themati suo conveniebat : et , re ipsa , singulari quodam fato contigit , ut ille , qui dum scriptis suis et scientia Romanos illustraret ,

modicus fuit per septuaginta annos ; tandem cùm a vivis excessurus videretur , in eo ipso *Hadriano* quondam privato et discipulo suo , generosum fautorem atque fortunæ in se injustitiæ emendatorem reperiret. A.

190. *Felix.* ] Hoc est , qui felix est , ille cui fata favent , est et pulcher , et acer , illi denique omnia et animi et corporis bona affluunt. Hæc cave ne *Quintiliano* adsciscas : nam , etsi plura ei conveniunt , non omnia tamen. Illud præterea epitheton *felix* ter repetitum langueret , vel potius nihil significaret. Generaliter autem sententiam sumas : ille qui felix est ; et sapiens est , et nobilis , etc. In eodem sensu , *Horat.* epist. I , 1 , 106 :

Ad summam , sapiens uno minor est  
Jove ; dives ,  
Liber , honoratus , pulcher , rex denique  
Regum :  
Præcipue sanus , nisi cùm pituita molesta est.

192. *Nigræ... alutæ.* ] Unum ex senatorum insignibus erat *aluta* , sive calceus ex aluta , corio molli confectus , cui *subtexta* erat fibula eburnea ; sive argentea , *lunæ* , unde *lunula* vocabatur , speciem referens , vel , ut alii volunt , litteram C , quæ est nota numeri centum scilicet patrum a *Romulo* creatorum , offerens.

193. *Jaculator.* ] Dialecticus ,

Et si perfrixit, cantat bene : distat enim , quæ  
 Sidera te excipiant modo primos incipientem 195  
 Edere vagitus , et adhuc a matre rubentem.  
 Si fortuna volet , fies de Rhetore Consul ,  
 Si volet hæc eadem , fies de Consule Rhetor.  
 Ventidius quid enim ? quid Tullius ? anne aliud quàm  
 Sidus , et occulti miranda potentia fati ? 200

sophista qui argumenta in adversarium quasi jaculatur.

194. *Perfrixit.*] Vulgo frigus , refrigeratio raucam vocem facit. — *Distat enim.* Multum interest.

195. *Quæ sidera te excipiant.*] An benigna tibi nascenti , an maligna effulserint sidera. Hæc εἰρω-  
 νιστικῶς dicta : superstitionem enim vulgi passim exagitat.

196. *Et adhuc a matre rubentem.*] Te adhuc recens natum. Exemptus enim ab utero matris puer solet rubere.

197. *Fies de rhetore consul.*] Is locus est , ex quo conjiciunt *Quintilianum* fuisse consulem. Attamen ait *Turneb.* *Advers.* lib. XXII , cap. 22 , cùm id apertum non sit , malim , quod *Auson.* scripsit , existimare donata ei consularia ornamenta. Vid. ad v. 189. Hunc autem *Juvenalis* locum explanat *Plin.* *epist.* V , 11 , ubi de *Vale-  
 rio Liciniano Prætorio* agitur , qui exul de senatore , rhetor de oratore factus est : *quos tibi , Fortuna , ludos facis ? facis enim ex professoribus senatores , ex senatoribus professores !* Et *Suet.* de illo rhet. cap. 1 : *Magno* , ait , *studio hominibus injecto , magna etiam professorum ac doctorum profluxit copia , adeoque floruit , ut nonnulli ex infi-*

*ma fortuna in ordinem senatorium , atque ad summos honores processerint.* Quid , si nostris temporibus vixisset *Plinius* , quanto justius exclamasset : *Quos tibi , Fortuna , ludos facis ! A.*

198. *De consule rhetor.*] Ad eundem *Valer. Licinianum* spectat , de quo supra.

199. *Ventidius.*] Hic cognomine *Bassus* , homo humili loco in *Piceno* natus , et bello sociali inter captivos *Picentes* , ante currum triumphalem *Cn. Pompeii Strabonis* ductus , deinde *rhedarius* ac mulio , tum amicus *C. Julii Cæsaris* et *M. Antonii* , quorum ope trib. plebis , præturam , pontificatum consulatumque adeptus est ; tandem a *M. Antonio* adversus *Parthos* missus , de quibus primus triumphavit. Cùm autem consul factus est , ea de re ejusmodi versiculi per vicos *Urbis* sunt propositi :

Concurrite omnes augures , haruspices :  
 Portentum inusitatum conflatum est  
 recens ,

Nam mulos qui fricabat , consul factus  
 est.

— *Tullius.* Non *Tullius Cicero* , sed *Servius Tullius Rex Romanorum sextus* , et captivæ filius.

200. *Quàm sidus et occulti , etc.*]

Servis regna dabunt, captivis fata triumphos.  
 Felix ille tamen corvo quoque rarior albo.  
 Pœnituit multos vanæ, sterilisque cathedræ,  
 Sicut Thrasymachi probat exitus, atque Secundi  
 Carrinatis : et hunc inopem vidistis, Athenæ, 205  
 Nil præter gelidas ausæ conferre cicutas.  
 Dî, majorum umbris tenuem, et sine pondere terram,

Hoc est, anne hæc alia putas, quàm exempla vis sideris natalitii, et potentiaë fati occulti?

201. *Servis regna dabunt.*] Hæc ad *Ventidium* et *Tullium* spectant.

202. *Felix ille.*] Qualis fuit *Quintilianus*, vel *Ventidius*, etc. — *Corvo rarior albo.* Proverbium, ut supra, VI, 165, *nigroque simillima cycno.*

203. *Sterilisque cathedræ.*] Professionis rhetoricæ. *Sterilis*, quia, ait *Martialis* :

Illic æra sonant; at circum pulpita  
 nostra,  
 Et steriles cathedras, basia sola cre-  
 pant.

204. *Sicut Thrasymachi.*] « Rhetoris apud Athenas, qui suspensio periiit. » Vet. Schol. Eum inopiã laborantem rhetoricã professione destitisse monet *Philostrat.* *Suid.* Θρασύμαχος Χαλκεδόνιος σοφιστής ἐν Βιθυνίᾳ, ὃς πρῶτος περίοδον καὶ κῶλον κατέδειξε, καὶ τὸν νῦν τῆς ῥητορικῆς τρόπον εἰσηγήσατο. Μαθητῆς Ἰλάτωνος τοῦ φιλοσόφου, καὶ Ἰσοκράτους τοῦ ῥήτορος. Ἐγράψε συμβουλευτικὸς, τέχνην ῥητορικὴν, παίγνια, ἀφορμὰς ῥητορικᾶς.

205. *Carrinatis.*] *Secundus Carrinas* rhetor Atheniensis, urgente inopiã, Athenis migravit Romam,

ubi aliquandiu floruit. At, cùm contra tyrannos declamasset, a C. Cæsare Germ. Aug. (*Caligula*) in exilium missus est. — *Hunc inopem vidistis, Athenæ.* Acerbe dicta in Athenienses : scil. Carrinatem inopem vidistis, nec eum sublevavistis.

206. *Ausæ.*] Quæ tantum audetis philosophis vestris, ac rhetoribus conferre, dare *cicutas gelidas*, mortiferas. *Cicuta* autem venenum gelidum est. *Scribonius largus* de compositione medic. 179. *Cicutam potam caligo, mentisque alienatio, et artuum gelatio insequitur; ultimoque præfocantur, qui eam sumpserunt, nihilque sentiunt.* Alludit autem poëta ad *Socratis* mortem, qui inter rhetores etiam numeratur, teste *Laërt.* in ejus vita.

207. *Dî.*] *Supple, concedite, date.* — *Majorum umbris.* Nostorum avorum tam Græcorum, quàm Romanorum. — *Tenuem et sine pondere terram.* Sic veteres defunctis bene precabantur, inscribebantque has tumulo eorum litteras, S. T. T. L. hoc est : *Sit tibi terra levis*; scil. ut mollius quiescerent : quibus autem erant infensi, sic imprecabantur : *Sit*

Spirantesque crocos, et in urna perpetuum ver,  
 Qui præceptorem sancti voluere parentis  
 Esse loco. Metuens virgæ jam grandis Achilles 210  
 Cantabat patriis in montibus : et cui non tunc  
 Eliceret risum citharædi cauda magistri?  
 Sed, Rufum, atque alios cædit sua quemque juvenus,  
 Rufum, qui toties Ciceronem Allobroga dixit.

*tibi terra gravis. Urgeat ossa lapis.  
 Duriter ossa cubent.*

208. *Spirantesque crocos.*] Sinite, ut croci flores odoriferi nascantur ex eorum tumulis. Ex mortuorum tumulis suave olentes quosque flores erumpere putabant antiqui; quæ sententiæ ortæ sunt ex veteri more aspergendi floribus, honoris causâ, quod Græcis est φυλλοβολαίη; hinc etiam est, quod *ver perpetuum* optabant suorum tumulis, eoque perpetuo frui Manes honorum credebant.

209. *Qui præceptorem, etc.*] Quint. lib. II, cap. 9: *Discipulos id unum moneo, inquit, ut præceptores suos non minus quàm ipsa studia ament, et parentes esse non quidem corporum, sed mentium credant.* Sic D. Paulus se patrem appellat, discipulos vero suos *filios*. Ad Galat. IV, 19: *Τεκνία μου, οὓς πάλιν ὠδίνω, ἄχρις οὗ μορφωθῆ Χριστὸς ἐν ὑμῖν.*

210. *Metuens virgæ... Achilles.*] Jam grandis, id est, jam adolescens Achilles tamen, disciplinæ erat subditus, et, ut ait Ovid. Art. Am. I, 13:

Qui toties socios, toties perterruit hostes,

Dicitur annosum pertimuisse senem.

Quas Hector sensurus erat, poscente magistro,  
 Verberibus jussas præbuit ille manus.

211. *Cantabat.*] Cantare discabat fidibus et citharâ.

212. *Citharædi cauda magistri?*] Et tamen, inquit, cui discipulo etiam tunc non movisset risum cauda Centauri magistri? Eo mirabilior est juvenis reverentia. Centauris corpus et cauda equi tribuebantur: quod commentum ridet poëta.

213. *Sed Rufum, etc.*] Rhetorem clarissimum hujus temporis, ipsiusque Ciceronis æmulum: hunc tamen discipuli non modo deridere, sed et verberare etiam audent. Vetus autem illa est querimonia præceptorum, ut Lydi ap. Plaut. scil. Bacch. I, 2.

Video nimio jam multo plus quàm volueram.

Vixisse nimio jam multo satius est, quàm vivere.

Magistron' quemquam discipulum minitarier?

Nil moror discipulos mihi esse jam plenos sanguinis:

Valens afflictat me vacivum virium.

214. *Qui toties Ciceronem, etc.*] Ciceronem Allobroga dixit, id est, barbarum et Gallum, Allobrogiceque loquentem. Allobroges

Quis gremio Enceladi, doctique Palæmonis affert 215  
 Quantum grammaticus meruit labor? et tamen ex hoc,  
 Quodcumque est (minus est autem quàm rhetoris æra),  
 Discipuli custos præmordet Acænonoëtus,  
 Et, qui dispensat, franget sibi. Cede, Palæmon,  
 Et patere inde aliquid decrescere: non aliter quàm 220

autem sunt populi Galliæ, quorum urbs metropolis Vienna fuit, teste Strabone lib. IV. Alii suspicantur Rufum ostendisse in oratione, Ciceronem cum Allobrogum legatis in conjuratione Catilinæ potius sensisse, quàm cum civibus suis, quod ei Sallustius exprobrat. Sed, hæc interpretatio ab hoc loco aliena est. Non defuere autem Ciceroni obtrectatores, præter hunc Rufum: quibusdam visus est inflatus, tumens, nec satis pressus, supra modum exsultans, et superfluous, et parum antiquus. Vide Dialog. de orat. cap. 18 et 22.

215. *Quis gremio Enceladi.*] Ad grammaticos transit, quorum labor non minus molestus, et conditio miserior est.—*Gremio affert.* In gremium, sinum v. sedentis infundit præmium, quantum, etc. Enceladus grammaticus non aliunde notus.—*Palæmon.* De eo jam satirâ VI, v. 452.

216. *Et tamen ex hoc.*] Pretio, ex hac mercede tantula.

217. *Æra.*] Merces, salarium.

218. *Discipuli custos.*] Ductor, pædagogus. Distincti a præceptoribus, pædagogi: præceptores ingenui erant, et artes scientiasque docebant; pædagogi servi, quibus pueros ad scholam ducendi, et in eos invigilandi cura erat mandata.—*Acænonoëtus* Nomen fictum pædagogi. ἀκαίνονονός, aut communi carens sensu, proprium pappatis. Sic vet. schol.—*Præmordet.* furtim deradit, abradit, intercipit partem διδάκτρου dandi præceptoribus.

219. *Et qui dispensat.*] Dispensator, œconomus. De quo vid. sup. ad I, 91.—*Franget sibi.* Retinebit partem mercedis.

219 et seqq. *Cede Palæmon.*] Hæc cum miseratione dicta. Hoc est, cede aliquid de tuo jure, et æquo animo patere partem mercedis tibi promissæ vel a servis frangi, præmorderi, atque ita decrescere, imminui, ne illa tota pereat: uno verbo, non aliter age ac mercator, qui de majori quod pro mercibus postulavit

V. 218. *Acænonoëtus.* Hoc nomen in omnibus codd. corrumpitur; quod non est mirum; venit enim a græco: at, vid. comment.

V. 219 *Franget.* Ita XXV codd. et multæ edd. priscæ. Aliis, *frangit.*

Institor hybernæ tegetis, niveique cadurci,  
 Dummodo non pereat, mediæ quod noctis ab hora  
 Sedisti, quâ nemo faber, quâ nemo sedebat,  
 Qui docet obliquo lanam deducere ferro:  
 Dummodo non pereat totidem olfecisse lucernas, 225  
 Quot stabant pueri, cùm totus decolor esset  
 Flaccus, et hæreret nigro fuligo Maroni.  
 Rara tamen merces, quæ cognitione Tribuni

pretio nonnihil remittit, ut eas vendat, ac cito distrahat.

221. *Institor.*] Ab *instando*. Præfectus negotio gerendo, qui negotiationem quamcumque et mercaturam vel domi, vel peregre domini nomine exercet, quique eodem nomine singulatim in taberna merces vendit, vel etiam circumfert, Gall. *facteur*, *commis*. Hic, *institor tegetis hybernæ*, id est, qui vendit pingues lacernas duri crassique coloris, vel tegumenta crassiora lecti, ad frigus arcendum, un *commis drapier*. — *Niveique cadurci*. Vide sup. VI, 537.

222. *Dummodo non pereat, etc.*] Ne omnis pretii expers sit labor tuus, eo molestior quo, *mediæ noctis ab hora sedisti* in schola, et prius labori incubuisti, quàm sellularii artifices, etc. — *Mediæ quod noctis ab hora*. Nam, Romani ludos litterarios jam prima luce, et etiam ante aperiebant. Quod testatur vet. schol. et indicat Mart. lib. IX, epig. 68:

Quid tibi nobiscum, ludi scelerate magister,

Invisum pueris, virginibusque caput?

Nondum cristati rupere silentia galli,

Murmure jam sævo, verberibusque tonas, etc.

224. *Qui docet obliquo, etc.*] Hoc est, carminator: nam, *obliquum ferrum* vocant carmen; unde *carminare lanam*, idem quod eam obliquo ferro deducere, attenuare, *carder la laine*.

225. *Lucernas.*] Cùm ipsa nocte scholæ frequentari solerent, discipulus quisque suam secum afferebat lucernam.

226. *Decolor esset Flaccus.*] Horatii codex puerorum manibus attritus, maculatus.

227. *Et hæreret.... fuligo.*] Cùm adhæreret fuligo e tot lampadum vapore creata. — *Nigro Maroni*. Libro misere contaminato. Ex his, patet Virgiliti et Horatii opera in eodem, quo nunc, honore versata fuisse: quippe quæ jam, ut Homerus in scholis legi et explicari a grammaticis solebant.

228. *Quæ cognitione tribuni.*] Hoc est, quæquidem merces etsi exigua, raro tamen tibi sine lite obvenit, et *cognitione tribuni*, non plebis, sed *ærarii*, qui de levioribus tantum causis, rebusque pecuniariis cognoscebat. Primis autem reipublicæ temporibus ju-

Non egeat. Sed vos sævas imponite leges,  
 Ut præceptori verborum regula constet, 230  
 Ut legat historias, auctores noverit omnes,  
 Tanquam ungues digitosque suos : ut forte rogatus,  
 Dum petit aut thermas, aut Phœbi balnea, dicat  
 Nutricem Anchisæ, nomen patriamque novercæ  
 Anchemoli ; dicat, quot Acestes vixerit annos, 235

dicia senatum penes fuerant, lege Sempronîa ad equites sunt translata ; deinde lege Liviâ et Plautiâ senatoribus et equitibus conjunctim data ; tum a C. Sulla senatoribus reddita, et tandem, lege Aureliâ tribus ordinibus communia facta : ita ut, senatores de maximis causis, equites de mediis, et tribuni ærarii de minimis. *Ærarii* autem dicti sunt isti *tribuni* e populo lecti, non quòd exigerent pecunias ærario debitas, quod erat munus quæstorum ; sed, quòd de minoribus causis, sive pecuniariis cognoscerent : unde iste jocus Ciceronis, qui eos appellat non tam *ærarios*, quàm *æratos*. Fere pari funguntur apud nos munere illi, quos vocamus *juges de paix*. A.

229. *Sed vos.* ] Apostrophe ad parentes.

231. *Ut legat historias, etc.* ] Nihilo secius parentes exigunt, ut grammaticus omnia, etiam levissima sciat, et quoscumque filios ita, ut optant, et fingat et amet. Ad grammaticorum artem Cicero refert poëtarum pertractationem, historiarum cognitionem, interpretationem verborum et pronuntiandi quemdam

sonum. Tull. de Orat. I, 42. Plura Quint. I, 4. Al. Rup.

232. *Tanquam ungues (noverit) digitosque suos.* ] Locutio proverbialis, ad quam respondet hæc gallica, *savoir quelque chose sur le bout du doigt*. A.

233. *Thermas, aut.... balnea.* ] *Balnea* et *thermæ* differunt. In *thermis* proprie sudabatur, in *balneis* lavabatur. — *Balnea Phœbi*. Quidam hæc esse putant *balnea Phœbi* liberti Neronis. Vet. schol. « Privata balnea, quæ *Dafnes* appellantur. »

234. *Nutricem Anchisæ.* ] Hanc vet. schol. Tisiphonem appellat.

235. *Anchemoli.* ] De noverca Anchemoli servius ad Virg. Aeneid. X, 589, ad quem locum Juvenalis respexit : « Hæc fabula nusquam « invenitur in auctoribus. Avienus autem, qui totum Virgilium et Livium iambicis scripsit, hanc commemorat dicens « græcam esse. Rhætus ergo Marubiorum rex fuit in Italia, qui « *Anchemolo* filio Casperiam su- « perduxit novercam, quam pri- « vignus stupravit : quo cognito, « cùm eum pater persequeretur, « et ad pœnam vocaret, fugiens

Quot Sículus Phrygibus vini donaverit urnas.  
 Exigite, ut mores teneros ceu pollice ducat,  
 Ut si quis cerâ vultum facit: exigite ut sit  
 Et pater ipsius cœtus, ne turpia ludant,  
 Ne faciant vicibus. Non est leve tot puerorum 240  
 Observare manus, oculosque in fine trementes.

• Ille se ad Turnum contulit. »

236. *Quot Sículus.*] Acestes. Gauderant autem Romani, ut videtur, ejusmodi vanis quæstionibus et nugis vexare grammaticos; quas et similes, ut inutiles rejicit Seneca epist. 98. Easdem quoque in Tiberio sic reprehendit Sueton. cap. 70, dicens: *Maxime curavit notitiam historicæ fabularis, usque ad ineptias et derisum: nam, et grammaticos ejusmodi fere quæstionibus experiebatur: quæ mater Hecubæ? Quod Achilli nomen inter virgines fuisset? Quid Sirenes cantare solitæ?*

237. *Mores teneros.*] Scil. puerorum fingat et formet, quemadmodum cera ad ignem emollita in varias figuras fingitur pollice.

239. *Et pater ipsius cœtus.*] Puerorum scil. Ut vigilet super eos, tanquam pater ipse. — *Ne turpia ludant.* Hic ludere ad rem veneream pertinet. Sic Martialis, lib. IX, epig. 26:

Ludere Mercurio cum Ganymede licet.  
 Sic Petron. satyric. : *Discussis fortissimis claustris, invenit me cum fraude ludentem.*

240. *Ne faciant vicibus.*] Ut sup. VI, 311, *inque vices equitant*, ne inter se coëant, agant et patiantur. Turpis res verbis honestis designata. — *Non est leve.* Objection præceptorum: *non est leve*, facile, etc.

241. *Observare manus.*] Ne libidinem exercent, ne eorum

. . . . . Fiat amica manus:  
 Sed, ô juvenes! ut ait Mart. lib. IX, epig. 42:

Pontice, quod nunquam futuis, sed pellice leva

Uteris, et Veneri servit amica manus;

Hoc nihil esse putas? scelus est, mihi crede, sed ingens,

Quantum vix animo concipis ipse tuo.

Nempe semel futuit, generaret Horatius ut tres:

Mars semel, ut geminos Ilia casta daret.

Omnia perdiderat, si masturbatus uterque

Mandasset manibus gaudia fœda suis.

Ipsam crede tibi naturam dicere rerum:  
 Istud quod digitis, Pontice, perdis, homo est.

— *Oculos in fine trementes.* Nam

V. 240 et 241. *Ne faciant vicibus.* Hos versus abesse a quibusdam codd. inquit Valla. Attamen, in omnibus leguntur nostris codd. Si igitur, a Vallæ codd. absunt; id, certe, propter obsœnitatem, factum est.



Hæc, inquit, cures, et cùm se verterit annus,  
Accipe, victori populus quod postulat, aurum.

post libidinem expletam, ut ait  
Ovid.

Aspicias oculos tremulo fulgore mi-  
cantes,

Ut sol in liquida sæpe refulget aqua.

242. *Hæc, inquit, cures.*] Pater  
respondet: tria nempe tibi cu-  
randa: ut purus sermo; multa-  
rum rerum notitia; ut honesti  
mores sint in liberis meis. — *Et*  
*cùm se verterit annus.* Scil. anno  
finito, et redeunte Martio mense  
quo διδάκτρον magistris solvitur.

243. *Accipe quòd, etc.*] Tan-  
tum, quantum victoribus athle-  
tis in Circo populus jubebat dari:

scil. quinque aureos, ut vult  
Prateus, *cinq louis d'or.* Itaque  
unâ horâ tantum præmii conse-  
quuntur, quantum grammaticus  
per totum annum. Quid tanto-  
pere stomachatur Juvenalis? At,  
si inter vivos adhuc esset, gram-  
matici quanto miseriores ipsi vi-  
derentur, quibus quatuor, vel  
quinque per menses franci gal-  
lici, id est, sexaginta fere libræ,  
per annum pro mercede dantur!  
Attamen, ut vera dicam, et tar-  
dius surgunt, quàm tempore ip-  
sius, et maturius cubant, et ce-  
lerius officio funguntur suo. A.

---

## SATIRAE OCTAVAE

### ARGUMENTUM.

NOBILITAS PROPRIA EST VIRTUS, NON ACTA PARENTUM.

*Nobilitas sola est atque unica virtus*, ait poëta noster, et id est præstantissimi hujus operis argumentum. Quid enim refert nobilem esse et a summis viris originem ducere, si male vivitur coram ipsis majoribus (1 — 18)? Qui patriæ utilis, cæteros moribus ac probitate antecellit, nobilis sit, esto: qui vero præter titulos nil habet aliud, unde gloriari possit, is dignus qui nomen speciosum ferat, quod turpibus animalibus, eoque indignis per ludum aliquando damus (19 — 38). Rubellius Blandus natalium splendore inflatus humiles despicit; at multi sunt utilissimi cives, qui vel de jure respondent, et ipsius nobilis indocti causas agunt, vel operam in re militari strenuam principi præstant: Rubellius autem suâ ignaviâ et imbecillitate trunco simillimus, Hermæ statuâ nil differt, nisi quod vivit ac spirat (39 — 55). In equis ad Circenses ludos mittendis, non genus spectatur, sed virtus; et qui inter eos degener est et imbellis, vili pretio rhedariis venditur aut mentoribus (56 — 67). Si igitur hominum admiratione, et laude dignus videri cupiat nobilis homo, non omnia debeat majoribus: sit bonus miles, tutor fidelis, judex incorruptus; et si vel tyrannus illum tormentorum metu ad pejerandum adegerit, se ultro morti offerat, atque putet,

Et summum esse nefas animam præferre pudori,

Et propter vitam, vivendi perdere causas.

(68 — 86). Sententia aurea, quam sequitur optimi provinciarum gubernatoris adumbratio, cui opponitur descriptio rapinarum ac flagitiorum, quibus se contaminaverunt ab ultimis reipublicæ temporibus, Proconsules ac Prætores, qui miseris provincialibus antea aurum, argentum, ebur, marmor habentibus nil omnino reliquerant, nisi ferrum atque injuriæ sensum.

Inde ira et indignatio populorum tam injustam urbem minitantium : victis etenim,

. . . . . Tollas licet omne quod usquam est  
Auri, atque argenti; scutum, gladiumque relinques,  
Et jacula et galeam : spoliatis arma supersunt.

Quod oraculum non vanum fuisse historia satis aperte demonstrat (87—126). In Damasippo deinde, turpia nobilium vitia detegit, scilicet insanum aurigandi studium, molli-  
tiam, et vinolentiam; eidem, histrionalem exprobrat artem; Graccho, gladiatoriam; Neroni, saltationem indecoram in theatro (127—210). Ad exempla præcellentiae plebeiorum hoc modo transit: nobilitas vera a virtute, non a titulis pendet; nec quisquam dubitabit Senecam præferre Neroni parricidæ, Neroni uxoris, fratris, sororis, propinquorumque suorum ac cognatorum cæde madenti (211—230). Catilina et Cethegus nobiles erant, et patriæ perdendæ consilium inierunt, quam ab interitu vindicavit Cicero ignotus Arpinas, et homo novus (231—244). Marius item Arpinas primo mercenarius fossor, post gregarius miles vicit Cimbro, et dignum se præbuit, qui tertius Romæ conditor diceretur; dum collega ejusdem nobilissimus, duo triumphos sibi oblatos Mario recusante, secundam tantum palmam tulit (245—253). Decii plebeii erant, et sanguis eorum fuit divinitati infensæ acceptissimum piaculum. Servius Tullius, captivâ matre natus, regnum adeptus est, et maximum se regem gessit. Filii denique Bruti patriam prodiderunt: illam servus delatione servavit (254—268). Præstat igitur humili loco natum esse, ac virtutibus inclarescere, quàm majorum effigies vitiis inquinare: et quicumque, vel antiquissimâ stirpe orti, inde superbiunt, a pastoribus aut turpioribus forte parentibus originem ducunt (269—274). Attamen, hoc loco, tantisper moremur. Prudentes quosdam et sapientes viros offendit illud Marii primum (Sall. Bell. Jug.), Juvenalis deinde, satirici demum nostri *Boileau* (sat. V.), latius, et forsân ultra veritatis fines thema protensum, scilicet: *Nobilitas sola est atque unica virtus*. Ex ea enim excellenti, si

unquam fuit, sententia morali, sophistæ quidam neoterici consequentias felicitati imperiorum adversas, et populorum securitati perniciosas elicuere. Nobiles Romani a virtutibus avorum suorum desciverant, indocti præterea, imbelles, ignavi, molles, tyrannidis fautores, et divites erant, ergo, etc. . . . Plebeii contra fuere quondam (nota *quondam*) docti, fortes, strenui, tyrannorum hostes acerrimi, et pauperes, ergo, etc. . . . At, si de virtutibus plebeiorum temporibus Decii, M' Curii, Marii, Ciceronis minime dubitandum est; eadem certe laus, et par temperantiæ, fortitudinis, bellicæ virtutis et eloquentiæ fama tunc patriciis obtigit. Si Juvenalis ævo, nobiles prope omnes ita vitiis se contaminari siverunt; quid de plebeiis poetæ coævis dicendum; quibus morum corruptela eadem, luxuria, libido, honorum et divitiarum insana cupido fuit, quibus quoque furta, delationes, homicidia, incantamenta, si historiæ fidem adhibeamus, cõmunia erant? unde illud recolligi debuit: « Quando caput dolet, corpus sæpe dolet. » Uterque igitur ordo pravus æque non adeo dignus erat, in cujus gratiam imperii subversionem machinarentur novatores. Romanis vilibus satius certe fuit rem integram linquere. Iis domino opus fuerat, et illum habebant. In hac igitur crudeli necessitate, utilis aliquando nobilitas fuit: medium quippe locum sæpe inter principis injusti aut insani libidinem, et plebis petulantiam tenuit. Generaliter nobilitatem intueamur. Hujus institutio prægrandis, prudens, et callidus admodum legislatoris conceptus fuit. Ejus enim opinio heroas genuit; et, ablatâ spe nobilitatis acquirendæ, atque nepotibus transmittendæ, quid egregium aut laude dignum ipsimet proferrent plebeii? Nobilitas, vel degener, speciem humanitatis, benignitatis atque urbanitatis præ se fert; sui quamdam habet reverentiam, quam non servat homo obscurus, qui sæpe in Urbem nudo venit talo, honores, divitias, potentiam quoquo modo quæsiturus et acquisiturus; quam non servant, inquam, corruptæ plebis rusticitas et barbaries. Uno verbo, nobis semper molestæ minus erunt patricii cujuscumque

## 302 SATIRAE OCTAVAE ARGUMENT.

fastus et superbia, quàm novi hominis sordes, morositas et insolentia: et, si quis antea ignotus, nunc dives factus atque, vel virtute suâ, potens, honoratus inter cives suos inde superbiret; hanc illi objicerem sapientissimam Horatii (sat. 6, lib. I) sententiam, quæ quidem Juvenalis nostri exuberantem, ut mihi videtur, prudenter emendat propositionem:

Namque esto, populus Lævino mallet honorem,  
 Quàm Decio mandare novo; censorque moveret  
 Appius, ingenuo si non essem patre natus;  
 Vel merito, quoniam in propria non pelle quiessem.  
 Sed fulgente trahit constrictos gloria curru  
 Non minus ignotos generosis. Quo tibi, Tilli,  
 Sumere depositum clavum, fierique Tribuno?  
 Invidia accrevit, privato quæ minor esset.  
 Nam ut quisque insanus nigris medium impediit crus  
 Pellibus, et latum demisit pectore clavum;  
 Audit continuo: quis homo hic est? quo patre natus?  
 Ut, si qui ægrotet quo morbo Barrus, haberi  
 Et cupiat formosus, eat quacumque, puellis  
 Injiciat curam quærendi singula: quali  
 Sit facie, sura quali, pede, dente, capillo:  
 Sic, qui promittit cives, urbem, sibi curæ  
 Imperium fore, et Italiam, et delubra Deorum;  
 Quo patre sit natus, num ignota matre inhonestus,  
 Omnes mortales curare, et quærere cogit.  
 Tune Syri, Damæ, aut Dionysi filius, audes  
 Dejicere e saxo cives, aut tradere Cadmo?  
 At Novius collega gradu post me sedet uno;  
 Namque est ille, pater quod erat meus. Hoc tibi Paulus,  
 Et Messala videris? at hic, si plaustra ducenta,  
 Concurrantque foro tria funera, magna sonabit  
 Cornua quod vincatque tubas: saltem tenet hoc nos.

Nec præcedentibus stylo, gravitate sententiarum, et majestate sermonis cedit nostra satira, inter consummatissimas nostri poëtæ, sine dubio, annumeranda. Cum ea, comparant quidam Horatii sat. 6, lib. I. Vide quoque Sall. Bell. Jugurt. Apud nos, *Boileau* hanc satiram fere ad verbum expressit, nec illepide quidem, sed non pari eventu; et quàm longe Juvenali sit inferior, utramque linguam sapienti apparebit æque.

---

## SATIRA VIII.

### NOBILES.

**S**TEMMATA quid faciunt? Quid prodest, Pontice, longo  
Sanguine censeri, pictosque ostendere vultus  
Majorum, et stantes in curribus Aemilianos,  
Et Curios jam dimidios, humerosque minorem

1. *Stemmata.*] In atriis suis Romani majorum imagines cereas habebant singulis armariis dispositas, ut essent imagines quæ comitarentur gentilitia funera; semperque, defuncto aliquo, aderat familiæ ejus qui unquam fuerat, totus populus. In festis autem gentilitiis, aliisve magnis eventibus, hæ imagines cereæ in porticibus oculis omnium proponebantur, et ex præcipuâ, quæ stirps erat, *Serta*, seu *vittæ* ex herbis et floribus textæ (unde *stemma*, Græc. *στέμμα* à *στέπειν*, coronare, circumdare), tanquam rami discurrebant ad cæteras imagines, easque ligando relationes cujusque, adeoque familiæ successionem, seu genealogiam indicabant, ut in oculos incurreret, quis esset tritavus, atavus, abavus, proavus, avus, pater, etc. quod intelligere est ex Seneca, lib. III, de beneficiis, ex Plin. lib. XXXV, ex Paulo jurisconsulto et aliis. Ad hunc ritum disposita fuisse videtur apud recentiores *arbor prosapiæ* et consanguinitatis, *l'arbre généalogique*:

ita, ut, coronuli et ramuli quasque figuras inter se colligantes, sint proprie quod Juvenalis et alii vocant *stemmata*, quæ eadem sunt ac gradus et ordines generationum, Gall. *les généalogies*. — *Pontice.* Vir ignotus, sed nobilis: nam ad spem provinciæ obtinendæ eum aspirasse intelligitur ex vers. 87 et seqq. A.

2. *Sanguine longo censeri.*] Longâ majorum serie, generosâ stirpe. — *Pictos.... vultus.* Tabulas, vel imagines pictas *majorum*. Præter imagines cereas de quibus supra, in tabulis effigies majorum cum suis insignibus delineatas et pictas habebant.

3. *Et stantes in curribus.*] Sat. præcedenti vers. 125, vidimus *Aemilium* causidicum cujus in vestibulis, *stabat currus aëneus*: sic majorum suorum statuas vel curules, vel triumphales in porticibus nobiles habebant. — *Aemilianos.* Hic, P. Cornelium Scipionem Aemilianum Africanum L. Aemilii Pauli filium, a P. Cornelio Scipione Majoris Africani filio adoptatum.

4. *Curios.*] M' Curium Denta-

V. 4. *Humerosque minorem.* Codd. fere omnes habent, *nasumque minorem*. IX tantum, *humerosque minorem*, quam lectionem recepimus, propter hæc, versu sequenti, *nasoque carentem*.

Corvinum, et Galbam auriculis nasoque carentem? 5  
 Quis fructus generis tabulâ jactare capaci  
 Fumosos Equitum cum Dictatore Magistros,

tum, de quo supr. sat. II, v. 3.—  
*Jam dimidios.* Diurnitate temporis imminutos.

5. *Corvinum.*] Cognomen Valeriæ genti proprium, propter corvum, cujus ope M. Valerius tribunus militum Gallum acie vicit; quod vel tironibus notum est.—*Galbam.* Cognomen Sulpiciæ gentis.—*Auriculis nasoque carentem.* Ut, versu præcedenti, *humerosque minorem*: lepide, pro *statuas nobilium majorum jam temporum injuriâ humeris, auribus, nasisque mutilatas.*

6. *Tabulâ jactare.*] Tabula generis, genealogia.—*Jactare.* Expressius dictum, quàm ostendere vers. 2. *N. B.* Post versum 6, quidam hunc subjiciunt:

Corvinum, post hac multâ contingere virgâ,

qui in optimis codd. et edd. non est: et reipsa, ut recte monstraverunt Juvenci, et post eum Ruperi, hic versus glossam redolet, et interpolatus videtur ab indoc-ta manu. Primum enim insulse repetitur *Corvinum*, cum multi essent admodum, quos auctor hoc loco, citare potuisset, ut *Cornelium, Cornutum, Carvilium*, etc.

Deinde, quid significat τὸ *post hac*, quod languet, at ab hoc loco alienum est: tum demum, *contingere virgâ*, aut *deducere*, ut alii legunt, non minus inelegans est: *multâ enim deducere virgâ*, id est, e multis ramis e trunco prodeuntibus *deducere*, elicere avos Magistros equitum aut Dictatores, inutilis certe est repetitio stemmatis: si legas *multâ contingere virgâ*, longo radio contingere, ostendere Magistros equitum, Dictatores, illud ultimum ridiculum est: et ridicula magis interpretatio gallica *Dusaulx: Le fruit de la noblesse se réduirait-il à nous désigner, la baguette à la main, les bustes enfumés*, etc. Ista enim virga in manu ostendentis, haud multum distat a radio sagarum, veneficarum et magarum, Circes, Medæ et aliarum, etc. aut saltem ab illâ quâ utuntur triviales isti pharmacorum, liquorum aut cataplasmatum venditores, Gall. vocati *vendeurs d'orviétan*. Ex his, non solum ille versus mihi visus est emendandus, sed et damnandus et ejiciendus. A.

7. *Fumosos Equitum Magistros.*] Imagines eorum fumosas, ob ve-

V 6. *Quis fructus, etc.* Post hunc versum, apud multos codd. et edd. legitur:

Corvinum, post hac multâ contingere virgâ.

Cur eum rejecerim versum, vid. sup. comment. Præterea abest idem versus in codd. Fauchetii n° 8070, Thuani 8071, Reginæ Suecorum 2029, et in optimo codice Belgico X sæc. n° 263, et tribus aliis.

V. 7. *Fumosos.* In codd. plerisque scribitur *famosos*. Vitiosa forte, et certe insulsa est hæc lectio, quapropter eam non retinimus.

Si coram Lepidis male vivitur? effigies quo  
 Tot bellatorum, si luditur alea pernox  
 Ante Numantinos? si dormire incipis ortu 10  
 Luciferi, quo signa duces et castra movebant?  
 Cur Allobrogicis, et magnâ gaudeat arâ  
 Natus in Herculeo Fabius Lare, si cupidus, si

tustatem, vel potius ob situm : nam, culina et ignis in atriis erant. Unde illud Ciceronis in Pisonem. *Obrepisti ad honores errore hominum, commendatione fumosarum imaginum, quarum simile habes nihil præter colorem.*

8. *Lepidis.* ] Lepidi clarissima Aemiliæ gentis familia. — *Effigies quo, etc.* Scil. spectant; vel, quem usum præstant, si, etc.

9. *Si luditur alea.* ] Hic, luditur passive sumitur : scilicet, alea ( primo casu ) luditur. — *Alea, quodvis ludi genus, quod a fortuna pendet, legibus vetitum.*

10. *Ante Numantinos.* ] Ante imagines Numantinorum, scil. ejusdem Scipionis Africani Numantiæ et Carthaginis eversoris, quem sup. *Aemilianum* vocavit, v. 3.

11. *Luciferi.* ] Summo mane, propter ludum et commessionem usque in primam lucem pertractam. — *Lucifer*, idem astrum ac vesper. Lucifer vocatur cum ante ortum solis, vesper cum post occasum apparet.

12. *Allobrogicis.* ] Q. Fabius Maximus Aemilianus, qui consul cum L. Opimio an. *V. C. DCXXXII.* Censor an. *V. C. DCXLIX* fuit, et Allobrogibus Bituitoque Arvernorum rege devictis, Allobrogici cognomen accepit. — *Et magnâ gaudeat arâ.* Scil. maximâ : sic enim vocabatur ara prope Circum Flaminium, ab Evandro Herculi dicata.

13. *Natus in Herculeo Fabius lare.* ] Fabius auctor Fabiæ gentis ex Herculis cum Vinduna Evandri filia commercio procreatus dicitur; unde ara ab Evandro huic Semideo dicata hereditaria erat huic genti : nam, ut ait Plathnerus, « Lares quidam perpetui erant, et totius gentis, « qui cum familia transibant : lex « siquidem XII tabb. erat : *PRI- « VATA. SACRA. PERPETVA. SVNTO.* » Ille autem Fabius de quo mentio fit, filius Allobrogici, Persicus dictus, ob perditam luxuriâ vitam, et summa flagitia a Q. Pompeio prætore urbano bonis paternis interdictus fuit.

V. 10. *Ante Numantinos... ortu.* In codd. multis scribitur :

. . . . . Si luditur alea pernox.  
 Ante matutinos si dormire incipis ortus  
 Luciferi. . . . .

Non male, si versus metro non laboraret in voce *matutinos*. Vitiose quoque alii scribunt : *ante Numantinos... ortus.* F. D.



Vanus , et Euganeâ quantumvis mollior agnâ ;  
 Si tenerum attritus Catinensi pumice lumbum 15  
 Squalentes traducit avos , emptorque veneni  
 Frangendâ miseram funestat imagine gentem ?  
 Tota licet veteres exornent undique ceræ  
 Atria , nobilitas sola est atque unica virtus .

14. *Euganeâ.... mollior agnâ.*] Impudici , et potissimum cinædi molles dicuntur . Catull. epig. 25. Cinæde Thalle , mollior cuiculi capillo .

Hinc proverbium Junii : *agni lana* , homo mollis et effeminatus . — *Euganeâ.... agnâ.* Id est , Altinâ , ex Altino oppido Venetorum ad ostium Silis flum. sito , quod diu albâ mollique lanâ olim inclaruit . Veneti autem *Euganei* sæpe apud poëtas dicuntur ab *Euganeis* , qui initio , Alpes inter et mare Adriaticum incolentes , a Venetis pulsati sunt , et in Alpinas partes , inter Athesin flum. et Larium lacum secesserunt .

15. *Si.... attritus.... pumice lumbum.*] Levigatus , depilatus circa lumbos cum pumice . Levigare autem , ac terere mollium est viro- rum . — *Cat. pumice.* Ad levigandum utebantur pumice , lapide spon- gioso , arido , incendio excocto , et caudenti , qualem potissimum evo- mit mons Aetna in Sicilia . Ideo *Catinensi* epitheton , a *Catina* , seu *Catana* , Κατάνη , Siciliae oppido , prope Aetnam , ubi pumex ille frequens reperitur .

16. *Squalentes traducit avos.*] De-

decorat , risui exponit . — *Avos squalentes* , id est , rigidos , seve- ros , munditiem corporis negli- gentes . — *Traducit.* Metaphora pe- tita ab iis , qui ante oculos homi- num traducuntur , ut spectaculo sint . — *Emptorque veneni.* Si vene- ficus , arte veneficâ notus : quod inter capitalia crimina censetur .

17. *Funestat.*] Polluit , conta- minat , funere incestat : tactu enim , vel accessu corporis de- mortui pollutos se credebant . — *Frangendâ... imagine.* Qui veneficii , majestatis , perduellionis , etc. olim damnabantur , eorum et nomina deleri , fastisque eradi , et statuæ atque imagines a furiosa plebe tolli , solo affligi , conflari et frangi solebant . Unde *frangendâ.*

18 et 19. *Tota licet , etc.*] Seneca epist. 44. *Non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus . Nemo in nostram gloriam vixit , neque quod ante fuit nostrum est . Animus facit nobilem , cui ex quacumque condi- tione supra fortunam licet surgere.* Euripides quoque :

. . . . . Τὸς γὰρ ἀνδρείους φύσιν  
 Καὶ τοὺς δικαίους , τῶν κενῶν δεξα-  
 σμάτων ,  
 Κἂν ᾧσι δουλῶν , εὐγενεσέρους λέγω .

V. 16. *Traducit.* Lectio codd. nostrorum fere omnium est *producit* , non male quoque ; at vet. schol. et Puteani cod. lectionem sumus secuti .

Paulus, vel Cossus, vel Drusus moribus esto : 20  
 Hos ante effigies majorum pone tuorum :  
 Præcedant ipsas illi, te Consule, virgas.  
 Prima mihi debes animi bona. Sanctus haberi,  
 Justitiæque tenax factis dictisque mereris?  
 Agnosco procerem. Salve, Gætulice, seu tu 25  
 Silanus, quocumque alio de sanguine, rarus  
 Civis et egregius patriæ contingis ovanti.  
 Exclamare libet, populus quod clamat, Osiri

20. *Paulus.*] Cognomen Aemiliæ gentis, ut *Cossus* Cornelix, et *Drusus* Livix. Quæ familiæ et virtutibus et honoribus diu, republicâ stante, claruerunt.

21. *Hos.*] *Pone hos* (mores) ante, etc.

22. *Ipsas... virgas.*] Illi (mores), *te Consule*, cùm fueris Consul, *præcedant ipsas virgas*, lictores.

23. *Prima mihi debes.*] Egregia, et vera ab omni parte sententia. Tria enim sunt honorum genera: scil. corporis valetudo, velocitas, vires, dignitas oris; alia fortunæ, ut genus, educatio, opes, clientelæ, amicitix. Hæc sunt externa, quæ, etsi hominem decorant, non tamen virum efficiunt, nilque aut parum ad communem utilitatem proficiunt. Alia denique animi vere bona, quæ consilio et cogitatione nostra constant; justitia videlicet, fortitudo, prudentia et modestia. Hæc sunt, quæ *primum mihi debes*. Populi enim sub tuo degentis imperio parvi, utrum pulcher, nobilis, dives sis, necne, interest: at, justus, fortis et prudens, et moderatus habearis, et sis reipsa,

necesse est: ab his enim pendet publica felicitas. A.

24. *Justitiæque tenax.*] Mererisne, ut habearis sanctus, et justus? tunc, *in te agnosco procerem*.

25. *Salve.*] Vocabulum pietatis et reverentiæ; Græc. *χαῖρε*.—*Gætulice*. C. Cornelii Lentuli Cossi filius, qui, imperante Aug. Cæsare, Gætulos, Syrtium accolæ in Africa devicit: unde Gætulici cognomen ei datum est.

26. *Silanus.*] Cognomen Junix gentis. Multi ex ea gente virtutibus suis inclaruere.

27. *Patriæ contingis ovanti.*] Nam læta est, et felix patria, cùm de republica bene merentes habet cives, quod raro evenit.

28. *Osiri invento.*] Tibullus de Osiri lib. I, 7, 27:

Primus aratra manu solerti fecit Osiris,  
 Et teneram ferro sollicitavit humum.  
 Primus in expertæ commisit semina  
 terræ;

Pomaque non notis legit ab arboribus.

Hic docuit teneram palis adjungere vitem;

Hic viridem durâ cedere falce comam, etc.

Solem autem Aegyptios adorasse

Invento. Quis enim generosum dixerit hunc, qui  
 Indignus genere, et præclaro nomine tantum 30  
 Insignis? Nanum cujusdam Atlanta vocamus:  
 Aethiopem, cycnum: parvam extortamque puellam  
 Europen: canibus pigris scabieque vetustâ  
 Levibus, et siccae lambentibus ora lucernæ,  
 Nomen erit pardus, tigris, leo, si quid adhuc est, 35  
 Quod fremat in terris violentius. Ergo cavebis,  
 Et metues, ne tu sis Creticus aut Camerinus.

certum est, sub nomine Osiridis, cui fabulosum ortum, et vitam, et gesta non minus ridicula tribuebant. De eodem vid. Plin. VIII, 46. Lactant. Instit. I, 21. Jablonski Pantheon Aegypt. lib. II, cap. 1, T. I, etc. Hujus autem Typhonis fratris fraude occisi, animam in bovem Apim migrasse putabant, quem bovem in templo servatum, ac summo honore habitum, cum certos vitæ annos confecisset, sacerdotes mersum in fontem necabant, et cum luctu planctuque alium quærebant, quem in ejus locum substituerent: quo invento, ipsi cum populo exclamabant: εὐρήκαμεν, συγχάρισμα! Al. Rup.

30. *Et præclaro nomine tantum.*] Qui nihil nobilitatis habet præter nomen.

31. *Nanum cujusdam Atlanta vocamus.*] Hujus egregiæ ἀντιφράσεως et εἰρωνείας sensus est: cave ne, per ludibrium, tibi magni, nobilisque civis nomen datum sit, quemadmodum *nanus* ab irriden-

tibus, vel adblandientibus Atlas seu gigas vocatur, etc. — *Nanus.* Græc. νάνος, pumilio, homo *suoi breviter concretus in artus.* Propert. IV, 8, 141. — *Atlas.* Quem fabulantur cælum humeris portasse: hic, pro gigante.

32. *Aethiopem.*] Hominem nigrum. — *Cycnum.* Quæ avis candida est. — *Parvam extortamque puellam,* deformem.

33. *Europen.*] Puellam formosam, ob hanc causam a Jove raptam.

34. *Levibus.*] Canibus depilatis, pilis decidentibus *scabie.* — *Et siccae lambentibus,* etc. Fame et macie confectis, torridis.

35. *Nomen erit pardus.*] Nomina dabuntur belluarum truculentarum, atque feritate et viribus insignium.

37. *Ne tu.*] Cave, ne tu sis, id est, ne tu sic per ludibrium voceris. — *Creticus.* Q. Cæcilius Metellus, qui, a devicta Creta, Cretici cognomen accepit. — *Camerinus.* Cognomen Sulpiciæ gent.

His ego quem monui? tecum est mihi sermo, Rubelli  
 Blande. Tumes alto Drusorum stemmate, tanquam  
 Feceris ipse aliquid, propter quod nobilis esses, 40  
 Ut te conciperet, quæ sanguine fulget Iuli,

38. *His ego quem monui.*] Aptissima apostrophe, quæ valde ferit lectorem, ad Rubellium Blandum transit.

39. *Blande.*] Hic Rubellius Blandus, Rubellii Blandi filius et Juliæ, quæ fuit filia Drusi, filii Tiberii, filii Livie Augusti Cæsaris uxoris, e gente Liviorum quibus *Drusus* cognomen erat. Sic, matre suâ, Rubellius tumebat, superbiebat Drusorum stemmate. Ab eadem matre, *sanguine fulgebat Iuli*; et, præterea, cognatus erat

Neroni Imp. nam, ex M. Atio Balbo et Julia C. Julii Cæsaris sorore orta est *Atia*, quæ nupsit Octavio Octavii Augusti patri, a quo habuit Octaviam, quæ nupsit M. Antonio triumviro, a quo habuit Antoniam minorem, quæ nupsit Druso seniori Tib. Imp. fratri, a quo Livillam, quæ nupsit Druso juniori Tib. Imp. filio, a quo Juliam Rubellii Blandi uxorem, et nostri Rubellii Blandi matrem. Ita igitur hujus instituitur prosapiæ ordo:

M. LIVIVS DRVSVS (Trib. pleb.)

M. LIVIVS DRVSVS (ejus filius.)

LIVIA (Aug. Imp. uxor.)

TIBERIVS IMP.

TIBER. DRVSVS (minor.)

IVLIA mater  
 RVBELLII BLANDI

IVLIA (Cæs. soror.)

ATIA.

OCTAVIA.

ANTONIA.

LIVILLA soror GERMANICI Cæs. patris

AGRIPPINÆ matris

NERONIS IMP.

A.

— *Tumes. Inflaris.* — *Alto.... stemmate.* Genere antiquo.

40. *Feceris ipse aliquid, etc.*] Sic Seneca Controv. 6, lib. I: *si nosset homines sibi sortem facere nascendi, nemo esset humilis, nemo egens, unusquisque felicem domum*

*invaderet: sed quandiu nos sumus, natura nos regit, et in quemcumque vult casum nos mittit. Hinc sumus æstimandi, cum sumus nostri.*

41. *Quæ sanguine fulget Iuli.*] Scilicet Julia Drusi minoris et Livillæ filia, ut supra.

V. 39. *Blande.* Codd. pars maxima habet *Blande*. Quidam, sed paucissimi, *Plaute*. Vid. Tacit. de patre ejus, Ann. III, 23, 51. VI, 27, 45; et de ipso, Ann. XIII, 19. XIV, 22, 57, 58, 59, et XVI, 10 et 30.

*Ibid. Drusorum stemmate.* XXV codd. habent, *Drusorum sanguine*: at, vet. schol. et optimi codd. *Drusorum stemmate*.

Non quæ ventoso conducta sub aggere textit.  
 Vos humiles, inquis, vulgi pars ultima nostri,  
 Quorum nemo queat patriam monstrare parentis :  
 Ast ego Cecropides. Vivas, et originis hujus 45  
 Gaudia longa feras : tamen imâ plebe Quiritem  
 Facundum invenies : solet hic defendere causas  
 Nobilis indocti. Veniet de plebe togata  
 Qui juris nodos, et legum ænigmata solvat.  
 Hic petit Euphraten juvenis, domitique Batavi 50

42. *Ventoso.... sub aggere.*] Ad aggerem Tarquinii prisci, ubi solebant plebeix et pauperculæ mulieres telam texere. De hoc aggere, ita Plinius ait : *A Tarquinio prisco structum aggerem opere imprinis mirabili.* Et Dionys. lib. IX, *Urbs ab Esquilina porta Collinam usque, opere munita est : nam, fossâ cingitur latâ centum pedes, et supra fossam muro, sive aggere alto et lato.* Jam de aggere locutus est sat. V, v. 153, et VI, v. 587.

43. *Vulgi pars ultima.*] Superbiæ plena oratio. Fex populi et urbis, Gall. *la canaille.*

44. *Quorum nemo queat, etc.*] Synesius adversus Andronicum : *Ἄνθρωπος οὐκ ἔχων εἰπεῖν ἔννεμα πάππου, ἀλλ' οὐδὲ πατρός.*

45. *Ast ego Cecropides.*] Regiâ certe et amplissimâ stirpe ortus : nam, ab Aenea per Iulos originem duco, ut Athenienses reges a Cecrope primo Athenarum rege : unde proverb. *Cecrope generosior.* — *Vivas.* Jactabundum illum nobilem ludificatur.

46. *Quiritem.*] Etsi ima de plebe, tamen Romanum designat : nomen enim *Quiris* semper ad jus civitatis spectat.

47. *Facundum invenies.*] Vere : nam, ut ait Cæcil. apud Cicer. Tusc. III, 23. *Sæpe est etiam sub palliolo sordido sapientia.*

48. *De plebe togata.*] Non senatoria, ut vult vet. schol. sed, Romana : nam, civibus Romanis omnibus propria erat toga.

49. *Legum ænigmata.*] Verba obscura et ambigua.

50. *Hic petit Euphraten.*] Equites, nobiles et divites jam a Sullæ temporibus militiæ nomina dare recusabant ; et, sensim, se huic oneri subtraxerunt. Sic ille Romanus de infima plebe qui, pro te, nobilis indocte, causas agit, *armis industrius*, pro te etiam petit *Euphraten*, acerrimosque hostes populi Romani Parthos, Syros et Orientis populos coërcet. *Euphrates* terminus erat imperii Romani in Oriente, sicut *Batavi* in Septentrione.

V. 42. *Sub aggere.* Quidam codd. et edd. habent *sub aëre*, quod Britau. et Farnab. interpretantur, sub dio.

Custodes aquilas , armis industrius : at tu  
 Nil nisi Cecropides , truncoque simillimus Hermæ.  
 Nullo quippe alio vincis discrimine , quàm quòd  
 Illi marmoreum caput est , tua vivit imago.  
 Dic mihi , Teucrorum proles , animalia muta 55  
 Quis generosa putet , nisi fortia ? nempe volucrem

51. *Custodes aquilas.*] Scil. legiones limitaneas , vel præsidia. Cuique legioni erat vexillum aquila , ut nunc apud nos. — *Armis industrius.* Juvenis de plebe togata. Sic Marius orat. habitâ contra nobilitatem , ap. Sallust. *Ecquem ex illo globo nobilitatis ad hoc , aut aliud tale negotium mittatis hominem veteris prosapiæ , ac multarum imaginum , et nullius stipendii , scil. ut in re ignarus omnium trepidet , festinet , sumat aliquem ex populo monitorem sui officii.* Nobili opponitur industrius.

52. *Nil nisi Cecropides.*] Nobilis nomine , revera ignobilis. — *Truncoque simillimus Hermæ.* Sid. Epist. IV , 16. *Reliqui de factione sunt inertissimi nobiles , in quibus , sicut in statua , præter nomen nihil est additamenti.* — *Hermæ* Οἱ ἑρμᾶϊ , signa , sive imagines Deorum , imprimis Mercurii , quibus caput vel solum , vel cum pectore efformari solet , quorumque pars inferior est acutus , sive quadratus palus : in Græcia vero , ante fores templorum ædiumque , et Romæ in viis , compitis et agris ponebantur , et *Termini* , seu *Termites* dicebantur , apud nos *Termes*.

53. *Nullo quippe alio.*] Nullum enim aliud inter te et statuam Mercurii exstat discrimen ; nisi quòd

illa marmorea est ; tu vero vivis , ac spiras.

55. *Teucrorum proles.*] Rubelli Blande , e Julia gente oriunde , quæ ab Iulo et Aenea Trojanis , seu Teucris prodiit.

56. *Quis generosa putet , etc.*] Egregia et ornatissima oratio , ludorumque Circensium aptissima mentio : cum ea comparetur illa Statii Silv. V , 2 , 21 :

... Romulei qualis per jugera Circi ,  
 Cùm pulcher visu , titulis generosus  
 avertis ,

Expectatur equus , cujus de stemmate  
 longo

Felix emeritos habet admissura parentes :

Illum omnes acuunt plausus , illum ipse  
 volantem

Pulvis et incurvæ gaudent agnoscere  
 metæ.

Ex hoc loco Statii , et similibus , nobis , etsi aliter Juven. placeat , Romanos eodem , quo nunc Angli studio agitados fuisse videtur , in certaminibus Circensibus. Atque ita , ut generosorum equorum stemmata describerent , proavos inquirerent , et factionarios quærerent a quibus oriundi essent , eorumque natalitia inter se celebrarent. Ad hoc , nota est C. Cæsaris Germanici Imp. (Caligulæ) vesania , qui equum consulem declarare non erubuit. A

Sic laudamus equum, facili cui plurima palmâ  
 Fervet, et exsultat rauco Victoria Circo.  
 Nobilis hic, quocumque venit de gramine, cujus  
 Clara fuga ante alios, et primus in æquore pulvis : 60  
 Sed venale pecus Corytæ, posteritas et  
 Hirpini, si rara jugo Victoria sedit.  
 Nil ibi majorum respectus, gratia nulla

57. *Sic laudamus equum.*] Nempe volucrem. Eamdem ornatis-  
 simam comparationem a versu  
 57 — 66, sic reddidit gallicis ver-  
 sibus *Boileau Despréaux*, sat. V :  
 Dites-moi, grand héros, esprit rare et  
 sublime,  
 Entre tant d'animaux, qui sont ceux  
 qu'on estime ?  
 On fait cas d'un coursier, qui fier et  
 plein de cœur,  
 Fait paraître en courant sa bouillante  
 vigueur,  
 Qui jamais ne se lasse, et qui dans la  
 carrière  
 S'est couvert mille fois d'une noble  
 poussière.  
 Mais la postérité d'Alfane et de Bayard,  
 Quand ce n'est qu'une rosse, est vendue  
 au hasard,  
 Sans respect des ayeux dont elle est  
 descendue,  
 Et va porter la malle ou tirer la char-  
 rue.  
 Non male hæc ; sed, quàm infe-  
 riora sunt Juvenalis orationi ! —  
*Facili.* Facilis dicitur, qui facile se  
 movet ; scil. qui agilis est. —  
*Plurima palma fervet.* Pro, qui mul-  
 toties victoriam consecutus est.  
 Hanc autem primus explicatio-  
 nem dedit Alex. Rup. « *Palma*,  
 « *πάλαμη*, plurima fervet, ele-  
 « ganter pro, multis spectantium  
 « manibus plauditur, tanto ar-  
 « dore, ut manus ferveant. » Quæ

quidem nobis quoque potior vi-  
 detur interpretatio. A.

58. *Rauco.*] Sonoro, propter  
 plausus et acclamationes spec-  
 tantium.

60. *Clara fuga, etc.*] Hic versus  
 equi cursum mire pingit.

61. *Sed venale pecus.*] Pulli vero  
 equorum vel generosissimorum,  
 si degeneres sunt, venduntur  
 tanquam viles.—*Corytæ.* Equæ ge-  
 nerosæ cui nomen inditum forte a  
*Corytho* monte, hodie *Monte Corvo*.

62. *Hirpini.*] Nomen equi cele-  
 bris, forsan ab Hirpino monte in  
 Sabinis, ubi optimi equi nas-  
 cuntur, hodie etiam vocati *cour-  
 siers de Naples*. De illo autem equo,  
 sic vetus lapis, quem describit  
 Lips. Epist. Cent. III, 26 : « In  
 « medio vir est (ductor factionis  
 « russatæ), qui dextrâ baculum,  
 « sinistrâ pabulum tenet. Extrin-  
 « secus duo sunt adsilientes equi,  
 « cum gemina hac inscriptione :

<i>Altera,</i>	<i>Altera,</i>
AQVILO. N. AQVI	HIRPINVS. N. AQVI
LONIS. VIC. CXXX.	LONIS. VIC. CXIII.
SECUND. TVLIT.	SECUNDAS. TVLIT.
LXXXVIII.	LVI.
TER.	TER.
TVL.	TVL.
XXXVII.	XXXVI.

Umbrarum, dominos pretiis mutare jubentur  
 Exiguus, tritoque trahunt epirhediam collo 65  
 Segnipedes, dignique molam versare Nepotis.  
 Ergo, ut miremur te, non tua; primum aliquid da,  
 Quod possim titulis incidere præter honores,  
 Quos illis damus, et dedimus, quibus omnia debes.  
 Hæc satis ad juvenem, quem nobis fama superbum 70  
 Tradit, et inflatum, plenumque Nerone propinquo.  
 Rarus enim ferme sensus communis in illa

— *Si rara jugo, etc.* Si raro victor fuit in certamine.

64. *Umbrarum.*] Manium, hoc est, majorum suorum.— *Dominos... mutare jubentur.* Venduntur vili pretio.

65. *Epirhediam.*] Plaustra, vehicula. Quintil. lib. I, cap. 5. *Romani suam fecere hanc vocem, inquit, ex utraque aliena, ἐπι γρæca, et rheda gallica.*

66. *Segnipedes.*] Βραδύποδες, pigri. At sonipes dicitur equus valde celer.— *Molam... Nepotis.* Molitor hic Nepos, de quo Martialis loquitur.

67. *Ut miremur te.*] Te ipsum, tuas virtutes.— *Non tua, majores tuos, aut imagines, genus et gloriam avorum tuorum.*

69. *Et dedimus.*] *Marckland*, et post hunc *Dusaulx*, correxerunt *dabimus*; quod inutile est: nam, et omnes tum scripti, tum editi libri ferunt *dedimus*; et nihilominus fluit oratio: in structura

enim verborum habemus, quos et jam antea *dedimus*, et nunc etiam *damus*, illis parentibus, quibus omnia debes, scil. honores et fortunam. A.

70. *Ad juvenem.*] Scil. Rubellium Blandum.

71. *Nerone propinquo.*] Nam, Julia mater Rubellii filia erat Livillæ, quæ fuit soror Germanici Cæsaris patris Agrippinæ, matris Neronis. Vid. Stemma ejusdem. v. 39 in notis.

72. *Rarus... sensus communis.*] Intelligentia omnibus communis: vis et facultas animi, quæ de exterioribus rebus sentit recte et judicat, bene administrat, ac sapienter utitur.— *Sensus communis, le sens commun*, quæ appellatio, in origine nihil aliud ferebat quàm hunc instinctum, ut ita dicam, quo homines vel rudiores præditi sunt, ad bona expetenda, aut mala fugienda, lapsu temporis in *prudentiam* abiit, quæ

V. 65. *Tritoque trahunt.* Quidam codd. habent *trito ducunt*; alii *tritoque ducunt*. Alii *trito trahunt*; ambo vitiose propter metrum. Ex his ultimis illam elicit Al. Rup. *tritoque trahunt*, quam lectionem nos quoque recepimus.



Fortuna. Sed te censori laude tuorum,  
 Pontice, noluerim sic, ut nihil ipse futuræ  
 Laudis agas. Miserum est aliorum incumbere famæ, 75  
 Ne collapsa ruant subductis tecta columnis.  
 Stratus humi palmes viduas desiderat ulmos.  
 Esto bonus miles, tutor bonus, arbiter idem  
 Integer. Ambiguæ si quando citabere testis  
 Incertæque rei; Phalaris licet imperet, ut sis 80  
 Falsus, et admoto dictet perjuriam tauro,  
 Summum crede nefas animam præferre pudori,  
 Et propter vitam vivendi perdere causas.

nunc est ei fere synonyma: unde non male Voltarius ad hoc alludens, dixit: *le sens commun n'est pas si commun.* A.

73. *Sed te censori.*] Non aliter cognosci, quàm laude, gloriâ tuorum avorum.

74. *Pontice.*] Ad Ponticum redit, cui hæc inscribitur satira. — *Nihil... futuræ laudis agas.* Nihil agas, quo a posteritate lauderis.

75. *Aliorum incumbere famæ.*] Aliorum, scil. majorum suorum gloriâ sic inniti, ut, hæc sublatâ, imaginarius ille noster honor corruat totus, instar tecti, quod sublatis columnis, collabitur.

77. *Stratus humi palmes.*] Vites in Italia ulmis, platanis et populis conjungi solent: unde *maritare populos vitibus*, Horat. Epod. 2, 10, et *vites viduæ*, quæ nullo sustententur adminiculo. Gracissimam autem hanc nostri poëtæ metaphoram, sic optime expressit *Dusaulx: la vigne ramperait, sans l'ormeau qu'elle embrasse.*

78. *Esto bonus miles.*] Hic, vere

nobilis, sententiarum verborumque magnitudine adumbratur. — *Bonus*, strenuus, fortis, quem Græci vocant ἀριστον. — *Bonus tutor.* *Bonus* cum dignitate repetitur. — *Arbiter*, judex.

79. *Integer.*] Qui nec metu, nec gratiâ, multo minus pretio corrumpitur.

80. *Phalaris licet imperet, ut sis falsus.*] Hæc et sequentia dignitatis plena sunt, quibus illud solum Horat. Od. III, 3, 1. comparari potest:

Justum et tenacem propositi virum  
 Non civium ardor prava jubentium,  
 Non vultus instantis tyranni  
 Mente quatit solidâ.

*Phalaris* autem, Agrigentinarum tyrannus satis notus.

81. *Et admoto dictet, etc.*] Velitque te adigere ad perjurium, minitatus tibi taurum æneum.

82 et 83. *Summum crede nefas, etc.*] Excellentissima sententia, characteribus aureis, porticibus et templis inscribi digna. Bene autem Kænig, de sat. Rom. p. 68. « Vi-

Dignus morte perit, cœnet licet ostrea centum  
 Gaurana, et Cosmi toto mergatur aëno. 85  
 Expectata diu tandem provincia cum te  
 Rectorem accipiet, pone iræ frena modumque,  
 Pone et avaritiæ: miserere inopum sociorum.  
 Ossa vides regum vacuis exsucta medullis.  
 Respice, quid moneant leges, quid Curia mandet; 90  
 Præmia quanta bonos maneant, quàm fulmine justo

• vimus enim, ut virtuti servia-  
 • mus; virtuti ergo vita cedat  
 • necesse est. Germanice sic: *das*  
 • *leben ist nur Mittel; der prak-*  
 • *tischen Vernunft gemass han-*  
 • *deln, hochster Zweck, welcher*  
 • *einem Mittel nie aufgeopfert wer-*  
 • *den darf.* Gravius sapientia  
 • ipsa nihil potest dictare. • Est  
 autem hæc sapientia stoicorum.  
 M. Antonin. lib. VI. Εἰς καρπὸς  
 τῆς ἐπιχειροῦ ζωῆς διάθεσις ὅσα καὶ  
 πράξεις κοινωνικαί.

84. *Dignus morte perit.*] Qui,  
 propter flagitia, dignus morte est,  
 perit, jam vivere desiit, mortuos  
 inter numerari debet.

85. *Gaurana.*] A Gauro monte  
 Campaniæ, prope mare sito, ubi  
 exquisita ostrea, hodie *Gierro*.—  
*Cosmi.* Divitis et delicatissimi ci-  
 vis, cujus plurimis in locis me-  
 minit Martial. præsertim lib. I,  
 Epig. 87. sic:

Ne gravis hesterno fragres fescennia  
 vino,

Pastillos Cosmi luxuriosa voras.

Ab eo unguentum Cosmianum, et  
 Cosmianæ ampullæ dictæ sunt.—

*Mergatur aëno.* Mergatur, id est,  
 perfundatur unguentis Cosmi,  
 fluentibus ex vase aëno, ubi con-  
 fecta erant.

86. *Expectata diu.*] Quam om-  
 nibus votis expetivisti.

88. *Sociorum.*] Scil. provincia-  
 lium: nam, socii suo jure ute-  
 bantur; at, provinciales subditi  
 erant pop. Romano, et per pro-  
 consules aut prætores regebantur:  
 attamen, hoc nomine utitur  
 leniori, ut Cic. Verr. IV, 35 et alias.

89. *Ossa vides, etc.*] Pro, vacua  
 ossa regum exsuctis medullis, id  
 est, *reges*, divites ac potentes,  
 omnibus bonis spoliatos. Hæc  
 translatione utitur Horat. lib. I,  
 epist. 10, et nos Galli dicimus,  
*Sucer quelqu'un jusqu'aux os.*

91. *Præmia quanta bonos.*] Qui  
 juste provinciam administraverat,  
 illi et pecunia a provincialibus,  
 et honores pæne divini, fana dies-  
 que festi, et statuæ decerneban-  
 tur; qui vero male, is repetunda-  
 rum et peculatûs accusari poterat.  
 — *Fulmine justo.* Justa et gravi  
 pœnâ.

V. 89. *Exsucta.* Pauci, sed et optimi istam habent lectionem. Alii,  
*exusta, exuta, et exhausta, quæ glossam redolent.*

Et Capito, et Tutor ruerint, damnante Senatu,  
 Piratæ Cilicum. Sed quid damnatio confert,  
 Cùm Pansa eripiat, quidquid tibi Natta reliquit?  
 Præconem, Chærippe, tuis circumspice pannis, 95  
 Jamque tace. Furor est post omnia perdere naulum.  
 Non idem gemitus olim, nec vulnus erat par  
 Damnorum, sociis florentibus, et modo victis.  
 Plena domus tunc omnis, et ingens stabat acervus  
 Nummorum, Spartana chlamys, conchylia Coa, 100

92. *Capito.*] Capito Cossutianus Tigellini gener, Ciliciæ præfectus, repetundarum accusatus a Cilicum legatis, et lege damnatus. — *Tutor.* Vide infr. varias lectt. — *Ruerint*, ceciderint condemnati.

93. *Piratæ Cilicum.*] Salse, quasi prædones prædonum; fuerunt enim Cilices antequam a Pompeio coërcerentur piraticâ infames. Plut. in Pompeio. — *Confert.* Juvat spoliatos provinciales.

94. *Cùm Pansa eripiat.*] *Pansa* et *Natta*, nomina proconsulum, quorum alter in directione provinciæ alteri succedit; ita ut, malo præfecto non melior, aut peior secundus veniat.

95. *Chærippe.*] Nomen fictum provincialis, forsitan Cilicis, quod Grangæus inde effictum putabat, quia Cilices equis ut plurimum

gauderent. — *Præconem circumspice pannis.* Quære præconem, qui sub hasta vendat tuos pannos, ut habeas, quo vitam sustentens, et tributum novo prætori pendere queas.

96. *Jamque tace.*] Noli accusare veterem præfectum: nam, cum tuis antea bonis perditis, et *naulum* perderes, quod summæ esset insaniæ. — *Naulum.* græc. ναῦλον, mercedem, quæ pro vectura, seu navigatione solvitur.

97. *Non idem gemitus olim.*] Olim enim opulenti hostes, et modo victi diripiebantur, quibus multa etiam adhuc supererant; at, nunc, sociis et amicis pauperibus, quæ etiam necessaria sunt, auferuntur.

100. *Spartana chlamys.*] Purpurea: nam, et Sparta suam jac-

V. 92. *Tutor.* XX codd. habent ita; ut sit *Julius Tutor* Trevir, a Vitellio ripæ Rheni præfectus. Tacit. Hist. IV, 55. Vet. schol. et V alii, *Numitor*. Forte idem, de quo jam sermo fuit, sat. VII, v. 74.

V. 94 et 95. *Cùm Pansa.* Hi duo versus ita leguntur apud omnes nostros codd. tribb. aut quatt. exceptis:

Præconem, Chærippe, tuis circumspice pannis,  
 Cùm Pansa eripiat, quidquid tibi Natta reliquit.

Et cum Parrhasii tabulis signisque Myronis,  
 Phidiacum vivebat ebur, necnon Polycleti  
 Multus ubique labor : raræ sine Mentore mensæ.  
 Inde Dolabella est, atque hinc Antonius, inde  
 Sacrilegus Verres. Referebant navibus altis  
 Occulta spolia, et plures de pace triumphos.

tat purpuram. Plin. IX, 36 seu 60. *Chlamys* autem paludamenti genus, quod duces et rectores provinciarum induebant. — *Conchylia Coa*. Vestes conchylia, hoc est, purpurâ infectæ, et bombycinæ, in Co insula Aegei maris fabricatæ.

101. *Parrhasii tabulis*.] Parrhasius Ephesius insignis pictor, cujus cum Zeuxide certamen narrat Plin. lib. XXXV, cap. 9 et 10. — *Signisque Myronis*. Hic statuarius famâ suâ satis notus, de cujus ex ære Buculâ, quam et vituli adibant, vid. Auson. epig. 57.

102. *Phidiacum vivebat ebur*.] Statuarius celeberrimus, cujus imagines ex ebore tam artificiose erant sculptæ, ut has spirantes credideris. Ejusdem Jove Olympio, et Minervâ in arce Atheniensi nihil in eo genere perfectius fuisse dicitur. — *Polycleti*. Is ingeniosus et pictor et statuarius fuit Sicyonius, cujus præcipuum opus Doryphorus.

103. *Sine Mentore*.] Eximius cælator et sculptor, præcipue in vasis cælandis mirus artifex.

104. *Inde*.] Quæquidem opes provincialibus a victoribus relictæ posteriorum rectorum cupiditatem incitaverunt; et, ut Cic. Offic. III, 8. *Hinc furta, peculatus, expilationes, direptionesque sociorum nascebantur*. — *Inde Dolabella*, vel Cn. Cornelius Cn. F. Dolabella, consul cum M. Tullio Decula, an. *V. C.* DCLXXII; proconsul Macedoniæ a C. Cæsare adolescente repetund. pec. postulatus, nec damnatus, vel Cn. Corn. L. F. Dolabella prætor Ciliciæ accusatus a M. Scauro de repetundis, et condemnatus. — *C. Antonius M.* filius oratoris de repet. et de majest. reus, a censoribus an. *V. C.* DCLXXXIII e senatu motus; sed a seqq. restitutus, et Ciceronis in consulatu collega factus.

105. *Sacrilegus Verres*.] Prætor Sicilia, quam per triennium diripuit. Cæterum satis ex Cicerone notus.

106. *Occulta spolia*.] Scil. furta, rapinas, quas specioso spoliiorum nomine adornant: nam, *furta* occultantur, *spolia* ostenduntur.

V. 106. *Occulta spolia*. Quidam metro timentes scripserunt: *occulta et spolia*. At, id non erat adeo necesse: sic in admirabili versu, Catullus Ariadnen fingit loquentem: *nulla fugæ ratio, nulla spes*. Ad hoc, vide supra commentarium. F. D.

Nunc sociis juga pauca boum, grex parvus equarum,  
 Et pater armenti capto eripietur agello:  
 Ipsi deinde Lares, si quod spectabile signum,  
 Si quis in ædicula Deus unicus: hæc etenim sunt 110  
 Pro summis: nam sunt hæc maxima. Despicias tu  
 Forsitan imbelles Rhodios, unctamque Corinthum:  
 Despicias merito. Quid resinata juvenus,  
 Cruraque totius facient tibi levia gentis?  
 Horrida vitanda est Hispania, Gallicus axis, 115

*Occulta* autem producit in ultima syllaba, ob mutam et liquidam sequentem. — *Plures de pace triumphos*. Elegantissima antithesi signat Dolabellam, Antonium, Verrem, qui, pacis tempore, plura spolia, prædas et exuvias retulerant, quàm tempore belli primi duces, cùm provincias in potestatem Romanorum reduxissent.

107. *Nunc sociis*.] Nil superest, quod iis eripi possit, nisi, etc.

108. *Pater armenti*.] Taurus scilicet.

109. *Lares*.] Dii domestici. Simulacrum Laris. — *Spectabile*. Vel ex ære, ebore aut marmore.

110. *Ædicula*.] Sacellum, vel potius excavatus parietis angulus, gallice *niche*. — *Deus unicus*. Nam, cæteri a præcedentibus præfectis furto ablati fuerunt. — *Hæc etenim sunt pro summis*. Hæc bona etsi spoliatoribus vilia, *pro summis* habentur, summa videntur pauperibus sociis: nam, *hæc sunt maxima* quæ iis restant bona.

111. *Despicias tu*.] Possis forsitan secure imbelles Rhodios et Corinthios spoliare; sed, cave, ne, etc.

112. *Rhodios*.] *Rhodus*, insula et urbs celeberrima in mari Carpathio, in quam, ut in Corinthum, divitiæ molliem et luxuriam invexerant. — *Unctamque Corinthum*. Epitheton *unctam* ad voluptates et molliem Corinthiorum spectat. Simili sensu dicitur *fluere molliam, diffluere luxuriam, unguentis madere, etc.* Al. Rup.

113. *Resinata*.] Glabra, sive depilata: nam, in depilationibus resinam utebantur.

114. *Crura... levia*.] Opponuntur *Hispaniæ horridæ*, pilis asperæ, duroque cultui assuetæ et belliosæ.

115. *Gallicus axis*.] Hoc est, cæli tractus, clima. Galli autem fortissimi omnium, qui sub ditone Romana fuerunt, a Romanis merito reformidabantur; nam et ægre subacti sunt, et sæpe rebellaverunt.

V. 108. *Eripietur*. Ea est lectio nostrorum codd. cui præferunt quidam *eripiatur*, quæ est lectio vet. schol.

Illyricumque latus. Parce et messoribus illis,  
 Qui saturant Urbem Circo scenæque vacantem.  
 Quanta autem inde feres tam diræ præmia culpæ,  
 Cùm tenues nuper Marius discinxerit Afros?  
 Curandum in primis, ne magna injuria fiat 120  
 Fortibus et miseris: tollas licet omne quod usquam est  
 Auri, atque argenti; scutum, gladiumque relinques,  
 Et jacula, et galeam: spoliatis arma supersunt.  
 Quod modo proposui, non est sententia: verum

116. *Illyricumque latus.*] Sclavonia, regio montibus aspera, in longum porrecta, secundum littus Adriatici maris Italiæ adversum, hodie *la Dalmatie*. Isti tres populi, quos hic cum delectu memorat, bellicosissimi erant, quorum ferocia et asperitas vel tironibus nota est.—*Parce et messoribus illis.* Afris, quos mox nominat. Hic autem locus ex Varrone de Re Rust. videtur desumptus. *Manus movere maluerunt in theatro et circo, quàm in segetibus ac vinetis: frumentum locamus qui nobis advehat, qui saturi fiamus ex Africa et Sardinia.*

117. *Urbem Circo.... vacantem.*] Ad hæc, optime Henninius:  
 « Notanter et significantissima  
 « voce bilem satiricam in S. P.  
 « Q. Romanum effundit, et  
 « acerbo morsu socordiam ejus  
 « vellicat. Nimirum in secessu  
 « latet hoc, quod apud Dionem  
 « lib. LIV. Pylades histrio, cùm  
 « Augustum sibi indignatum vi-  
 « disset, ob populi seditionem ex  
 « studiis inter se et Batyllum ex-  
 « citatam, satis libere eidem Au-

« gusto reposuit: Συμφέρει σοι,  
 « Καῖσαρ, περὶ ἡμᾶς τὸν δῆμον δια-  
 « τρέψεσθαι. Expedit tibi, Cæsar,  
 « populum nobis intentum tem-  
 « pus consumere. » Scilicet, is po-  
 « pulus ludis deditus, et arte do-  
 « minantium ita occupatus, de re  
 « nulla minus, quàm de amissa li-  
 « bertate recuperanda cogitabat.

118. *Quanta autem inde feres.*] Quod si velis Afros spoliare, quantula feres ab illis jam exhaustis spolia!

119. *Marius.*] Priscus ille proconsul, de quo sup. sat. I, 49. — *Discinxerit.* Spoliaverit, abstulerit omnia, usque ad zonam.

121. *Tollas licet.*] Omnia enim potes illis auferre; arma vero, quibus se olim ulciscantur, non eripies. Sapiens autem hoc consilium provinciarum rectorum, et præsertim eorum qui ambitiose se dici volunt gentium domitores in animo deberet infigi. A.

124. *Non est sententia.*] Non simplex conjectura. « Non sunt  
 « nuda verba, ut ait vet. schol.  
 « in sententia enim solet inter-  
 « dum aliquid esse falsi; sed est

Credite me vobis folium recitare Sibyllæ.

125

Si tibi sancta cohors comitum, si nemo tribunal

Vendit Acersecomes, si nullum in conjuge crimen,

Nec per conventus, nec cuncta per oppida curvis

Unguibus ire parat nummos raptura Celæno :

« oraculum verum. » Galli dicent : *ce ne sont point des propos en l'air.*

125. *Folium.* ] Responsum Sibyllæ, oraculum. Sibyllam Cumanam prisco et antiquo more, in palmarum foliis oracula scripsisse notum est, ex Virg. Aeneid. III, 445, et VI, 74.

126. *Si tibi sancta cohors comitum.* ] Si nullum admittis in tuam clientelam, aut familiam tuam, nisi probum et sanctis moribus. Cohors autem prætoriam dicuntur comites eorum, qui provinciis præsent; medici, scribæ, haruspices, præcones, adscensi, apparitores, lictores, etc. — *Vendit tribunal.* Sedes majoris judicis: nam, tribunis, triumviris, quæstoribus subsellia erant. Hic, *Si nemo vendit tribunal*, per metonymiam usurpatur pro, *si nemo Acersecomes*, puer pathicus, *tuam sententiam vendit.*

127. *Acersecomes.* ] Ἀκέρσεκος, dorice, pro Ἀκείρεκος, qui comam non tondet, intonsus, formosus puer, catamitus et pathicus. — *Si nullum in conjuge crimen.* Si a conjuge tua absit avaritia et cupiditas.

128. *Nec per conventus.* ] Ordo est: si uxor tua velut harpyia Celæno raptura nummos unguibus

curvis non parat ire per, etc. — *Conventus.* Loca judicis exercendis destinata. Hæc autem ad uxorem spectare non adeo certum est: nulla enim exstat patens particula, quæ hæc, *si nec per conventus, nec, etc.... ire parat.... raptura Celæno*, jungat cum illis præcedentibus, *si nullum in conjuge crimen*: unde quidam hunc locum ad proconsulem ipsum referunt; ut, a v. 126 — 130 sic oratio fluat. *Si tibi sancta cohors comitum, si nemo Acersecomes*, vel puer formosus et pathicus *vendit* tua judicis; si nulla reprehenditur in uxore noxa, id est, si nec superba, nec infamis est; si tu ipse, vel potius tua avaritia velut harpyia Celæno, non parat ire, etc. gallice, *si, toi-même, on ne te voit point, tel qu'une harpie aux griffes crochues, courir de ville en ville, de bourgade en bourgade pour dépouiller les malheureux.* Sic quoque Rutilius infra citatus Juvenalem imitatus, hunc locum intellexit. — *Conventus.* Præter divisionem orbis Romani in provincias, ab Augusto provincia quæque *in conventus* juridicos fuerat divisa. A.

129. *Celæno.* ] De ea, ut de reliquis harpyis, earumque formâ, nominibus et rapacitate, vide Virg. Aeneid. III, 211 et seqq. Rutilius Juvenalem imitatus, avaritia

Tunc licet a Pico numeres genus; altaque si te 130  
 Nomina delectant, omnem Titanida pugnam  
 Inter majores ipsumque Promethea ponas :  
 De quocumque voles proavum tibi sumito libro.  
 Quòd si præcipitem rapit ambitus, atque libido,  
 Si frangis virgas sociorum in sanguine, si te 135  
 Delectant hebetes lasso lictore secures :  
 Incipit ipsorum contra te stare parentum

ros iniquosque iudices, vel præfectos vocat

Harprias, quarum decerpitur unguibus orbis,  
 Quæ pede glutineo, quod tetigere, trahunt.

130. *Pico.*] Picus Aborigenum rex fabulosus, Saturni filius, Fauni pater, Latini avus. — *Altaque si te nomina.* Scil. nomina magnifica, prisca, e fabulosis sæculis petita.

131. *Omnem Titanida pugnam.*] Titanas ipsos pone inter majores tuos. Titanes ausi sunt bellum Diis inferre. De his Ovid. *Metam.* lib. I.

132. *Promethea.*] De Prometheo, vid. sat. IV, v. 133.

135. *Si frangis virgas.*] Provinciales ut et cives capite damnatos virgis primum cædebant, præside jubente, lictores deinde securi feriebant.

136. *Si te delectant.*] Hæc ad sævitiam et crudelitatem in ma-

gistratibus damnandam spectant.

137 — 140. *Incipit ipsorum.*] Vera profecto sententia, et nobilium penitus animis infigenda, cui comparetur Sallustii locus *Bel. Jug.* 85. *Oratione majores suos extollunt, eorum fortia facta memorando clariores sese putant; quod contra est: nam quanto vita illorum præclarior, tanto horum sordida flagitiosior: et, profecto, ita se res habet: majorum gloria posteris lumen est, neque bona eorum, neque mala in occulto patitur.* Hos autem Juvenalis versus sic optime gallicis expressit versibus satiricus noster *Boileau*, sat. V:

Mais fussiez-vous issu d'Hercule en droite ligne,  
 Si vous ne faites voir qu'une bassesse insigne;  
 Ce long amas d'ayeux que vous diffamez tous,  
 Sont autant de témoins qui parlent contre vous :  
 Et tout ce grand éclat de leur gloire ternie

V. 134. *Ambitus.* Ita codd. pars maxima: quidam vero et optimæ notæ habent *ambitio*; quam lectionem, propter ingratum auribus sonum rejeci. Præterea, vox *ambitus* aptior huic loco, quàm *ambitio*: quippe, *ambitus*, præter ambitionem, significat etiam, quod Galli vocant *intrigue*, *cabale*.



Nobilitas, claramque facem præferre pudendis.  
 Omne animi vitium tanto conspectius in se  
 Crimen habet, quanto major, qui peccat, habetur. 140  
 Quo mihi te solitum falsas signare tabellas  
 In templis, quæ fecit avus, statuamque parentis  
 Ante triumphalem? quo, si nocturnus adulter  
 Tempora Santonico velas adoperta cucullo?  
 Præter majorum cineres atque ossa, volucris 145  
 Carpento rapitur pinguis Damasippus, et ipse,

Ne sert plus que de jour à votre ignominie.

141. *Quo mihi.*] Quâ fronte apud me nobilem te dicis? te solitum signare falsas tabellas testamenti, te falsarium, adulterum, furem, etc? Repetit sententiam, quam jam sup. v. 6—18 paribus ferè verbis expressit.

142. *In templis.*] In his, obsignabantur testamenta, et magni momenti actus; quo loci sanctitas fidei ac religioni in negotio servatæ testis adesset. — *In templis quæ fecit avus.* Non in templis quibuslibet; sed in templis a tuis majoribus piis et religiosis exstructis.

143. *Quo, si nocturnus adulter?*] Quâ ratione te nobilem probaveris; si, etc.

144. *Tempora Santonico, etc.*]

Si adulter *velaveris tempora tua*, vultum *cucullo*, ne in adulterio deprenderis. — *Santonico cucullo.* Cucullo, ut sup. VI, 18. — *Santonico.* Sic vet. schol. *Birro Gallico: nam apud Santonas Gallie oppidum (Saintes, départem. de la Charente) conficiuntur;* et Martialis lib. I, epig. 54, et lib. XIV, epig. 128: Gallia Santonico vestit te, Barde, cucullo.

145. *Præter majorum cineres.*] Nobilium sui, et potissimum Neroniani ævi mores perstringit, quo illi, Imperatoris exemplo, præter alias artes inhonestas, et præsertim scenicas, aurigationem exercebant. — *Præter cineres atque ossa.* Scil. in via Flaminia, Appia, Latina, ubi sepulchra Romanorum erant.

146. *Damasippus.*] *Damasippus*

V. 146. *Damasippus.* Omnes nostri codd. habent *Damasippus*, quo nomine, aiunt, designatur vir nobilis; et *δαμάσιππος* domitor equorum. Præterea, *Damasippus* cognomen erat Liciniæ genti addictum; et notissimus Prætor hoc cognomine, qui Carbonem interfecit. Vid. Vell. Pat. II, 26, et Cic. ad Div. IX, 21. De alio quoque *Damasippo* in statuas insaniante loquitur Horat. lib. II, sat. 3. Hanc ergo lectionem retinui, utpote quæ esset codd. nostris magis consentanea. Vet. schol., Pateani codex, et editiones recentiores habent *Lateranus*.

Ipse rotam stringit multo sufflamine Consul:  
 Nocte quidem ; sed luna videt , sed sidera testes  
 Intendunt oculos. Finitum tempus honoris  
 Cùm fuerit, clarâ Damasippus luce flagellum 150  
 Sumet, et occursum nunquam trepidabit amici  
 Jam senis, ac virgâ prior annuet, atque maniplos  
 Solvet, et infundet jumentis hordea lassis.  
 Interea, dum lanatas, torvumque juvencum  
 More Numæ cædit Jovis ante altaria, jurat 155

Græc. Δαμάσιππος. Hoc ficto nomine designatur nobilis quivis aurigandi studio captus, proprie domitor equorum. Qui legunt *Lateranus*, volunt eum esse *Plautium Lateranum*, Messalinæ adulterum, consulem designatum, an. V. C. DCCCXIX, qui in Neronem conjuravit, et ab eo occisus est.

147. *Sufflamine.*] Sufflamen, τροχοπέδη, vinculum ligneum, vel ferreum, seu retinaculum, quod per radios rotarum trajectum earum cursum sistit, Gall. *enrayure*. Forte, hoc loco melius: *sufflamen* vox efficta a Juvenale ex *sub* et *flare*, unde nostri fecerunt *souffler*. Ita, *multo sufflamine*, id est, multo et vehementi anhelitu; quo recte atque satirice admodum pingitur Damasippus pinguis et corpulentus sudans, anhelans, et *sufflans* in rota currûs stringenda. F. D.

151. *Occursum nunquam trepidabit.*] Trepidare cum accusativo, more Græcorum. Non reformidabit occursum amici jam senioris, senatoris ætate, gravitate meritisque notabilis; cùm ille ipse, qui jam senex sit, insaniam suam, et nequitiam se infamem offerat.

152. *Virgâ prior annuet.*] Supra III, 318. Flagello ei signum dabit, *fera claquer son fouet devant lui*, non salutationis, sed jactantiæ causâ.—*Maniplos.* Fasciculos sœni.

153. *Infundet... hordea.*] Hordeum equis pabulum in Italia, non avena; unde Fest. *Hordearium* æs equiti Romano dabatur. Hic, omnia vilis agasonis munia implebit.

154. *Lanatas.*] Supple oves.—*Torvumque juvencum.* Apud poetas boves perpetuo epitheto *torvi* vocantur, quod præcipua frontis asperitas in hoc pecore apparet.

155. *Cædit Jovis ante altaria.*] In solemnibus, magistratum juris erat sacra peragere. Unde cædit hostias ante aras ipsas Jovis: quod fiebat quoque in abdicatione consulatûs.—*More Numæ.* Palam, et prisco ritu, quasi a Numa tradito; sed, sub pectore nullum aliud habet numen, quàm equos suos. Hoc loco, quibusdam Numa satirice tangi videtur, qui, quamvis religiosus videretur, tamen nullam religionem tenebatur; quique apud Ethnicos auctores, politicus magis, quàm

Solam Eponam, et facies olida ad præsepia pictas.  
 Sed cum pervigiles placet instaurare popinas;  
 Obvius assiduo Syrophœnix udus amomo  
 Currit, Idumææ Syrophœnix incola portæ,

pius judicatur; qui demum, ut ait Lactantius lib. I, cap. 22, cum alios falleret, se ipsum non fellit. A.

156. *Solam Eponam.*] Cum autem juret quisque per numina, quæ maximi facit, et unde sibi bona sperat; ille consul auriga jurat per *Eponam* deam mulionum. Alii legunt *Hipponam*, alii *solam Hippo*: sed Turneb. Advers. lib. XXIV, cap. 4. optime *solam Eponam* dixit legendum. De eâ enim deâ mulionum et aurigarum, sic Prudent. in Apotheosi: Nemo Cloacinae aut Eponæ super astra-Deabus.

Et Plut. in parallelis: ἐστὶ δὲ θεὸς Ἐπόνα πρόγονον ποικυμένη ἵππων. Huc referenda quoque est antiqui lapidis ad Helvetica balnea inscriptio, quam nunc habet, inquit Hennin. Gruter. inscriptt. IV et V, p. 87:

HERCVLI. ET. EPONAE.

LEG. XXII. ANTONIANAE.

P. P. F. AVGVST. PRO. SALVTE.

IMP. CAES. M. AVREL. ANTON. PII.

FELICIS. INVICTI.

V. 156. *Solam Eponam.* Ex nostris codd. maxima pars certe habet *solam Hiponam*, vel *Hyponam*, vel *Yponam*, demptâ alterâ litterâ *p*, propter metrum: nam *Hipponam* rectius scriberetur. Sic, ea *Hippona*, quæ memoratur in rarissimo nummo ap. Seguin. select. numism. p. 12. esset æque Dea mulionum. Sed, ut recte observat Al. Rup. diversa forte numina fuere *Epona*, atque *Hippona*; altera Dea asinorum ab ἐπί et ἄνος, altera vero equorum. Utrum igitur legas, parvi interest.

— *Et facies.* Eponæ, et similitum numinum.

157. *Sed cum, etc.*] At, cum aurigatione intermissâ (aliud studium non minus sædum), *popinas* Damasippo placet *instaurare*, repetere, denuo invisere, quod Neronis exemplo facit, de quo vid. Suet. cap. 26. — *Pervigiles.... popinas.* Popina, locus ubi publice opsonia et viliora vina venduntur, un cabaret. — *Pervigiles.* Quæ nocte tota patent. Sic supra III, 275. *Pervigiles fenestæ.*

158. *Syrophœnix.*] Tabernarius qui est et unguentarius, ex Syria et Phœnicia, unde optima unguenta accersebantur, et optimi unguentorum compositores. — *Udus amomo.* Madidus amomo, quem tractat assidue. *Amomum* autem frutex Armeniæ et Mediæ; et deinde unguentum inde paratum. — *Obvius.... currit.* Damasippo scil. lætus adventu ejus.

159. *Idumææ... incola portæ.*] Idumæa, quæ proprie pars Judææ est, poëtis tota Judæa. Hic,

Hospitis affectu dominum , regemque salutat, 160  
 Et cum venali Cyane succincta lagenâ.  
 Defensor culpæ dicet mihi , fecimus et nos  
 Hæc juvenes. Esto : desisti nempe , nec ultra  
 Fovisti errorem. Breve sit , quod turpiter audes.  
 Quædam cum prima resecentur crimina barba. 165  
 Indulge veniam pueris. Damasippus ad illos  
 Thermarum calices , inscriptaque lintea vadit ,

porta Romæ, per quam triumphavit Vespasianus de Judæis , et forsitan Titi arcus triumphalis , juxta quem popinæ erant frequentes.

160. *Hospitis affectu.* ] Eo affectu , quo solent hospites suos invitare et excipere caupones , et alii hujus farinæ homines. — *Dominum regemque salutat.* His nominibus , salutat Damasippum , ex more veterum vel ignotos sic salutantium. Sic in Mart. lib. I , epig. 113 :

Cum te non nôssem , dominum regem  
 que vocabam ,

Cum bene te novi , jam mihi Priscus eris.

161. *Cyane.* ] Nomen tabernariæ. — *Succincta.* Ut sunt plerumque istæ mulieres ; quo expeditius ministrare possint.

162. *Defensor culpæ.* ] Vel is , qui vitia hominum benigno semper obtendit velo , vel Damasippi ipsius amicus.

165. *Quædam... resecentur.* ] Jam a prima adolescentia deponantur.

166. *Indulge veniam pueris.* ] Ex his , quædam in adolescentibus

condonanda sunt : sed , Damasippus jam maturus bello et serious negotiis , ideo veniâ indignus est.

167. *Thermarum ad calices.* ] Thermæ , thermopolia , primum loca erant ubi vel lavabatur calidâ aquâ , vel sudabatur , seu ad ignem , seu ad solem , in quibus vendebatur aqua tepens et calida , quam apud Romanos non usitatam tantum , sed et in deliciis fuisse probat Just. Lipsius , lib. I , Elect. cap. 4 , et evincunt innumera veterum scriptt. testimonia. In iis quoque thermopoliis conveniebatur fabulandi , tempusque terendi gratia , idque primo decenter ac sobrie : illæ vero deinceps thermæ immensæ adeo erectæ sunt , ut eas Amm. Marcell. lib. XVI , cap. 6 , vocet , *in modum provinciarum exstructa lavacra.* Tunc tripartitæ fuisse videntur. 1<sup>o</sup> *Thermæ* proprie dictæ , ubi sudabatur. 2<sup>o</sup> *Balnea* , ubi lavabatur , ungebatur , detergebatur. 3<sup>o</sup> *Thermarum calices* , popinæ , ubi vino et epulis indulgebatur ; in quibus sæpissime homines otiosi , nequam , et

V. 165. *Resecentur.* XXI codd. habent *resecantur.*

Maturus bello, Armeniæ Syriæque tuendis  
 Annibus, et Rheno, atque Istro. Præstare Neronem  
 Securum valet hæc ætas. Mitte ostia, Cæsar, 170  
 Mitte : sed in magna legatum quære popina.  
 Invenies aliquo cum percussore jacentem,  
 Permixtum nautis, et furibus, ac fugitivis,  
 Inter carnifices, et fabros sandapilarum,  
 Et resupinati cessantia tympana Galli. 175  
 Aequa ibi libertas, communia pocula, lectus

furto exercitati conveniebant. — *Inscriptaque lintea vadit.* In thermis iisdem prostantium meretricum quoque cellas fuisse nobis visum est. Ita, *lintea inscripta* erunt vela popinis obpensa, ut plurimum lintea, et acu picta (*catagraphon linum*), vel potius inscriptiones rerum in popina venalium et meretricum in cellis prostantium, quæ vela orbiculos quosdam haberent, ut adduci et reduci facilius possent. A.

168. *Maturus bello.*] Hoc est, militiæ. Jam eâ ætate est, ut pro patriæ salute pugnare queat. — *Syriæque tuendis annibus.* Syriæ amnes erant Tigris et Euphrates, fines imperii Romani in Oriente.

169. *Rheno atque Istro.*] Finibus Imperii in Occidente. *Ister* erat Danubii nomen, hodie *Donaw*, *le Danube.* — *Præstare Neronem.* Hac ætate potest tueri, defendere Imperatorem, vel etiam munia ejus implere, personam ejus sustinere. Hoc *σαρρακιωῶς* dictum in Imperatores, qui per legatos bella gerebant.

170. *Mitte ostia.*] Hunc ducem ad fluminum, scil. Euphratis, Tigris, Rheni, atque Istri ostia

defendenda mitte. Alii, sed perperam, hæc de ostiis Tiberis intelligunt, *le port d'Ostie*: cum enim Ostiensem portum per plurale nomen *Ostia* poetæ designant, addunt epitheton *Tiberina*, vel simpliciter hunc portum *Ostiam* vocant. Alii quoque de domus *Damasippi* ostio intelligunt: sed ineptum magis. Ad primam igitur redeo sententiam, eo libentius, quod in quibusque fluminum ostiis, Romani exercitus et castra haberent. A.

172. *Jacentem.*] Molliter.

173. *Fugitivis.*] Servis.

174. *Sandapilarum.*] Sandapila, feretrum, loculus, Gall. *une biere*, in quo plebeiorum cadavera deferuntur.

175. *Cessantia tympana Galli.*] Gallos sacerdotes tympana pulsantes et cymbala, per urbem discursisse omnibus notum est. Inter hos igitur noster nobilis reperietur, noctu, a discursionibus cessantes. — *Resupinati.* Ebrii, et forte turpia patientis, sup. III, 112.

176. *Aequa ibi libertas.*] Non ibi sunt patroni divitis iniquæ mensæ; sed, ut nostri dicunt, *chacun y est maître pour son argent.*

Non alius cuiquam, nec mensa remotior ulli.  
 Quid facias talem sortitus, Pontice, servum?  
 Nempe in Lucanos, aut Tusca ergastula mittas.  
 At vos, Trojugenæ, vobis ignoscitis, et quæ 180  
 Turpia cerdoni, Volesos, Brutosque decebunt.  
 Quid, si nunquam adeo fœdis, adeoque pudendis  
 Utimur exemplis, ut non pejora supersint?  
 Consumptis opibus, vocem, Damasippe, locasti

— *Lectus non alius cuiquam.* Lectus discubitorius, quo ad mensam assidebatur, erat diversus et honoratior, quo quisque esset dignitate, vel ætate cæteris provector: ita, ibi nulla nobilis, aut civis, aut servi, furis, carnificis ratio habetur. Cæterum, hæ discursiones nocturnæ, et locorum infimorum frequentatio, quas in populi primoribus merito reprehendit poëta, quasque jam sat. III, v. 278, exagitavit, a quibusdam principibus viris, honestiore de causa susceptæ quandoque utilitati publicæ verterunt feliciter. Testes hujus rei sunt Arabum imperator *Haroun - al-Raschid*, qui, comite præcipuo suo ministro, urbis vicos, mutatis vestibibus, noctu, perlustrabat, rumores populi undequaque excipiens, sapientissimaque judicia exercens; *Henricus* quoque noster optimus, qui, latens, regiæ passim benignitatis, et paterni sui in cives amoris argumenta prodidit; et maximus ille *Petrus* Russiæ imperator, qui, sub opificis habitu, varias Europæ gentes cum perlustrasset, semetipsum primo, ac deinde populum suum antea rudem et imperitum edocuit, atque

inter principes Europæ gentes subito evexit: adeo dispar causa facit rem dissimilem! A.

177. *Nec mensa remotior ulli.* Si nobilis una cum inferioribus cœnaret, mensa ejus et separata et remotior erat, et loco digniori structa; sed, hęc, omnia se promiscue habent.

179. *Lucanos.* Lucanum prædium, ut aratro solum perstringat. — *Tusca ergastula.* De ergastulis, vid. supra VI, v. 150.

180. *Trojugenæ.* Ut Teucrorum proles. Vid. sup. v. 55.

181. *Cerdoni.* Cerdones plebei et infimo genere, qui sordido quæstu victum quærunt. Sup. IV, 153. — *Volesos.* Primum nomen Valeriæ gentis. *Volesus* Sabinus, pater P. Valerii Publicolæ cum Tatio Romam venisse dicitur. — *Brutos.* Cognomen Juniæ gentis patriciæ et antiquissimæ.

182. *Quid, si, etc.* Hęc, etsi satis fœda, quæ de nobilibus retulimus, non tamen adeo sunt pudenda, quin fœdiora adhuc dicenda supersint.

184. *Consumptis opibus.* Aurigatione, vel cum scortis, vel in popinis.

Sipario, clamosum ageres ut Phasma Catulli. 185

185. *Sipario... locasti vocem.*] Inepte quidam, ut præco mimicus esses. Hic, locasti vocem, mercede pactâ, ut cantares in choris, aut mimos ageres. — *Sipario*. Per metonymiam, theatro, actoribus aut ludis scenicis. *Siparium* autem velum scenicum. Donat. in Terent. *Aulæa quoque in scena intexta sternuntur, pro quibus ætas posterior siparia accepit. Est autem siparium velum mimicum, quod theatro obtenditur, et quod populo obstat, dum fabularum actus commutantur.* — *Phasma*. Græc. φάσμα, spectrum, mimus Q. Lutatii Catulli urbicarii, vel mimographi, non C. Valerii Catulli poëtæ Veronensis. *Phasmatis* autem id erat argumentum. Adolescens introductus, aspectu subito pulcherrimæ virginis veluti numinis visu percussus, exhorrescebat, *exclamabat*: unde forte *clamosum* illud drama vocatur. Magna est, hoc loco, inter commentatores et interpretes discordia. Alii, fabulam cui titulus est *Phasma*, Catullo poëtæ ignobili, ut dicitur, attribuant. Alii, interpungentes post *Phasma*, eam fabulam absque auctoris nomine relinquunt, et Catullo *Laureolum* tribuunt. Hanc porro litem dirimere si non utile omnino, at certe difficillimum erit. Nam, etsi de illa *Phasmatis* fabula quidam locuti fuerunt inter veteres, præsertim Terent. Eunuch. prolog. et Donatus ibid. nemo, quod sciam, huic Catullo *Phasma* adscripsit; atque ita, potior videretur sententia eorum, qui ei-

dem Catullo *Laureolum* assignant, Tertulliani loco freti, qui sic cap. XIV, adversus Valentinianos: *Ita depulsa quominus pergeret, nec habens supervolare crucem, id est, Horon, quia nullum Catulli Laureolum fuerit exercitata*, etc. At, alii, quibus fides non minor, Macrobi. saturn. II, cap. 7, et Gell. lib. III, cap. 3, lib. VIII, cap. 13 et 14, lib. XVII, cap. 14, eundem *Laureolum* Nævio aut Laberio mimographis tribuunt: unde fit, ut tres illa simul auctores habeat fabula, Catullum, Nævium, Laberium. Prætermittentes autem Tertulliani recentioris scriptoris auctoritatem, qui, æque ac nos forte erravit, et Catullo dedit quod Nævii aut Laberii esset, quin potius in ipso nostro poëta ænigmatis solutionem quæramus. Nemo autem negabit Juvenalem tempori quo hæc fabulæ agebantur cœvum, certiolem fuisse de auctorum nominibus, quàm Tertullianum, et Macrobium, qui multo post vixerunt. Porro, in his versibus duo præcipua sunt animadvertenda: primo, connexionum vocabulorum *Phasma Catulli*; illud enim verbum *Catulli* in phrasis ordine, melius cum antecedenti *Phasma* copulatur, quàm cum sequenti *Laureolum*, a quo, voce quiescente, et versu desinente separatur; quod sane amphibologiæ causa noster vitasset, ac vitare potuisset, nisi in animo ei fuisset, ut lector hanc fabulam *Phasma* Catullo, ut ipse adscriberet. Sed hæc leviora, et

Laureolum velox etiam bene Lentulus egit,  
 Judice me, dignus verâ cruce. Nec tamen ipsi  
 Ignoscas populo : populi frons durior hujus,

forsan argutioris videri possunt argumenti; ad secundum transeo, quod primum corroborat. In optimis scriptoribus, hæ conjunctiones *que, etsi, autem, ergo, enim, etiam, etc.* sæpius post primum phrasis verbum locum habent; rarius post secundum, nunquam, aut rarissime post tertium: porro, si *Laureolus* Catullo esset adscribendus, interpungentes post *Phasma*, legeremus, *Catulli Laureolum velox etiam*, quod languere admodum, et a mente, ut ab ordine, modulatione, rhythmō linguæ prorsus abhorreere mihi videtur: his adde auctoritatem codd. omnium IX, et X sæculi, qui, post vocem *Catulli*, habent maximam distinctionem (;) illis temporibus usitatam. Lego igitur, ut alii permulti:

...clamosum ageres ut *Phasma* Catulli.  
 Laureolum velox etiam bene Lentulus egit, etc.

et, in his, me *Juvenalis* docet hunc *Phasmatis* auctorem, de quo silent alii, fuisse *Catullum*. At fuisse *Laureoli* etiam scriptorem, minime puto; et ad hæc fidem habeo majorem *Gellio*, qui lib. III, 3. Sic ait: *De Nævio accepimus, fabulas eum in carcere duas scripsisse, Laureolum et Leontem, quàm Tertulliano qui, forte, ut recentiores commentatores, Juvenalis hoc loco deceptus, verbum Catulli ad sequentia retulit, non ad antecedentia. Quæ quidem,*

etsi conjecturæ sint, evidentiar signum accipiunt a *Calderino*, qui sic ad verbum *Phasma*: « *In margine codicis mei antiquissimi ita est: Catullum intelligit, qui mimos scripsit, ut Laberius. Laureolum et Leontem scripsit Nævius poëta in carcere, in qua introducebatur Laureolus, qui, ob scelus, cruce pendebat.* » A.

186. *Lentulus*.] Alter nobilis patricius, e gente *Cornelia*, qui veluti *Damasippus* etiam mimos egit.—*Laureolum*. In eo, quod alii *Nævio*, alii *Laberio* tribuunt, dramate, *Laureolus* servus in falso deprehensus, vel dux latronum cruci affigebatur.—*Velox etiam*. Mirâ strenuitate, quia *crucem supervolabat*, ut ait *Tertullianus*, adversus *Valentin*. *Dusaulx*: « *Au dénouement l'acteur s'escamottait et ne laissait en sa place qu'un mannequin dans lequel on enfonçait les clous.* » Note 33, page 323. Fictâ igitur cruce vulgo subfigebatur actor; sed *Domitianus* hanc fabulam olim daturus, eum qui *Laureoli* partes ageret, verâ, non falsâ cruce pendere jussit: unde *Martialis* de spectac. epig. 7.

Non falsâ pendens cruce *Laureolus*. Unde hæc, *dignus verâ cruce*, alludere videtur ad hoc factum.

187. *Dignus verâ cruce*.] Quod nulla nobilitatis suæ ac decentiæ, nec majorum suorum habitâ ratione, scurriliter mimum egerit.

188. *Populi frons durior*.] Sine



## Qui sedet, et spectat triscurria Patriciorum,

pudore, ut *os durum*, et ferreum.

189. *Triscurria*.] Id est, valde, magnopere scurrilia, quasi triplicem patriciorum scurrilitatem: nam, *tris* et *ter* pro superlativo Græci et Latini usurpant. Plaut. Rud. Tum trifurcifer mihi audes inclementer dicere?

Sic interpretum plerique. Præter eam, quam memoravimus opinionem, aliæ sunt, quas enumerare non erit prorsus inutile: nam, *triscurria* vox inusitata fuit, quæ solus hic noster, quod sciam, usus est; quamque corruptam lapsu temporum existimares; sed, frustra: nam, et in omnibus reperitur libris: quique, ut Scalig. de Emend. Temp. eam immutare contenderunt, id sponte suâ fecerunt, sine auctoritate, nec probabiliorum inde elicuerunt sensum. Sic Scal. ad Catullum corrigit: « *Transcurria*, ut poëta in-  
 « nuat patricos *transiisse ad scur-  
 « ras*, orchestram, hoc est, ex se-  
 « natoribus factos esse scurras. » At, quia in codd. quibusdam legitur *triscuria* cum una *r* consonanti; sic de ea lectione idem disputat Scalig. loco præcit. « Novi  
 « qui malit scribere *triscuria*, nam,  
 « *triscurium* ingens cura, ut est  
 « reipublicæ, quæ sane cura digna  
 « fuerat patriciis. Priscian. com-  
 « posita a verbo *curo*, *securus*,  
 « *obscurus*, *tricurium*. Festus ex  
 « Livio: *solicuria* in omni re curio-  
 « sa. » Petitus contra ad leges Attic. p. 245 emendat, *tricharia patri-*

*ciorum*, quoniam spectaverint cruciarium *Laureolum* in *tricha* destitutum. Voss. ad Catullum p. 55. *Strictoria* omnino legendum putabat. « Sic enim; inquit, vo-  
 « cabantur tunicæ strictæ, quibus  
 « non histriones tantum et co-  
 « mœdi; sed, et ipsi patricii et  
 « senatores, depositâ togâ et ne-  
 « glectâ honoris ac dignitatis suæ  
 « ratione, in conviviis, ludis ac  
 « spectaculis passim, et palam  
 « spectabantur. » Hæ autem ex-  
 plicationes et argutiores sunt, et minus in mentem auctoris cadunt: adde, quòd inutiles fiunt, quandoquidem verbum *triscurria* legitur ubique, ut supra diximus. Ad priorem igitur in comment. nostro relatam explicationem redeamus necesse est; nisi illa magis placeat ultima; quam Præteus rejecerit levius quàm par esset, ut mihi visum est: nam, et ad rem venit, et cum isto supra memorato in nobilibus aurigandi studio apprime consentit. Hæc ita est: *triscurria*, vox ficta a Juvenale: triplices in Circo discursus intelligit; ut sit sensus: *populi frons durior, qui sedet, et spectat triscurria*, triplices discursus patriciorum in Circo, qui audit, etc. In hunc sensum, plane venit verbi *spectat* usus, quòd, cùm continuam attentionem significet, pertinet magis ad cursus equorum, qui oculis videntur, spectantur, quàm ad scurrilia, quæ auribus percipiuntur; ideoque, nota,

Planipedes audit Fabios, ridere potest qui 190  
 Mamercorum alapas. Quanti sua funera vendant,  
 Quid refert? vendunt, nullo cogente Nerone,  
 Nec dubitant Celsi Prætoris vendere ludis.  
 Finge tamen gladios inde, atque hinc pulpita pone :  
 Quid satius? Mortem sic quisquam exhorruit, ut sit 195  
 Zelotypus Thymeles, stupidi collega Corinthi?

quòd, versu sequenti, noster ex-  
 presse dixit: *Planipedes audit Fa-*  
*bios*; et infra: *qui ridere potest*  
*(cùm videt) Mamercor. alapas*: ita  
*spectat*, attentionem oculorum in  
 decursionibus significat, *audit*,  
 voluptatem aurium in ineptiis  
 Fabiorum accipiendis, et *videt*,  
 quod subauditur, simplicem vi-  
 sum, ut est, et esse debuit *alapa-*  
*rum visus*. A.

190. *Fabios*.] Ex nobilissima  
 gente Fabiorum. — *Planipedes*.  
 Mimos agentes. Mimi autem *plani-*  
*pedes* ideo dicti sunt, quòd *ac-*  
*tores planis pedibus*, id est, nudis,  
*in proscaenium introirent*, non ut  
*tragici actores cum cothurnis*, neque  
*ut comici cum soccis*, etc. Ita Dio-  
 med. lib. III.

191. *Mamercorum*.] Ex nobilis-  
 sima Aemilia gente. — *Alapas*.  
 Cùm percutiuntur a domino mi-  
 mo servorum personam agentes.  
 — *Quanti sua funera vendant*. Scil.  
 lanistis, cùm re et spe consumptâ,  
 ad extremum gladiatores fieri de-  
 liberant. Propert. lib. IV, eleg. 8 :  
 Nunc caput in mortem vendunt, et fu-  
 nus arenæ.

192. *Nullo cogente Nerone*.] Sponte suâ, non, ut olim, prin-  
 cipi adulantes, vel coacti a ty-  
 ranno, ut a Nerone.

193. *Celsi prætoris*.] Alii dicunt  
*Celsi* nomen esse prætoris non  
 nobis noti, sed ignobilioris loci,  
 quàm ipsi sunt. Alii hoc ver-  
 bum *celsi* volunt esse epithe-  
 ton; ita ut, *celsus* dicatur prætor  
 in sella sublimis, et ludis præ-  
 sidens. Sed prioribus assentior :  
 nam, et *celsi* epitheton languet in  
 oratione, et, præterea, *Juventium*  
*Celsum* præturam gessisse sub Tre-  
 jano nos docet Plinius, epist. 5,  
 lib. VI.

194. *Finge tamen gladios inde*.] Fingamus a tyranno nobis ex al-  
 tera parte *gladios*, hoc est, sup-  
 plicium proponi; ex altera vero  
*pulpita*, id est, scenicas artes;  
 quid potius eligendum erit?

195. *Mortem sic, etc.*] An mors  
 adeo fortibus viris extimescenda  
 est, ut eam non præferant tantæ  
 infamiæ, scil. ut sint histriones?  
 Ii autem Romæ infames erant;  
 et, qui scenæ operam locabant,  
 tribu movebantur, præter Atel-  
 lanarum actores. Vide quæ de  
 iis notavimus, sat. VI, v. 71.

196. *Zelotypus Thymeles*.] Ut sus-  
 tineat zelotypi conjugis Thyme-  
 les personam, Gal. *le rôle d'un mari*  
*jaloux*, ut ille Latinus, de quo,  
 sat. I, v. 36, quem in comœdia  
 uxor dolis circumvenit. — *Collega*.

Res haud mira tamen, citharædo principe, mimus  
 Nobilis. Hæc ultra quid erit, nisi ludus? Et illud  
 Dedecus Urbis habes; nec mirmillonis in armis,  
 Nec clypeo Gracchum pugnantem, aut falce supinâ 200

Ut sit socius. — *Corinthi*. Alterius mimi.

197. *Citharædo principe*.] Nerone, qui citharædos coluit impense, atque ipse in theatro cantare non erubuit. Suet. Nero, 20—25. Tac. Ann. XIV, 14—15.

198. *Hæc ultra, etc.*] Id est, quid post hæc turpius videbis, nisi ludum gladiatorium? Jam nobiles viri histriones facti sunt; quid vilius esse possunt, nisi gladiatores? — *Et illud dedecus Urbis habes*. Et illam quoque jam nunc infamiam vides, scil. *Gracchum pugnantem*, etc. Hanc primus interpretationem Gallice dedit *Dusaulx*, cui et nos assentimur. Alii sic: Post hæc, quid videbis aliud in Urbe, præter ludos? *Et illud etiam nunc dedecus Urbis habes*; scil. jam nunc vides, quod Urbi summo est dedecori, *Gracchum pugnantem*, etc. A.

199. *Nec mirmillonis in armis*.] *Gracchum pugnantem vides*, non in armis mirmillonis.

200. *Nec clypeo*.] Nec cum falce, sica, harpe, gladio incurvo, quæ sunt arma mirmillonis. Ea autem est certaminis hujus ima-

go. Ex duobus gladiatoribus, alter mirmillo dicitur, cui lorica pectus munitum, dextra falce armata, seu sica, seu potius ense reducto, incurvo, sinistra clypeo, caput insignitum galea, in qua piscis effigies, contra quem adversarius insurgit clamans: *Gal- le, non te peto, piscem peto*. Alter retiarius dicitur, nuda facie, galeo tantum caput opertum habet; levi tunica indutus, sinistra tridentem, fusciam, dextrâ suspensum rete vibrat, quo mirmillonem implicare, et ad se trahere conatur. Ille contra et retis implicationem vitat, et retiarius falce, parmæque petit, qui male re gesta, fugere cogitur: sed fugit arte doctus, effuse, donec iterum rete collegerit. Ergo, instauratur pugna. Retiarius acrior ad pugnam redit, mirmillonem novo repetit assultu. Ita, dum ille adversarium implicare, hic hostem ferire tentat, dum alter vicissim alterum effugit, civibus spectaculo intentis ingens cura pectus occupat, utri victoria cedat: donec viribus, aut solertia deficientibus, ex duobus unus vel victor eva-

V. 197. *Mimus*. Codicum et edd. princip. pars maxima habet *natus*, quam lectionem defendit Lubinus, et ita interpretatur: « Non mirum est, « si nobiles adulterini plerique, et nati citharædis principibus parentum « suorum mores imitentur. » Sed nec ea lectio, nec ea interpretatio auctoris menti conveniens est.

(Damnat enim tales habitus, et damnat et odit ;  
 Nec galeâ frontem abscondit). Movet ecce tridentem,  
 Postquam vibratâ pendentia retia dextrâ  
 Nequicquam effudit, nudum ad spectacula vultum  
 Erigit, et totâ fugit agnoscendus arenâ : 205  
 Credamus tunicæ, de faucibus aurea cùm se

dat, vel victus excidat. Quod quidem pugnae genus apud Romanos in summis erat deliciis; et, revera, neque quadam voluptate carebat, nec sine solertia poterat perfici, præsertim a retiario, qui inermis armatum lacessebat, aliquando etiam vincebat: ideoque illi fuga non erat indecora, immo justa et necessaria, ut inde novos adversario pararet assultus, qui eum sæpe acrius urgendo insequeretur; unde huic quoque *secutoris* nomen inditum est. Gracchus autem hoc loco retiarii partes agit, atque ideo a Juvenale juste notatur, quòd, quasi contra vilem adversarium gladiatorem nobilissimo Graccho non satis fuisset in arena decertare, quasique ne non agnosceretur extimuisset, partem retiarii suscepit, et capite aperto, saliaribus indutus ornamentis pugnaverit, atque ita, dignitatis suæ, simul ac majorum cineribus insultare non erubuerit. A.

201. *Damnat enim, etc.*] Hunc versum interpolatum putat Al.

Ruperti: et, revera, nec elegans, nec alioquin utilis videtur.

202. *Nec galea frontem abscondit.*] Ut mirmillo; sed, nuda facie pugnat, ut, quæ impudentia hominis, ab omnibus conspiciatur atque cognoscatur!

203. *Postquam vibratâ pendentia, etc.*] Postquam rete frustra injecto aberravit, nec mirmillonis caput implicuit.

204. *Nudum ad spectacula.*] Sese spectatoribus ostentat, et se agnoscere gaudet.

205. *Fugit.*] Non indecore, sed arte, ut iterum assurgat. Vid. sup. ad vers. 200.

206. *Credamus tunicæ.*] Si quis nunc dubitet Gracchum retiarium agnoscere, cùm tamen nuda facies ejus sit, eum evidentius arguet habitus: nam, non tunicam modo, ut retiarius induit; sed et tunicam auream, pictam, auro et purpurâ variegatam, de faucibus, id est, circa fauces, vel potius a gutture ad imum, auro distinctam, ut sacer-

V. 201. *Et damnat et odit.* Restitui ex XXX codd. et edd. prisc. Alii, præeunte vet. schol. *sed damnat et odit.* τὸ *sed* hoc loco, pro immo, quin etiam.

V. 202. *Frontem.* Ita nostrorum codd. plerique: alii, *faciem.*

V. 203. *Vibratâ.* Quidam codd. et editt. recent. habent *libratâ.*

Porrigit, et longo jactetur spira galero.

Ergo ignominiam graviolem pertulit omni

Vulnere, cum Graccho jussus pugnare secutor.

Libera si dentur populo suffragia, quis tam

210 •

Perditus, ut dubitet Senecam præferre Neroni,

Cujus supplicio non debuit una parari

Simia, nec serpens unus, nec culeus unus?

dos Salius. Eum Salius fuisse constat ex sat. II, v. 125.

207. *Et... spira.*] Nam illi *spira*, ligula, fascia aurea sine dubio *jactatur*, fluctuat per humeros, et mento subligata, cujus extremitates vento agitantur. — *Galero*. Pileo in conii formam fastigiato (*κρησασία*), insigni Saliorum sacerdotum.

208. *Ignominiam graviolem.*] Nam secutor, scil. mirmillo, etsi gladiator, honestus tamen magis quam Gracchus, et pudibundus, non potest quin pro eo erubescat (*il ne peut s'empêcher d'en rougir pour lui*); et *jussus* a prætore, vel munerario, vel lanista pugnare cum Graccho, id graviore ducit ignominie, quod vicerit virum nobilem, quam si ab eo victus esset. A.

209. *Secutor.*] Idem ac mirmillo. Vid. v. 200.

210. *Libera... suffragia.*] Si liceat populo quid sentiat libere aperire, vel potius, ut interpret. Grangæus, eligere imperatorem.

211. *Dubitet Senecam præferre Neroni.*] Pro Imperatore. Quæquidem interpretatio etsi pluribus non arridet, mihi potior visa est: nam, Corn. Tacit. ann. XV scribit, conjuratos destina-

visse, occulto quidem consilio, ut, post occisum Pisonis ope Neronem, Piso quoque interficeretur, tradereturque imperium Senecæ, quasi insonti, et claritudine virtutum ad summum fastigium dilecto. Ad quem locum respexisse videtur poëta, opponens Senecam ignobilem virum, sed optimum, Neroni avitis suis quidem clarissimo, sed pessimo. A.

212. *Non una.*] Sed multæ, ut qui non semel, sed sæpius parricidarum supplicium meruerit. Occidit enim Agrippinam matrem suam, Domitiam amitam, Octaviam Poppæamque uxores, Britannicum fratrem, Antoniam Claudii filiam, Senecam præceptorem suum, Rufum Crispinum primum Poppææ maritum, Aulum Plautium, et alios, aut sanguine, aut affinitate aliquâ sibi conjunctos. Porro, lege Pompeia, non is solum parricida dicebatur, qui patrem aut matrem, sed qui et propinquos suos, aut cognatos occidisset.

213. *Simia, nec serpens unus nec, etc.*] Parricidarum autem pœna erat, ut virgis sanguineis cæsi, et *culeo*, scil. sacco coriaceo taurino recenti, ne aqua facile

Par Agamemnonidæ crimen ; sed causa facit rem  
 Dissimilem : quippe ille , Deis auctoribus , ultor 215  
 Patris erat cæsi media inter pocula : sed nec  
 Electræ jugulo se polluit , aut Spartani  
 Sanguine conjugii , nullis aconita propinquis

penetraret , insuti , una cum simia , serpente , gallo gallinaceo et cane , in mari proximo , aut flumine demergerentur ; ut , *repente cælo , sole , aquâ terrâque privarentur* (Cic. pro Sext. Rosc. Am. 70) ; utque fortasse , in rixa infensorum animalium , sæda laceratione corporis , pro admissi sceleris immanitate , diro cruciatu exanimarentur ? Id autem supplicium jam inventum a Tarquinio Superbo adversus sacerdotem , qui secreta mysteria revelaverat , post exactos reges , quibusdam criminibus consuetudine reservatum , non ante tamen Pompeii Magni temporibus , adversus parricidas usitatum est ; quippe quòd ignoraretur scelus : donec , anno V. C. DCLII , P. Malleolus quidam cum matrem suam occidisset , Pompeio auctore , lege sancitum est , ut supplicium a Tarquinio excogitatum parricidis proprium foret : unde lex Pompeia. Animalia tamen , non nisi Imperatorum ætate , *culeo* addita fuisse videntur.

214. *Par Agamemnonidæ crimen.* ] Orestis Agamemnonis filii , qui Clytæmnestram ferro occidit. Neronis temp. passim legebatur : ΝΕΡΩΝ. ΟΡΕΣΤΗΣ. ΑΑΚΜΑΙΩΝ. ΜΗΤΡΟΚΤΟΝΟΙ.

— *Sed causa facit rem dissimilem.* Non enim , ut Nero , sponte suâ ,

et ingenitâ veluti sibi feritate : *sed , etc.*

215. *Deis auctoribus.* ] Ut cædem ulcisceretur patris inter pocula interempti ab Aegistho Clytæmnestræ adultero , instante ipsâ Clytæmnestrâ. Vid. Hom. Odyss. δ , 529. λ , 408. Apud Græcos autem majorem filius patri debebat reverentiam , quàm matri ; et , eo justius Clytæmnestræ irascebatur Orestes , quòd illa ipsum regno privavisset , eique insidiaretur.

216. *Cæsi.... inter pocula.* ] Alii volunt Agamemnonem occisum in balneo ; alii , ut Virg. Aen. XI , 267 ad aram , ubi sacrificabat ; alii , aliter.

217. *Electræ jugulo se polluit.* ] Orestes non jugulavit sororem suam , ut Nero Britannicum fratrem et Antoniam sororem adoptivam suam. Horat. lib. II , sat. 3 :  
 Quin ex quo est habitus male tutæ  
 mentis Orestes ,  
 Non Pyladem ferro violare , aususve  
 sororem  
 Electram. . . . .

— *Aut Spartani sanguine conjugii.* Non Hermioni , Helenæ et Menelai Spartanorum regis filiæ , nec non uxori suæ necem intulit , ut Nero Octaviæ et Poppææ.

218. *Nullis aconita propinquis.* ] Non propinquos suos veneno ne-

Miscuit, in scena nunquam cantavit Orestes,  
Troïca non scripsit. Quid enim Verginius armis 220  
Debuit ulcisci magis, aut cum Vindice Galba?  
Quid Nero tam sævâ, crudâque tyrannide fecit?

cavit, ut Nero Domitiam, Britannicum et Antoniam.

219. *In scena nunquam cantavit.*] Vid. supr. 197.

220. *Troïca non scripsit.*] Ut Nero. Xiphilin. in vita Neronis. Νέρων ἄλλα τε γελοῖα ἔπραττε καὶ ποτε καὶ ἐπὶ τὴν τοῦ θεάτρου ὀρχήσαν ἐν πανδήμῳ τινὶ θεᾷ κατέβη, καὶ ἀνέγνω Τρωϊκὰ τινὰ ἑαυτοῦ ποιήματα. Nihil autem salsius dici poterat, ut pingeretur Nero et improbior et insanior Oreste: attamen, si ob hoc culpandus, quòd Troïca scripserit; quanto magis, quòd Romam incensam e turri Mæcenatica prospectans, lætusque flammæ pulchritudine, ἄλωσιν Ilii, scenico habitu, cantaverit (Suet. Ner. cap. 38); quantoque magis, quòd (si fidem adhibeamus Eutropio lib. VII) ipse, scilicet incendium illud urbis molitus fuerit, ut spectaculi ejus inaginem cerneret, quali olim Troja exarserat. Ad illud ultimum facinus horrendum sane, et vix credibile, respexit forte poëta. — *Quid enim Verginius armis.* Quod sædus, crudeliusve monstrum Galba, Vindex et Verginius debuerunt ulcisci, e gradu dejicere, quàm illum parricidam principem, mimum, et incensorem patriæ? Quis turpior

aut sævior tyrannus unquam dignus fuit, qui sub armis libertatis defensorum oppressus caderet, Gall. *Verginius, Vindex et Galba pouvaient-ils faire périr un monstre plus affreux?* Alii, aliter explicant: quid horum facinorum Neronis quæ supra memoravi, magis debuerunt ulcisci, punire Verginius, etc? Sed ista minus placet explicatio, nec tam apte cum sequenti versu concordat, qui veluti præcedentis est complementum: *quid enim Nero in tam sæva crudaque tyrannide fecit?* — *Verginius Rufus.* Germaniæ inferioris legatus. A.

221. *Cum Vindice.*] C. Julius Vindex natione Gallus, propter majores, stirpe regiâ ortus, propter patrem, senatorii ordinis, qui Galliam provinciam pro prætore obtinuerat, primus adversus Neronem insurrexit. — *Galba.* Sergius Sulpicius Galba, Hispaniæ Tarraconensis præfectus. Hi tres a Nerone desciverunt, et eum ex imperio ejicere a senatu jussi sunt.

222. *Tam sævâ crudâque.*] Quid toto tyrannidis tempore, quod fuit XIV annorum, melius vel infandum minus fecit? — *Crudâ.* Immani.

V. 220. *Verginius.* Ita in quibusdam codd. et præsertim in inscriptionibus passim legitur hoc nomen.

Hæc opera, atque hæ sunt generosi principis artes,  
 Gaudentis foedo peregrina ad pulpita saltu  
 Prostitui, Graiæque apium meruisse coronæ. 225  
 Majorum effigies habeant insignia vocis :  
 Ante pedes Domitî longum tu pone Thyestæ  
 Syrma, vel Antigonæ, seu personam Menalippes,

223. *Hæc opera, etc.*] Hæc fuere illi præcipua opera atque facta, scil. prostitui ad pulpita, et meruisse apium coronæ. — *Generosi.* E generosa stirpe orti. Ad natalium splendorem spectat.

224. *Fædo.*] Principe indigno. — *Saltu.* Histrionali. — *Peregrina ad pulpita.* Non tantum ad Romana, sed peregrina, Neapoli, Olympiæ, et in aliis Græciæ et Achaiæ urbibus. Sic Zonar. Ann. lib. II, Juvenalem illustrat : Ὁ δὲ Νέρων ὑπεραιώθη καὶ πρὸς τὴν Ἑλλάδα, εὐτοίγῃ, ὡς εἰ πρόγονοι αὐτοῦ, ἀλλὰ ἐπὶ ὀρχήσει, καὶ ἐπὶ κιθαρωδίσει, κηρύξει τε, καὶ τραγωδίας ὑποκρίσει· οὐ γὰρ ἤρκει αὐτῷ ἡ Ρώμη, ἀλλ' ἐδείθη καὶ ἐκτρατείας, ἵνα καὶ περιουσίῃς, ὡς ἔλεγε, γένηται.

225. *Prostitui.*] Dignitatem suam, et Imperii majestatem maculare, metaphora petita a prostibulo. — *Graiæque apium... coronæ.* Apio coronabantur victores in Græcia, virente in Nemeis agonibus, arenate in Isthmiis.

226. *Majorum effigies.*] Aposrophe sarcasmi plena ad Neronem. Age, habeant effigies majorum tuorum insignia non triumphorum tuorum, non spolia hos-

tium, sed præmia, ἄθλα cantus, et coronas ex apio! Mos autem Romanis erat ante pedes, seu ad basim imaginum majorum collocare insignia honorum suorum et triumphorum, cum ipsis titulis rerum a se gestarum.

227. *Ante pedes Domitî.*] Nero ex gente erat Domitia, et familia Aenobarborum nobilissima, quorum multi summos honores gesserant. — *Thyestæ.* Tragædiæ sub Thyestæ nomine auctor erat Varius, poëta insignis, qui Augusto imperante florebat. Eam maximi faciebant Romani, atque Græcorum optimis æquiparabant. *Jam*, inquit Quintil. Instit. orat. lib. X, 1, 98. *Varii Thyestes cui libet Græcorum comparari potest.* In hac autem tragædia personatus cantabat, vel saltabat Nero.

228. *Syrma.*] Græc. σύρμα, παρὰ τοῦ σύρειν, a trahendo, palla, vestis longa, quæ humum verrit, quæque tragædi utuntur. — *Antigonæ.* Oedipi et Jocastæ filia, notissima ex Sophoclis tragædia. — *Personam.* Larvam, faciem pictam, quæ Græc. πρόσωπον, προσωπίον vocatur. — *Menalippe*, vel potius *Melanippe*, Aeoli, vel Desmontis

V. 224. *Saltu.* Male vet. schol. reposnit *cantu*; et post eum editt. quidam: nam, cantus Neronis jam mentio facta est.



Et de marmoreo citharam suspende colosso.

Quid, Catilina, tuis natalibus, atque Cethegi 230

Inveniet quisquam sublimius? arma tamen vos

Nocturna, et flammis domibus, templisque parastis,

Ut Braccatorum pueri, Senonumque minores,

Ausi, quod liceat tunicâ punire molestâ.

filia. Vid. Hygin. fab. 186. De ea tragœdiam fecit Euripides, cujus id argumentum erat: Melanippe duos e Neptuno susceptos filios exposuit in stabulo patris, qui eos e vaccis natos existimans, ut triste portentum cremare deliberravit: sed, Melanippe cum vellet filios servare, philosophorum rationibus non esse monstrum ostendit, patrique infantes forsitan ex decepta virgine, potius naturali ordine, quam miraculo natos, sublatâ tamen omni a se suspitione, satis solerter persuasit.

229. *De marmoreo. . . colosso.*] Non de aëneo colosso Neronis CXX pedum a Zenodoto fabricato, et in vestibulo domus aureæ posito, unde nunc *il Coliseo*, *le Colisée*, hæc intelligenda sunt; sed, de colosso Augusti. Quæ conjectura firmatur his Sueton. verbis. Neron. caput 12: *citharam a iudicibus ad se delatam adoravit, ferrique ad Augusti statuam jussit.* Præterea colossus Neronis aëneus fuit, non marmoreus; et, modo, ad hæc præcedentia attenderis: *habebant effigies majorum insignia; et infra: ante pedes Domiti. . . pone, clarius luce videbis, nostrum poetam de Augusti statua, non de Neronis colosso locutum esse. A.*

230. *Quid, Catilina, etc.?*] Exem-

plis illustrat aptissimis, quod antea disputaverat. — *Catilina.* Avus ejus paterque ignoti, sed illustris proavus, ex Plin. lib. VII, 28, M. Sergius Silo L. Aemilii Pauli legatus in bello Persico, ann. V. C. DLXXXVI, et abavus M. Sergius Silo prætor, an. V. C. DLV. — *Cethegi.* C. Cornelius Cethegus, e gente Cornelia, et familia Lentulorum.

231. *Arma. . . nocturna.*] Cic. Catilin. I. *Descripsisti Urbis partes ad incendia. . . occupaturum te nocturno impetu confideres. . . Obliviscere cædis et incendiiorum.*

233. *Braccatorum pueri.*] Ut Galli, qui *Braccati* dicebantur interdum. *Braccæ* autem vestis genus Gallis proprium. Non autem omnis *Braccata* Gallia, sed tantum *Narbonensis*, hodie *le Dauphiné*, *le Languedoc* et *la Provence*. — *Senonumque minores.* Populi Galliæ *Lugdunensis*, qui, duce Brenno, Romam expugnaverunt, et incenderunt, quod satis notum est.

234. *Ausi.*] Estis ausi facinus, quod gravissimo dignum erat supplicio. — *Tunicâ. . . molestâ.* Vestis chartea, cannabe, stuppâ, pice cerâque illita, quâ induti olim, qui incendia moliti fuerant, ut Christiani, quos Nero Urbis incendii insimulaverat. Istâ igitur

Sed vigilat Consul, vexillaque vestra coerces. 235  
 Hic novus Arpinas, ignobilis, et modo Romæ  
 Municipalis eques galeatum ponit ubique  
 Præsidium attonitis, et in omni gente laborat.  
 Tantum igitur muros intra toga contulit illi  
 Nominis et tituli, quantum non Leucade, quantum 240  
 Thessaliæ campis Octavius abstulit udo  
 Cædibus assiduis gladio. Sed Roma parentem,

tunicâ induti, quam ideo dicit molestam, tædis ardentibus admotis, in usum nocturnæ facis vivi cremabantur. Vid. sat. I, v. 155.

235. *Sed vigilat Consul.*] Ipse Cicero in Catilin. de se ait: *jam intelliges, multo me vigilare acrius ad salutem, quàm te ad perniciem reipublicæ.*

236. *Hic novus.*] Novus ideo vocabatur Cicero, quia primus e sua gente magistratus curules gesserat. — *Arpinas.* Ortus ex Arpino Volscorum oppido. — *Ignobilis.* Non suis clarus atavis.

237. *Municipalis eques.*] Non Romæ eques erat, sed in municipio: nam, in municipiis et coloniis tres, sicuti Romæ, civium ordines erant, senatorius, equester, et plebeius.

238. *Attonitis.*] Civibus. — *Et in omni gente laborat.* Non tantum Romæ, sed extra Italiam, in coloniis et municipiis, ita dispositis ubique præsiidiis, ut cum Præneste nocturno impetu tentaret Catilina, jam hanc urbem con-

sulis armis occupatam invenerit.

239. *Muros intra.*] Romæ. — *Toga.* Scil. tempore pacis, et artibus pacis: nam, Catilinæ conjuratio fuit *tunultus*, non bellum; nec ipse quidem consul Cicero arma cepit, sed togatus sceleratissimos homines, qui Urbi incendium et cædem universam minabantur, coercuit et fregit feliciter; unde illi toga plus *nominis* et *tituli* attulit, id est, plus gloriæ et honoris, quàm Augusto Actiaca ipsa victoria.

240. *Leucade.*] Leucata, seu Leucate, seu potius Leucas, insula et urbs Epiri, quæ CCXL stad. distat tantum ab Actio promontorio, juxta quod Antonium et Cleopatram Octavius devicit: ad quam pugnam, hoc loco, respicit poëta.

241. *Thessaliæ campis.*] Ad Philippos urbem, ubi victi sunt ab Antonio et Octavio Brutus Cassiusque. Hic eloquenter opponuntur Cicero novus homo Octavio nobilissimo, urbs et murus campo et mari, toga et pax bello,

V. 238. *In omni gente.* Vet. schol. *in omni monte; et, ait idem, in montibus condita est Roma.*

Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.

Arpinas alius Volscorum in monte solebat

Poscere mercedes alieno lassus aratro ,

245

Nodosam post hæc frangebatur vertice vitem ,

Si lentus pigrâ muniret castra dolabrâ.

Hic tamen et Cimbros, et summa pericula rerum

assiduis cædibus et gladiis udis, ita tamen, ut Augusto potior esse videatur municipalis eques.

243. *Roma Patrem patriæ.*] Quod quidem gloriosissimum cognomen jam antea soli Camillo, Romæ e Gallis recuperatâ, concessum, sed a militibus: hic Ciceroni datur, et plebiscito, auctore M. Porcio Catone, et senatusconsulto, rogante Quinto Luctatio Catulo senatûs principe. Eumdem postea titulum Augusto cæterisque Imperatoribus adulatio, non Roma libera dedit. Iis tamen ipsis Augustorum temporibus, non defuerunt, qui Ciceroni honorificum illud cognomen præ cæteris adscripserunt: præter enim Juvenalem et alios, sic Plin. lib. VII, cap. 30. *Quo te, M. Tulli, piaculo taceam? ... Salve primus omnium patriæ parens appellate. Primus in toga triumphum, linguæque lauream merite!*

244. *Arpinas alius.*] Marius ex eodem oppido Volscorum, humili loco natus. — *Volscorum in monte, etc.* Primo fuit mercenarius arator agri alieni.

246. *Nodosam post hæc.*] Postea, gregarius miles. — *Nodosam frangebatur vertice vitem.* Centurionibus subjectus, qui milites vitibus castigare solebant, ut apud Germa-

nos hodie gregarii milites fuste, quem vocant *schlagen*, cædi solent. Tit. Liv. lib. LVII. *Scipio, inquit, quem militem extra ordinem deprehendit, si Romanus esset, vitibus cædebat; si extraneus, fuste.* Tacit. Ann. I. *Centurio Lucilius interficitur, cui militaribus facetiis vocabulum, cedo alteram, indiderant, quia, fractâ vite in tergo militis, alteram clara voce ac rursus aliam poscebat.*

247. *Muniret castra dolabrâ.*] Non quòd faber esset, ut quidam interpretantur; sed, quòd in castris muniendis quisque miles fabri vicem gereret, ideoque secum una quæque cohors et palos, et dolabras, aliaque instrumenta ad id opus necessaria semper haberet. Mos enim fuit Romanis constans, ut, in quocumque loco staret exercitus, vel unâ nocte, castra vallo et aggere munienda curarent duces. Præterea fabri erant, qui in legionibus, sine armis, stipendia faciebant, iique militibus in operibus conficiendis præerant, et opem ferebant. Vid. Lips lib. V, dial. 13.

248. *Cimbros.*] Cimbri borealis Germaniæ populi, in Chersoneso Cimbrica, ab ostio Albis, longe in Septentrionem procurrente, hodie *Jutlandia, Slesvicia et Holsa-*

Excipit, et solus trepidantem protegit Urbem.  
 Atque ideo, postquam ad Cimbros, stragemque volabant,  
 Qui nunquam attigerant majora cadavera, corvi, 251  
 Nobilis ornatur lauro collega secundâ.  
 Plebeïæ Deciorum animæ, plebeia fuerunt  
 Nomina : pro totis legionibus hi tamen, et pro  
 Omnibus auxiliis, atque omni pube Latina 255

tia, præcipue le Dannemarck et le Holstein.

249. *Excipit.*] Idem, ac si diceret, stetit adversus Cimbros, eosque devicit; et in periculo tanto, solus publicam rem nutantem sustinuit. — *Trepidantem protegit Urbem.* Sidon. Apoll. carm. II :

Ultum Arpinatem Calpurnia fœderalixam

Opposuit rabido respública territa Cimbros.

250. *Atque ideo.*] Is est ordo : atque ideo nobilis collega, scil. Q. Luctatius Catulus, collega Marii, ornatur lauro secundâ, id est, triumpho, postquam corvi, qui nunquam majora attigerant cadavera, ad prædam volabant; id est, post deletos Cimbros. Quanta autem fuerit Cimbrorum strages, non constat : Florus XL millia tantum; Euseb. CC millia; Livius CXL millia cecidisse affirmant. Cæsi autem ad internecionem fuerunt prope Vercellas, in campis Raudiis, a Q. Catulo proconsole, et C. Mario, jam quintum consule designato, an. V. C. DCLII.

251. *Majora cadavera.*] Propter proceritatem eximiam corporum, de qua Plut. in Mario. Et sic Flor.

lib. III, cap. 3. *Barbarorum rex ipse Theutobochus, quaternos senosque equos transilire solitus, vix unum cum fugeret ascendit, proximusque in saltu comprehensus, insigne spectaculum fuit, quippe vir proceritatis eximie super trophæa ipsa eminebat.*

252. *Lauro.... secundâ.*] Catulo etsi nobili secundus, non præcipuus in triumpho honos tribuitur, sed Mario primus, quod anno præcedenti jam Teutones et Ambronas ad Aquas Sextias duobus præliis delevisset, sicque tribus insignis esset victoriis, pro quibus uno tamen triumpho contentus fuit.

253. *Plebeïæ Deciorum animæ.*] P. Decius Mus uterque pater et filius Diis Manibus et Terræ, solemni ritu, se pro patria devoverunt; alter in bello Latino, alter in bello Gallico. Idem fecisse nepotem in bello Pyrrhi tradit Cicero. Tusc. Quæst. I, 37 et Fin. Bon. II, 19. Decii autem ex plebeia et nova erant gente.

254. *Pro totis legionibus.*] Romanis.

255. *Omnibus auxiliis.*] Militibus ex gentibus exteris conscrip-

V. 255. *Pube.* Codd. permulti habent *plebe*.

Sufficiunt Diis infernis, Terræque parenti :  
 Pluris enim Decii, quàm qui servantur ab illis.  
 Ancilla natus trabeam, et diadema Quirini,  
 Et fasces meruit, regum ultimus ille bonorum.  
 Proditâ laxabant portarum claustra tyrannis  
 Exulibus juvenes ipsius Consulis, et quos  
 Magnum aliquid dubia pro libertate deceret,  
 Quod miraretur cum Coclite Mucius, et quæ

260

tis, quibus Romani stipendium et victum dabant. — *Atque omni pube Latinâ.* Pro sociis, qui nihil præter frumentum accipiebant. Sic tribus militum ordinibus constabat exercitus. Legionibus in quibus Romani solum recipiebantur; sociis, Latinis, aut ex aliis Italiæ civitatibus; auxiliariis, ex diversis Italiæ finitimis populis, Gallis, Græcis, Hispanis stipendiariis, etc. A.

256. *Sufficiunt.*] Placandæ Deorum iræ.

257. *Pluris enim Decii.*] Quippe qui, non tam consulatibus atque honoribus, quàm virtutibus suis et meritis clari; ideo gratissima Divinitati infensæ piacula.

258. *Ancilla natus.*] Servius Tullius. — *Trabeam.* Togam albam latis clavis ornatam, et trabibus purpuræ intextis, habitum regum, deinde consulum, augurum et equitum in solemnibus pompis. — *Diadema.* Non corona aurea, quâ hodie reges utuntur, sed alba fascia, quâ caput reges olim redimire solebant. Quo insigni regio Romulus apud Romanos quoque usus est.

259. *Fasces.*] Duodecim lictores

cum fascibus. — *Regum ultimus.* Nam, post eum regnavit Tarquinius cognomine Superbus, qui sceleste regnum occupavit, et si non ignaviter omnino, tamen extra leges tenuit.

260. *Proditâ laxabant.*] Jam laudavit ignobiles, qui patriam vel virtute suâ, vel piâ devotione servaverunt: hic, in nobilissimos invehitur, qui patriam prodere, ac tyrannis portas aperire non dubitaverunt; dum ignoti homines, mulieres ipsæ ac servi in illa tuenda libertate opes et vitam contulerint, cum ipsos nobiles decuisset pro libertate magnum aliquid prodere, quod mirarentur ipsi Mucius Scævola, Horatius Cocles, et Clælia, quæ, etc.

261. *Juvenes ipsius consulis.*] Titus et Tiberius Bruti filii, cum Vitelliis et Aquiliis, aliisque nobilibus de introducendis noctu in Urbem regibus conspiraverunt; quod satis notum est.

262. *Dubiâ.*] Nondum bene assertâ, firmatâ.

263. *Cum Coclite.*] Horatius Cocles. Vid. Tit. Liv. II, 10 — 13. — *Mucius Scævola.* Ibid.

Imperii fines Tiberinum virgo natavit.

Occulta ad Patres produxit crimina servus 265

Matronis lugendus : at illos verbera justis

Afficiunt pœnis , et legum prima securis.

264. *Virgo natavit.*] Clœlia.—*Tiberinum* amnem natavit, vel, ut alii volunt, equo insidens trajecit. Vocat autem Tiberim imperii fines, quia, tunc temporis, agrum Romanum ab Etruria separabat.

265. *Servus.*] Vindicus, seu Vindex nomine (quod nomen forte post factum accepit), Aquiliorum servus conjurationem ad patres et senatum detulit. Præmium illi pecunia ex ærario, libertas, et civitas data.

266. *Matronis lugendus.*] Non minus dignus, qui a matronis lugeretur, post mortem, patriæ servator, quàm Brutus ipse, quem annuo luctu, ut parentem honoraverunt, quòd tam acer ultor pudicitiae violatæ fuisset. Sic fere vet. schol. non male. Hæc porro addit: « Servum autem Brutus, ut conservatorem patriæ manumiserit; et, ut delatorem dominorum suorum cruci affixit: quod factum matronæ planxerunt. » Id autem factum nullibi me legisse memini: at vetus scholiastes, imperio adhuc stante scribens, de isto anecdoto certior ac nos esse potuit. Quæ tanta ac vix credibilis injustitia, ne dicam feritas, si vera esset, quomodo in Bruto posset explicari, nescio. An mente omnino alienus fuit Brutus, qui servum de patria tam bene me-

ritum, adeo futili et scholasticâ distinctione morte plexerit? An iste Brutus, quem libertatis acerrimum defensorem nobis offerunt scriptores, ipse tyrannus, omnium callidissimus, et ejusdem, quâ nostri nuperi *δημαγωγοί* farinae, ut jam eum fuisse quidam suspicati sunt; eo sævior, quòd præclaro libertatis nomine ambitionem pravam prætenderet, tunc servum libertatis assertorem e medio, sub ficta delationis erga dominos causa, tollendo, filiorum necem, quos suæ solum ambitioni mactaverat, ulcisci, atque simul fortasse testem et conscium sui ipsius occulti consilii submovere voluit? an potius, salvâ Bruti memoriâ, servus ipse, qui primo justâ delatione patriam servaverat, post acceptam pecuniam et libertatem, quæstûs dulcedine allectus, se publicum delatorem gessit, et unâ improbum probumque, sine delectu, continuis criminationibus exagitavit; unde justum supplicium meritus est? . . . Sed jam satis incertum factum excussimus, quod etiam in mentem nostro non venit auctori: ad nostram igitur explicationem redeamus. A.

267. *Legum prima securis.*] Dam-natos morte virgis primum cædi, deinde securi feriri nemo nescit. Hic, *prima legum securis*,

Malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis  
 Aeacidæ similis, Vulcaniaque arma capessas,  
 Quàm te Thersitæ similem producat Achilles. 270  
 Et tamen, ut longe repetas, longeque revolvās  
 Nomen, ab infami gentem deducis asylo.  
 Majorum primus, quisquis fuit ille tuorum,  
 Aut pastor fuit, aut illud, quod dicere nolo.

quia tunc primum, secundum leges, in libera republica supplicium de sontibus sumptum fuit, cùm antea regum arbitrio jus omne contineri videretur.

268. *Thersites.* ] Græcorum fœdissimus, et animo et corpore iners æque ac procax. Achilli ausus est etiam conviciari, et ab eo ictu pugni interfectus fuit. Notus cæterum, ex Hom. Il. β, 212.

269. *Aeacidæ.* ] Achilli Aeaci nepoti, filio Pelei, unde et Pelides ille sæpe dicitur. — *Vulcaniaque arma.* Invicta, qualia rogatu Thetidis Achilli fabricavit Vulcanus. — *Capessas.* Achilli, qui iis usus est, sis similis.

271. *Et tamen, etc.* ] Etsi sæcula præterita revolvās, *nomen*, originemque tuam a primis Romæ incunabulis repetas; nihilominus deducis gentem *ab infami asylo*, id est, ab iis latronibus, fugitivis servis, aut obæratīs, quibus aperuit Romulus asyllum. Satirica autem admodum hæc est in Ro-

manos omnes invectio. Asylius Romuli vel tironibus notus est, ex Liv. I, 8. et ex Dionys. II, 15, qui tamen honestiorem Romanis originem dedit. Livii autem vel apud Romanos prævaluit opinio de humili et probrosa urbis Romæ origine, quâ solerter hic utitur Juvenalis, ad nobilium superbiam contundendam, ut Seneca ipse *Controvers. VI. Quemcumque volueris, revolve nobilem, ad humilitatem pervenies. Quid recenseo singulos, cùm hanc urbem tibi possum ostendere?*

272. *Asylo.* ] Templum seu lucus, seu quivis alius locus Diis sacer, quem violare nefas. Ab α privativo et σὺλάω, rapio.

274. *Aut pastor fuit.* ] Ut Romulus et Remus. — *Aut illud, quod dicere nolo.* Homo nefandus, ἀπειρεσις, maleficus, servus, obæratūs: his enim tribus asyla conveniunt. Hæc forte reticentiâ, satirice Romulum designat ipsum, lupæ filium (*un fils de p\*\**), suosque consocios meretricum filios.

---

## SATIRAE NONAE

### ARGUMENTUM.

TURPIA QUI TOLERANT, NONA CARPUNTUR INIQUI.

En lepidissima simul et obscœnissima inter Juvenalis satiras, quæ tota dramatica est; ea enim forma carminis argumento satis conveniens, salibus et facetiis immiscendis occasionem præbet. Nævolum quemdam, infamem draucum et pædiconem fingit poëta, in quem forte incurrit, quique interrogatus, cur ita tristi vultu et obducto sit, suam sortem dolet, quòd, cùm Virroni diviti avaro et pathico, in libidinibus secretis, operam minime dubiam præstiterit, nihilominus miser ac pauper remaneat, propter avaritiam patroni, qui dona et beneficia in draucum suum collata exprobrat, et, ut idem addit facete, *computat et cevet* (v. 40). Inde oritur fœdissimi hujus vitii, quem ne Gallico sermone quidem nominare fas est, nuda atque aperta satis adumbratio, simul et pædiconum cinædorumque infamiæ vividissima veluti picta tabella. In computatione autem officiorum a se pathico suo præstitorum, non omittit Nævulus, quòd ejus uxorem jam, propter impotentiam viri, nuptiarum tabulas frangentem precibus suis ac basiis retinuerit; quòd eam virginem adhuc defloraverit, quòdque, hâc arte, in ipsius Virronis domum filios heredes intulerit, eum ab infamia, quâ cælibes tunc temporis notarentur, liberaturus. Hæc, a versu 72 usque 90, tam jocose, etsi serio, proferuntur, ut vel maxime severo lectori risum movere possunt. Nævoli poëta simulate miseretur versu 90, et illi poscenti, ut credita a se retineat, dicit, a divitibus, qui plures servos habent, nihil, ne noctu quidem, clam perpetrari posse; at recte vivendum monet, cùm alias ob causas, tum præcipue, ut contemnere liceat mancipiorum linguam, quæ sit eorum pars pessima (102 — 122). Hoc consilium salutare quidem fatetur Nævulus, sed nunc rationibus



### 346 SATIRAE NONAE ARGUMENT.

suis minime conveniens, post consumptum ætatis robur, et spes deceptas (123—129). Poëta eum solatur, illi promittens, stante Româ, semper futuros esse Virrones, id est, molles ac cinædos. At Nævulus, hæc felicibus, non sibi speranda dicit, pro quo, si Fortuna rogatur, tanquam Ulysses alter, cerâ suas Diva obturat aures. Hujus autem satiræ stylus, cæterorum ejusdem auctoris operum stylo dispar, minime rhetoricam artem redolet, sed est acutus, facilis, levis et perjucundus: uno verbo, Horatii *musa pedestri* nequaquam indignus, neque absimilis. At tamen, eam satiram esse prorsus ab oculis juvenum removendam merito censuerunt critici; aut non sine maxima proferendam prudentia: tametsi id argumentum adeo fœdis coloribus adumbraverit, ut, hujus vitii formam horridam magis quàm illecebrosam reddiderit; atque ita, prudenter veneno antidotum miscuerit auctor.



# SATIRA IX.

CINAEDI ET PATHICI.

JUVENALIS.

SCIRE velim, quare toties mihi, Nævole, tristis  
Occurras, fronte obductâ, ceu Marsya victus.  
Quid tibi cum vultu, qualem deprensus habebat  
Ravola, dum Rhodopes udâ terit inguina barbâ?

1. *Nævole.*] Nævulus, Draucus, cujus meminit Martialis epigr. lib. I, 98, II, 49, III, 77, 95, et lib. IV, epigr. 84, sic :

Nunquam dicis ave, sed reddis, Nævole, semper,

Quod prior et corvus dicere sæpe solet.

Cur hoc exspectes a me, rogo, Nævole, dicas :

Nam, puto, nec melior, Nævole, nec prior es,

Quot mihi Cæsareo facti sunt munere cives,

Nec famulos totidem suspicor esse tibi.

Sed pædicaris : sed, pulchre, Nævole, ceves :

Jam jam tu prior es, Nævole, vincis ; ave.

2. *Fronte obductâ.*] Tenebris, nube tristitiæ. Ita hunc locum non facete minus, sed honestius imitatus est noster satiricus, sat. III, v. 1 et seqq.

Quel sujet inconnu vous trouble et vous altere ?

D'où vous vient aujourd'hui cet air sombre et severe,

Et ce visage enfin plus pâle qu'un ren- tier,

A l'aspect d'un arrêt qui retranche un quartier.

— *Marsya.* Scil. Marsyas satyrus, ab Apolline victus in agone musico, qui pellem ei detraxisse dicitur.

3. *Vultu.*] Mæsto. Vet. schol. « Quid tibi est? quid habes? quare fecisti vultum tibi tristem, qualem Ravola fecit, cum deprehenderetur lambens, etc? »

4. *Ravola.*] Idem schol. « A facto nominis etymologiam sumpsit poëta. » *Ravola* autem nomen fictum fellatoris, qualis *Bæticus* Martiali, lib. III, epigr. 81, *Eunus* Ausonio, *Gellius et Castor* Catullo. — *Rhodopes.* Nomen meretricis, forte ductum ab illa quæ, cum, Amasidis temporibus, Sami apud Iadmonem serviisset, a Xantho in Aegyptum abducta, et redempta a Charaxo Sapphûs fratre, tantum in meretricia arte quæstum ibi fecit, ut et pyramidem exstruendam curaverit, et donaria Delphos miserit. — *Terit.* Λείχει, lambit. *Terere*, verbum obscœnum, ut apud Petron. *perfusum os lacrymis vultu meo contero.* — *Udâ barbâ;* ut apud Catullum, LXXX, 8, *emulso labra notata sero.*

Nos colaphum incutimus lambenti crustula servo. 5

5. *Nos colaphum, etc.*] Hic versus, quia non bene præcedenti cohæret, inextricabilem fere sensum offert, quem duplici ratione interpretes explanare conati sunt. Alii, præeunte vet. schol. sic: « servo placentas lambenti colaphum impingimus; at ingenuo fellanti ignoscimus; adeoque non est, quod stupri causâ timeas. » Quàm dura sit, parum sincera, parumque antecedentibus atque sequentibus concordans eorum interpretatio, lector vel minime eruditus intelliget, modo, præcedentes versus et sequentes attenter relegat, et ad seriem sermonis attendat. Ea autem est duorum præcedentium versuum explicatio: *Quid tibi est, Nævole, cum isto vultu expallenti, qualem habebat Ravola deprensus, dum Rhodopes terit, lambit, inguina barbâ?* Quòd si Ravola deprensus, pallenti vultu pingitur, et reipsa pingi debet; quorsum tendunt ista: *servo placentas lambenti colaphum impingimus; at ingenuo fellanti ignoscimus?* Ille cui opinio ignoscit, qui in peccando securus est, peccat sine metu, et aliquando impudenter, nec habet unde expallescat. Deprehensus in coïtu etiam legitimo rubescat, esto: nam, non pallorem, sed ori nostro ruborem natura dedit, qui pudoris violati signum est; sed expallescat, cum nihil habet unde timeat, nego: attamen, iste Ravola cui, hoc loco, Nævulus comparatur, erat vultu non rubenti certe, sed demisso, agitato, pallenti, ut supra Marsya obducto,

et infra Pollio debitor rugoso: ergo, illi aliquid timendum erat, et certe, si cum Rhodope in flagitio fuisset deprehensus, vel a marito, vel ab aliis zelotypis, etc. Ergo, veteris schol. et aliorum explicatio non solum a mente poëtæ prorsus abhorret; sed et ipsa sensu vel communicare videtur. Ad alteram transeo. « Jocosè, inquit, et scoptice hæc, quasi diceret: « non immerito Ravola metu expalluit: nam nos, cum servum deprehendimus dulciaria lambentem, eum solemus colaphis percutere; sed Ravola debet timere majora etiam, cum deprehenditur Rhodopes inguina lingens. Hæc explicatio cum natura auctoris nostri satis congruit, qui acerrimis salibus uti consuevit; ut, ita fœdissimum et fœtidum illum locum cum crustulis, et dulciariis, et placentis scoptice conferat. » Hæc Lubini explicatio, etsi non sine difficultate superest (nam, ut ad hunc sensum perveniamus, multa sunt supplenda, quæ per ellipsim præteriit auctor), potior nobis visa est; et eam duobus præcedentibus versibus ita aptamus, ut, sic oratio fluat: *Quid tibi, cum vultu pallenti et anxio, qualem habebat Ravola deprensus dum terit Rhodopes inguina barbâ, dum eam fellat?* et certe ei timendum erat; nam, *nos colaphum incutimus lambenti crustula servo* (satis jocosa comparatio); quid igitur ei deprehenso a marito, vel ab alio zelotypo mœcho eveniet mitius, nisi ut fuste, aut fenestra plecta-

Non erat hâc facie miserabilior Crepereius  
 Pollio, qui triplicem usuram præstare paratus  
 Circuit, et fatuos non invenit. Unde repente  
 Tot rugæ? Certe modico contentus agebas  
 Vernam equitem, conviva joco mordente facetus, 10  
 Et salibus vehemens intra pomœria natis.  
 Omnia nunc contra: vultus gravis, horrida siccæ

tur? gallice: *pourquoi ce visage non moins pâle que celui de Ravola, lorsqu'on le surprit avec Rhodope dans l'attitude la plus obscène? mais, il avait raison de trembler. Un esclave s'avise de lécher les pâtisseries qui sont sur la table; nous lui donnons un soufflet: et Ravola, que pouvait-il attendre de plus doux, sinon une volée de coups de bâton ou un saut par la fenêtre.* Omnis autem hujus loci sal et facetia in ellipsi constat (nam, ut opinor, alludit ad sui ævi jocosam hujus generis historiam), et in comparatione crustularum cum inguinibus feminæ. Hic autem versus fortasse, ut quidam censuerunt critici, interpolatus est, vel post eum, alter, incuriâ librariorum, excidit; unde, salvo sensu, totus ejiciendus videtur. —*Crustula.* Servius hanc differentiam admittit inter crustam et crustum, ut crusta sit eorum quæ non comeduntur, sicuti crusta marmoris. Crustum vero eorum quæ comeduntur. Horatius, per diminutionem crustula vocat dulciarii, seu placentæ genus, quod pueris dabatur:

.... Ut pueris olim dant crustula blandi  
 Doctores. . . . A.

6. *Crepercius Pollio.*] Quis fuerit,

non satis constat. Hunc luxuriosum nepotem, et ære alieno obrutum fuisse verborum nos textus docet.

7. *Præstare.*] Pendere, solvere.

8. *Fatuos.*] Qui sibi non soluturo pecuniam ipsorum, vel ad triplicem usuram locent.

9. *Tot rugæ.*] Hæ rugæ tam ad tristitiam referri possunt, quàm ad senectutem, quæ, cum impura est vita, ocius obrepit.

10. *Vernam equitem.*] Certe, inquit, modico, id est, modicis opibus contentus vitam jucunde agebas; ita ut, vernas equites hilaritate vitæ referres. Vernæ autem in potentiorum domibus nati et educati, cum a dominis mitius tractarentur, ita miræ dicacitatis et facetiarum pleni erant; unde *vernale dictum, verniles blanditiæ, verniliter, etc.* Verna eques proprie filius equitis e serva natus, ut ap. Mart. I, 85:

Uxorem habendam non putat Quirinalis,  
 Cum vult habere filios, et invenit,  
 Quo possit istud more. Futuit ancillas,  
 Domumque et agros implet equitibus  
 vernis.

11. *Intra pomœria natis.*] Pro salibus urbanis: nam pomœria

Silva comæ, nullus totâ nitor in cute, qualem  
 Præstabat calidi circumlita fascia visci :  
 Sed fruticante pilo neglecta, et squalida crura. 15  
 Quid macies ægri veteris, quem tempore longo  
 Torret quarta dies, olimque domestica febris?  
 Deprendas animi tormenta latentis in ægro  
 Corpore, deprendas et gaudia : sumit utrumque  
 Inde habitum facies. Igitur flexisse videris 20  
 Propositum, et vitæ contrarius ire priori.  
 Nuper enim, ut repeto, fanum Isidis, et Ganymedem,

quasi post mœnia; spatium vacuum intra muros et extra, quod auguribus et haruspibus reservatum, neque arare, neque habitare fas erat. Idem illud recentiores vocant *boulevard*. Sic locus intra pomœria est urbs ipsa.

13. *Silva*.] Comarum. Nos quoque dicimus, *une forêt de cheveux*. — *Comæ sicca*. Coma sicca, pro neglecta, horrida, incompta: opponitur *comæ comptæ*, madidæ, unguentis delibutæ.

14. *Præstabat calidi, etc.*] Homines molliores, ut cutem levigarent, pilos sibi evellere, vel psilothro et dropace tollere, vel etiam calida pice urere solebant. Quidam legunt, *Bruttia præstabat calidi tibi fascia visci*, et intelli-

gunt Bruttiam picem, quæ laudatur Plin. XV, 11, et passim medicis Græcis: unde hic, *Bruttia fascia visci calidi*, pro fascia repleta Bruttia pice, quam cuti applicabant ad pilos adurendos.

15. *Fruticante*.] Horrido.

17. *Quarta dies*.] Febris quartana. — *Olim domestica*. Jam diu familiaris et solita.

18. *Deprendas animi tormenta*.] Plin. XI, 37. *Frons homini lætitiæ et hilaritatis, severitatis et tristiæ index*; Achill. Tatius Amor. Clitoph. lib. VI. ὁ γὰρ νεῦς οὐ μὲν δοκεῖ λελέχθαι καλῶς εἶναι ἀράτος τὸ παρὰ πᾶν φαίνεται γὰρ ἀκριβῶς, ὡς ἐν κατόπτρῳ, τῷ προσώπῳ.

22. *Ut repeto*.] Quantum meminimus. — *Fanum Isidis*. Ordo est:

V. 14. *Præstabat calidi, etc.* Hunc versum revocavi ex omnibus codd. nostris. Vetus schol. solus legit:

Bruscia præstabat calidi tibi fascia visci.

Et Salmasius emendat *Bruttia*. Præterea, in cod. Puteano, male post v. 11 legitur, *Bruttia præstabat calida tibi fascea visci*; et post v. 14 repetitur, *Præstabat calidi circumlita fascia visci*. Unde illa varietas? nescio. Nam, utraque lectio eundem sensum offert, præterquam quòd, in vet. schol. picis genus designatur; in aliis vero generatim exhibetur.

Pacis, et advectæ secreta palatia Matris,  
 Et Cererem (nam quo non prostat femina templo?)  
 Notior Aufidio mœchus celebrare solebas, 25  
 Quod taceo, atque ipsos etiam inclinare maritos.

## NÆVOLUS.

Utile et hoc multis vitæ genus: at mihi nullum  
 Inde operæ pretium. Pingues aliquando lacernas,  
 Munimenta togæ, duri, crassique coloris,

quantum memini, tu, mœchus noti or Aufidio celebrare solebas, fanum Isidis, etc. — *Ganymedem.* Statuam, effigiem Ganymedis in templo Jovis positam, ut nos docet Lactant. de Falsa Rel. I. *Imago, inquit, catamiti et effigies aquilæ, cur ante pedes Jovis ponuntur in templis, et cum ipso pariter adorantur, nisi ut nefandi sceleris ac stupri memoria maneat in æternum?* Per Ganymedem igitur intellige templum ipsum Jovis, in quo hujus catamiti effigies.

23. *Pacis.* ] Subaudi *fanum.* Fanum Pacis, juxta forum, a Vespasiano exstructum. — *Et advectæ.... Matris.* Templum Cybeles, Magnæ Matris e Pessinunte Romanam advectæ. — *Secreta palatia.* In quibus sacra arcana, et mysteria fiunt.

24. *Et Cererem.* ] Cereris templum in octava Urbis regione,

juxta Circum maximum. — *Quo non prostat.* Sic Tertull. Apologet. cap. XV: *Cæterum, si adjiciam quæ non minus conscientie omnium recognoscent, in templis adulteria componi, inter aras lenocinia tractari, in ipsis plerunque ædituorum et sacerdotum tabernaculis, sub iisdem vittis et apicibus, et purpuris, thure flagrante, libidinem expungi.*

25. *Notior Aufidio.* ] Aufidius iste, de quo locutus est Mart. V, epig. 63. — *Celebrare.* Frequenter invisere, mœchandi causâ.

26. *Inclinare.* ] Ad stuprum incurvare, verbum obscœnum, ut ap. Mart. XI, 44, 5, et *παῖδα κινεῖν*, ap. Aristoph. in Ranis.

28. *Pingues.... lacernas.* ] Lacerna munimentum togæ, quia togam a pluvia quasi munit. Nam, ea togæ injicitur pluvie vel frigoris arcendi causâ. — *Pingues,*

V. 25. *Celebrare.* Ita omnes nostri codd. Unus ex Rupertianis, *Scelerare.* At *celebrare* prætulimus. Est enim, ut ait idem Al. Rup., et satirico poëtæ, et amico congruentius.

V. 26. *Quod taceo, atque ipsos.* Sic codd. plerique et optimi tum ab Al. Rup. tum a nobis collati. Alii, sed paucissimi: *quodque taces, ipsos.* Non male quoque; sed nostra lectio satirica magis, ut quæ *παράλειψιν* contineat, seu reticentiam majoris argumenti.

Et male percussas textoris pectine Galli 30  
 Accipimus, tenue argentum venæque secundæ.  
 Fata regunt homines : fatum est et partibus illis  
 Quas sinus abscondit. Nam, si tibi sidera cessant,  
 Nil faciet longi mensura incognita nervi,  
 Quamvis te nudum spumanti Virro labello 35

crassas, ut mox, *duri crassique coloris.*

30. *Percussas.*] Percutere, ferire, verba textoria. Græc. κρούειν, σπαθῆν, κερκίζειν. — *Pectine.* Hoc instrumento calcatur, percutitur et densatur stamen. — *Textoris Galli.* In Gallia vestes crassioris lanæ confici solebant.

31. *Tenue argentum.*] Vas argenteum leve. — *Venæque secundæ.* Non purum, cui multum æris admixtum est.

32. *Fata regunt homines.*] Quæ jam de vi fatorum supra VII, 194 — 201 dicta sunt, hîc, facete, ad obscænas res transferuntur, et ex ore cinædi fluunt, qui, ut ait Farn. etiam ζωκίζει. Hæc, a versu 32 — 37, a Juvenale ipso Nævolum lepide consolante dici putat Alex. Ruperti; sed perperam: nam illa vulgi opinio, quæ erat quoque stoicorum, de vi et potentia fatorum ac siderum, etsi per se ridicula, tamen in ore Nævoli de sua sorte querentis optima est, et venit ad rem. Nemo enim magis philosophus, quàm qui miser et ærumnosus: at, in ore Juvenalis intempestive sermonem amici abrumpentis, atque intempestive magis philosophiæ locum communem fuse agitantis, idque, antequam de

causa mœroris Nævoli certior factus sit, non lepida, verum insulsa mihi videtur. Adde, quòd versu 35, Virro nominatim designetur; cùm contra, sui amici conditionem poëtam ex quæstionibus suis ignorasse appareat. Ad cæterorum igitur sententiam recurrat, et hæc eidem Nævolo tribuat lector, multo satius est. A.

33. *Quas sinus abscondit.*] Cæci fati vis est, etiam in virilibus. — *Sinus.* Pars anterior togæ, quæ non solum pectus, sed etiam pendenda tegit. — *Si... sidera cessant.* Non favent, aversa sunt.

34. *Mensura incognita.*] Insolita, nec ulli ante visa. — *Longi nervi.* Membri virilis.

35. *Virro.*] Homo non solum nobilis et dives, ut sup. sat. V, v. 39 et seqq. sed etiam cinædus, de quo Catull. Epig. 80, sic:

Nescio quid certe est, an vere fama susurrat,

Grandia te medii tenta vorare viri.  
 Sic certe est, clamant Virronis rupta miselli

Ilia . . . . .

— *Te nudum.* Ac bene mentulatum viderit in balneis. Sic, Helio-gabalus, per emissarios, ubique bene mentulatos perquirebat. — *Spumanti... labello.* Prælibidinis impatientia et furore, nam, in sum-

Viderit, et blandæ, assidue, densæque tabellæ

Sollicitent: ΑΥΤΟΣ ΓΑΡ ΕΦΕΛΚΕΤΑΙ ΑΝΑΡΑ ΚΙΝΑΙΔΟΣ.

Quod tamen ulterius monstrum, quàm mollis avarus?

Hæc tribui, deinde illa dedi, mox plura tulisti.

Computat, ac cevet. Ponatur calculus, adsint 40

mo desiderio, labra spumant salivâ : unde Gall. istud proverb. *L'eau lui vient à la bouche.*

36. *Blandæ... densæque tabellæ.*] Litteræ amatorïæ, quibus te assidue et blandis promissis, ad stuprum sollicitat.

37. ΑΥΤΟΣ ΓΑΡ, κ. τ. λ. ] Id est, ipse enim cinædus, tanquam magnes, ad se virum trahit, scil. seu promissis, seu blandis litteris. Faceta autem hæc est parodia verborum Homeri Odyss. π. v. 294. Αὐτὸς γὰρ ἐφέλκεται ἄνδρα σίδηρος. Rigaltius hæc comparat veteri illi epigr. Meleagri forte. Vid. Brunckii *Analect. epig.* 30. Μάγνης Ἡράκλειτος ἐμοὶ πόθος· οὐτι σίδηρον

Πέτρῳ, πνεῦμα δ' ἐμὸν κάλλει ἐφέλκεται.

38. *Uterius.*] Pejus. Ultima enim dicuntur maxima, extrema, ultra quæ progredi non licet: sic, ultima vitia, ultima pœna, etc. — *Mollis.* Cinædus, Pathicus.

39. *Hæc tribui.*] Inquit Virro, vel cinædus avarus mihi clienti.

40. *Computat, ac cevet.*] Quæ dedit mihi, atque *cevet*, et nihilominus libidini suæ indulget. — *Cevere.* Propr. agitare clunes more canum. Vid. sat. II, v. 21. — *Ponatur calculus.* Non, ut quidam volunt, verba Nævoli indignantis munera quæque exprobrari et numerari; sed, ipsius cinædi Virronis avari, qui, ut modo dixit

V. 37. ΑΥΤΟΣ ΓΑΡ, κ. τ. λ. In Codd. plerisque hæc verba vel absunt, vel corrumpuntur. In quibusdam Codd. Latinis characteribus exarantur. XI ex nostris habent: ΗΘΟΥΣ ΓΑΡ ΓΑΥΚΕΟΣ ΑΝΑΡΑ ΚΙΝΑΙΔΟΝ; et, ita explicantur ea verba: *hominem enim cinædum blandi dulcisque moris*; subauditur, εἶναι πρέπει, decet, convenit esse. Nec mira est ista varietas. Ante enim Constantinopolim captam, et Orientalis Imperii Romani a Turcis excidium, pauci ex occidentalibus Europæ regionibus græcam linguam callebant; quam præterea spernebant: unde hæc in codd. Gallis, Italis, Germanis, etc. absunt, vel vitiose scribuntur; ideoque vet. schol. lectionem recte prætulerunt interpp. cujus codex Budæ inventus, in Græcia visus est exaratus: quæ præterea lectio sensum magis satiricum offert. Vide sup. comment.

V. 40. *Computat ac cevet.* Codd. omnes nostri, vet. schol. et Puteano exceptis, habent, *computat, atque cavet*, quod sensum satiricum minus offert, sed honestiorem. *Computat, atque cavet*, scil. ne in computatione decipiatur, et ne plus æquo in suum draucum conferat.



Cum tabula pueri : numerata . . . sestertia quinque

Omnibus in rebus : numerentur deinde labores.

An facile et pronum est agere intra viscera penem

Legitimum , atque illic hesternæ occurrere cœnæ ?

Servus erit minus ille miser , qui foderit agrum , 45

Nævolus, *computat et cevet*. Ergo, idem jubet, ut *calculus ponatur, etc.* Præterea, si ad vers. præcedent. attenderis, seriem intelliges, quæ est ista : *hæc tribui*, inquit mollis avarus misero clienti, *deinde illa dedi*, mox *plura tulisti*. Sermone abruptit Nævolus hæc notatione, *computat ac cevet*. Ponatur *calculus*, pergit Virro, summam summæ subscribamus, addamus, *adsint pueri cum tabula* : summa tota, quinque sestertiū millia. Videamus, num tui id valeant labores : cui iratus respondet Nævolus, *an facile est*, etc. Hæc omnia Gall. sermone. *Je t'ai dit-il, donné tant la première fois, tant la seconde, encore plus la troisième.* — *Mon vilain calcule et poursuit son projet.* — *Ça voyons, récapitulons. Esclaves, une table. . . Total, 5000 sesterces (environ 980 livres). Voyons actuellement ce que tu as fait ? — Crois-tu (inquit Nævolus indignans), crois-tu qu'il soit si simple et si facile de, etc. . . .* Sic vividius

et satirice magis fluit dialogus. — *Calculi* erant lapilli, qui in computationibus adhibebantur. A.

41. *Tabula*.] Calculatoria.

42. *Omnibus in rebus*.] Jam tibi dedi quinque sestertiū millia. — *Numerentur*. Aestimantur. — *Labores*. Ut supra, v. 28, *opera*, de officio in re turpi.

44. *Legitimum*.] Justæ magnitudinis. — *Atque illic hesternæ occurrere cœnæ*. Unde illud :

Smerdaleos certe nisi res non munda vocatur,

Et pædiconum mentula smerdalea est.

45. *Foderit*.] Fodere in sensu obscæno dicitur ut arare. Hinc ille Martialis jocus, epig. ult. lib. VII :

Milo domi non est; peregre Milonem profecto,

Arva vacant, uxor non minus inde parit.

Cum sit ager sterilis, cur uxor lactitet, edam :

Quo fodiatur, ager non habet, uxor habet.

V. 43, 44. Quibusdam, Vallæ imprimis, visum est hos duo versus non esse Juvenalis, sed impuri cujusdam nebulonis. At, præterquamquod, apud omnes libros leguntur; eos etsi impurissimos, sermonis ordini ac seriei necessarios esse cuilibet lectori videbitur. Quomodo enim, iis demptis, jungerentur illa : *numerentur deinde labores*, cum his, *servus erit minus miser*, etc. qui versus æque impurus, propter verecundiam, recidendus foret? unde recolligo, eos esse ad rem aptissimos, ideoque servandos atque explicandos. De horum obscænitæte, vid. argument. satiræ.

Quàm dominum. Sed tu sane tener, et puerum te,  
 Et pulchrum, et dignum cyatho, cœloque putabas.  
 Vos humili asseclæ, vos indulgebitis unquam  
 Cultori, jam nec morbo donare parati?  
 En, cui tu viridem umbellam, cui succina mittas 50  
 Grandia, natalis quoties redit, aut madidum ver  
 Incipit, et stratâ positus, longâque cathedrâ

46. *Sed tu sane.*] Qui deformis, hirsutus es, te tenerum adolescentulum putabas; atque ideo, me pulchritudine tuâ inductum gratis et libenter operam daturum esse. Hæc sarcastice dici optime sentit lector.

47. *Dignum cyatho cœloque.*] Ut alterum Ganymedem, qui in cœlum raptus, Jovi pocula ministrans.

48. *Vos humili asseclæ.*] Apostrophe ad divites avaros et vitiosos: quid pauperibus aliis clientibus dabitur; cum ne morbo quidem vestro, scil. vitio, vel ministris secretis vestræ libidinis aliquid indulgere non sustineatis? Hæc, etsi aliter Al. Rup. placeat, a Nævolo quoque dicuntur. Vid. ad v. 32. — *Humili asseclæ.* Clienti pauperi. A.

49. *Morbo.*] Sic vocat pravum illum habitum venereum, ut jam sat. II:

. . . . . morbo pallet utroque.

50. *En, cui tu viridem.*] Amara irrisio, quâ hirsutum Virronem exagitat. En formosum illum et delicatum Ganymedem, cui tanquam amicæ munera mittas, scil. umbellam viridem, ne sole obfus-

cetur, vel aliud muliebre ornamentum. — *Umbellam* seu umbraculum, Græc. σκιᾶδιον, un parasol, velum, quod umbram facit super caput suspensum. — *Succina.* Armillas e succino gemmisque distinctas. Vid. sat. VI, v. 573.

51. *Natalis quoties.*] Dies natalis Virronis: quo die munera ab amicis mitti solebant. — *Aut madidum ver incipit.* Hic Juvenalis intelligit Kalendas Mart. Kalendæ autem Martiæ feminis erant, quæ Saturnalia viris; easque celebrabant in memoriam belli cum Sabinis earum interventu compositi. Domi igitur manebant comptæ, pulchrioribus ornamentis ornatae, in cathedris positæ, atque sic amicos, eorumque munera recipiebant; et, ut ait Macrobr. lib. I, cap. 12, *servis cœnas apponebant matronæ, ut domini Saturnalibus*; et Suet. de Vespasiano, vit. ejusd. *sicut saturnalibus dabat viris apophoreta, ita et Kalendis Martiis feminis.* Satirica igitur est illa Nævoli exclamatio, qui Virroni objicit munera tanquam feminæ, et eodem tempore allata.

52. *Cathedrâ.*] Positus tanquam

V 46. *Tener.* Ita pars maxima codd. nostrorum. Quidam habent *tenerum.* Sed parvi interest.

Munera femineis tractat secreta Kalendis.

Dic, passer, cui tot montes, cui prædia servas

Appula, tot milvos intra tua pascua lassos?

55

Te Trifolinus ager fecundis vitibus implet,

Suspectumque jugum Cumis, et Gaurus inanis.

femina. Nam feminis propria erat cathedra.

53. *Munera femineis.*] Vid. sup. 51.—*Tractat.* Quoties Virro in cathedra positus manibus pertractat munera ut muliercula. — *Secreta.* Secreto missa, adeo impura est eorum causa. — *Kalendis.* Kalendæ a Καλῶ, voco; quòd antiquo ritu, eâ die quâ novæ lunæ aspectus primum erat observatus, peracto sacrificio, pontifex, *Kalatâ*, id est, vocatâ in Capitolium plebe, quot dies a Kalendis ad Nonas superessent pronuntiabat, etc. Itaque Kalendas primum vocari placuit ex illis diebus, qui *Kalarentur*. Deinde Kalendæ ad primum mensis diem fixæ sunt. Vid. Macrob. lib. Saturn. cap. 12 et 15.

54. *Dic, passer.*] In Virronem aliosque cinædos ei similes Nævulus aperte debacchatur. — *Passer.* Dicitur homo mollis et lascivus: nam passeret in Venerem proni et salaces; unde eorum esus ad libidinem excitare, ac proinde Veneris currus ab iis trahi credebatur; unde quoque Pompon. ap.

Non. 2, n. 335, *oscula passerina, prandium passerinum* dicit. — *Montes.* Cui, in gratiam cujus servas tot montes, scil. vineis consitos.

55. *Appula.*] Prædia sic vocat; optima quippe Appulia, et regio Italiæ feracissima. Vid. Hor. III, 16, 26. — *Tot milvos intra tua pascua lassos.* Agros tam longe lateque patentes, ut illos oberrando ac transvolando milvi fatigentur.

56. *Trifolinus ager.*] In Campania, quæ vina ferebat *trifolina* laudata Martiali, XIII, 113. Plin. XIV, 6, hoc est, quæ tertio foliorum exortu, nempe tertio anno, ad bibendum tempestiva erant; hodie, *vins de trois feuilles*.

57. *Suspectumque jugum.*] Misenum prom. Cumis imminens, et ruituro simile. — *Gaurus.* Mons Campaniæ, hodie *il Monte Barbaro*, inter Puteolos et Lucrinum Avernumque lacum. — *Inanis*, non, ut quidam volunt, « arboribus vitibusque tantum consitus: » nam ejusmodi mons non est inanis sed cavernosus, vaporiferos specus habens: forte, quia olim

V. 53. *Tractat.* Omnes fere codd. habent *tractas*, quæ lectio inepta est, et certe mendosa. Britan. et Grangæi emendationem accipere necesse est. Præterea, nostra lectio est vetustissimi codicis Puteani.

V. 54. *Cui prædia.* Quibusdam codd. et edd. priscis, *cui tot montes, cui prædia servas*, etc. Alii omnes: *cui tot montes, tot prædia servas*. Δt. inter utramque lectionem, nullum fere est discrimen.

Nam quis plura linit victuro dolia musto ?

Quantum erat exhausti lumbos donare clientis

Jugerbis paucis ? meliusne hic rusticus infans 60

ignifluus mons fuerat, *un volcan*, tunc temporis extinctus.

58. *Linit... dolia.*] Eorum corticem pice, vel cera, vel gypso oblinat. De conservatione vinorum, vid. sat. V, v. 30. — *Victuro... musto.* Vino multos per annos duraturo.

59. *Quantum erat.*] Quanti tibi constitisset, si mihi, clienti tuo exhausto in tua libidine explenda, dedisses pauca jugera, prædium, etc? — *Lumbos.* In lumbis vis major venerea. Vid. sat. VI, v. 314.

60. *Meliusne hic, etc.*] Num rusticus ille infans *legatus*, ex testamento relictus *cum matre*, etc. *melius fiet* portio hereditaria, vel proprietas (subauditur) *amici tui cymbala pulsantis*, quàm mei, qui, etc. Quia, *legatus*, non *legatum* legitur ap. omnes fere codd. et edd. antiquas; nescio quot ineptas interpretationes pepererit illud verbum *legatus*. Alii: « *næ*, profecto, « *hic*, Romæ, *melius*, cum majori « emolumento *legatus fiet*, id est, « internuntius, et quasi leno *amici tui cymbala pulsantis*, sacerdotis « Cybeles, atque majus ita lumbis « crum faciet hic rusticus infans « pauperrimus, qui nihil habet, « præter casulam, matrem et cattellum, quàm ego qui, etc. » Grangæus aliter: « Certe melioris « conditionis est comes idemque « draucus Galli *cymbala pulsantis*, « quem, per provincias errantem,

« stipem mendicandi gratiâ, ducit « unâ cum matre, etc. quàm ego « qui tecum soleo, etc. » Omitamus aliorum nugas, et ad explicationem nostram redeamus, quæ, quamvis *legatus*, non *legatum* legamus, nihilominus convenit: nam si *legatum* significat negotium quodlibet ex testamento datum, vicissim acceptum, et proprium factum, atque ideo potest generandi casum ad se trahere (optime enim dicitur *legatum amici*); sic, quoniam hoc loco non de negotio in neutro genere, sed de infante in masculino agitur, vox *legatus* (*légué*), proprius factus, eamdem vim retinebit, et ad se generandi casum trahere valebit: et, quemadmodum dicimus, argentum, aurumve fiet *legatum* alicujus, nihil impedit, quin sic intelligamus: rusticus infans fiet servus *legatus amici tui*. Quando dicimus *legatus populi Romani*, *legatus Scipionis Africani*, idem est, ac si dicamus, rem gerens populi Romani, lege datus, electus; vicem gerens lege datus Scipioni Africano: et, quando, servus *legatus* alicujus; hoc significat servus lege vel testamento factus servus, vel proprietas alicujus. Ex hac, quæ forte subtilior tibi videtur controversia; oritur tamen et sincera et simplex hujus loci interpretandi ratio, quæ sic se habet: *an hic rusticus infans legatus, ex testa-*

Cum matre, et casulis, et conlusore catello  
 Cymbala pulsantis legatus fiet amici?  
 Improbus es, cum poscis, ais: sed pensio clamat,  
 Posce: sed appellat puer unicus, ut Polyphemi

mento datus, relictus, melius fiet hereditaria portio, proprietatis amici tui, quam mei, qui, etc.? — *Rusticus infans*. Verna scilicet. A.

61. *Casulis*.] Domunculis vilibus rusticanis in prædio.

62. *Cymbala pulsantis*.] Pathici Gallis similis: nam molles et catamiti optime cum Gallis sacerdotibus comparantur, qui et eunuchi erant, et eodem morbo tenebantur.

63. *Improbus es*.] Impudens es, impudenter poscis.—*Sed, etc.* Responsio Nævoli. — *Pensio clamat*. Hoc est, tempus solvendæ pensionis, le loyer, cænaculi, me monet, ut a te poscam. Similis locus apud Plaut. *Trucul.* act. V, scen. 1.

Puero opus 'st cibum, opus est matri autem, quæ puerum lavit,

Opus nutrici autem utrem ut habeat veteris vini largiter,

Ut dies noctesque potet: opus 'st igne, opus est carbonibus,

Fasciis opus est, pulvinis, cunis, incunabulis,

Oleum opus est, farina puero opus est, opus 'st totum diem.

Nunquam hoc uno die efficiatur opus, quin opus semper siet.

64. *Sed appellat puer unicus, etc.*] Hic locus mire interpretes excru-

ciavit: et, reipsa, non expeditu facilis est. Nam videtur Nævulus comparare servum, quem habet unicum, Polyphemi oculo, quem quoque habebat unicum, per quem, propter quem, id est, quia unus fuit, Ulysses evasit: nam, si duos oculos Polyphemus habuisset, Ulysses uno ictu non potuisset eum excæcare; atque ideo evadere. Inde exoritur hic sensus: at puer, servus, qui mihi unicus est, ut Polyphemo unus fuit oculus, per quem, id est, propter quem effossum evasit Ulysses, appellat, etc. quam insulsam et ineptam comparationem sic velat Lubinus, dicens poëtam de industria Nævolo bipedi asello, et stolido nebuloni ineptissimum sermonem tribuisse, ut stoliditas et stupor cum insigni turpitudine conjuncti in eo exprimerentur. Rigaltius vero in dissertat. de sat. Juven. suspicabatur poëtam hyperboles Virgilianæ, Aeneid. III, 636 et 637, Ingens (lumen) quod torvâ solum sub fronte latebat Argolici clypei aut phœbeæ lampadis instar,

offensum, hujus mendacii poëtici rhetorico mendacio repercu-

V. 62. *Legatus*. Ita omnes nostri codd. et Al. Rup. Attamen, inter nostros, cod. Puteanus, codex Pithoei alter, n° 8072, cum vet. schol. consentiunt, et legunt, *legatum*. Vid. sup. comment.

V. 63. *Ais*. Ex Alexandrino, Mazarin. I, 3110, Fauchetii, 8070

Lata acies , per quam solers evasit Ulysses. 65  
 Alter emendus erit ; namque hic non sufficit : ambo  
 Pascendi. Quid agam brumâ spirante ? Quid , oro ,  
 Quid dicam scapulis servorum mense Decembri ,  
 Et pedibus ? Durate , atque exspectate cicadas ?  
 Verum , ut dissimules , ut mittas cætera , quanto 70

tiendi causâ dixisse , adeo latam fuisse oculi Polyphemi aciem , ut , *per eam* Ulysses evaserit : quæ quidem conjectura ingeniosa est , sed non comparationis ineptias adimit. At Grangæus , quem *Dusaulx* secutus est in sua interpret. Gallica , contra : « tam alte me  
 • appellat , quàm alte vociferaba-  
 • tur Polyphemus , postquam so-  
 • lers evasit Ulysses. Polyphemi  
 • igitur lata acies , hoc est , Poly-  
 • phemus ipse qui , ait Virg. III :  
 Clamorem immensum tollit , quo Pon-  
 tus et omnes

Tremuere undæ. . . . . »

At Virgilius non dicit oculum cyclopi tulisse clamorem horrendum ; nec apparet poetam *latam aciem* pro Polyphemo ipso dicere voluisse : nam addit *per quam* , vel propter quam : quæ verba Grangæus gratuito , et sine auctoritate in *postquam* mutat , quod nullibi reperitur. Præterea etiam , si *postquam* pro *per quam* admitteris , nihilominus inepta erit comparatio et hyperbolica. Ego vero , si tertiam proponerem interpret. ea non melior forte foret :

nam , is locus optimæ notæ non mihi videtur. Itaque ad priorem sensum redeo , adoptata tamen Lubini observatione. Malo enim servare textum auctoris , vel cum errore evidente , quàm hunc immutare sine auctoritate , ut sensum non aptiorem eliciam. A.

N. B. Juvenalis innuit Nævoli servo suo , quem habet unicum , esse vestem foraminibus adeo latis distinctam , ut per eam homo possit evadere , veluti per oculum Cyclopi , quem habebat quoque unicum , potuisset Ulysses evadere. Gall. *Mon unique esclave qui est si mal vêtu , qu'un homme pourrait passer à travers les trous de son habit , comme Ulysse , etc.* Cæterum , hæc comparatio , quæ nobis adeo ridicula videtur , fuit forte locutio proverbialis his temporibus usitata. F. D.

68. *Quid dicam scapulis servorum.*] Facete , pro servis , cum vestes petent , et calceamenta quibus humeri ac pedes tegantur.

69. *Cicadas.*] Aestivum tempus.

70. *Verum , ut dissimules.*] Etiam si

Pithoei , 8072 , Senatorio 8073 , et tribus aliis codicibus , reposui *ais* , pro *ait* , quod legitur apud multos codices.

V. 68. *Mense Decembri.* Cod. Puteanus et vet. schol. habent *Aquilone Decembri* , melius forte.

Metiris pretio, quòd, ni tibi deditus essem  
 Devotusque cliens, uxor tua virgo maneret?  
 Scis certe, quibus ista modis, quàm sæpe rogaris,  
 Et quæ pollicitus. Fugientem sæpe puellam  
 Amplexu rapui: tabulas quoque ruperat, et jam 75  
 Signabat: totà vix hoc ego nocte redemi,  
 Te plorante foris. Testis mihi lectulus, et tu,  
 Ad quem pervenit lecti sonus, et dominæ vox.  
 Instabile, ac dirimi cœptum, et jam pæne solutum  
 Conjugium in multis domibus servavit adulter. 80  
 Quo te circumagas, quæ prima, aut ultima ponas;  
 Nullum ergo meritum est, ingrante ac perfide, nullum,

dissimules, et prætermittas, nihili facias cætera mea beneficia; de quibus, vide supra. — *Quanto metiris pretio.* Quanti facies, etc.

72. *Uxor tua virgo maneret.* ] Non gravida facta esset, propter tuam impotentiam.

73. *Ista.* ] Officia, scil. ut efficerem, quod tu ipse non posses. — *Quibus modis.* Quàm vehementer et sæpe rogaris, ut tuo loco cum uxore tua concumberem.

74. *Puellam.* ] Puella ut virgo dicitur quæcumque in florente est ætate, etsi nupta est, et jam peperit. — *Fugientem.* E domo.

75. *Amplexu rapui.* ] Meis amplexibus ex fuga retraxi. — *Tabulas quoque ruperat.* Nuptiales. Hoc est, jam divortium fecerat. — *Et signabat alias.* Et alteri jam nubere volebat. In iis autem tabulis, hæc solemnia erant verba: PROCREANDORVM. CAUSA. LIBERORVM. VXOREM. DVCO. et in divortiiis, hæc tabulæ rumpebantur.

76. *Tota vix hoc ego nocte re-*

*demi.* ] Totius vix noctis labore eam tibi reconciliavi.

77. *Te plorante foris.* ] Ante januam, propter metum infamiæ ac repudii.

78. *Lecti sonus.* ] Crepitus, ut ap. Catull. lib. VI, epig. 10, v. 11:

. . . tremulique quassa lecti  
 Argutatio, inambulatioque.

— *Vox dominæ.* Præ libidinis impatientia gannientis in concubitu. Anth. Lat. III, 231, 14:

. . . . . feminae

Inter gannitus et subantis voculas.

79. *Instabile.* ] Confirmatio prioris sententiæ. Apud homines mulierosos et pathicos instabile est conjugium; quippe ii mulieribus ase ductis non possunt satisfacere.

81. *Quo te circumagas?* ] Quocumque te vertas, ingrati animi nullam excusationem habebis. — *Quæ prima aut ultima ponas.* Quocumque demum modo rationes subduxeris, debitor mihi eris. Hæc jungenda mihi videntur seqq. A.

82. *Ingrate.* ] Amara irrisio.

Quòd tibi filiulus, vel filia nascitur ex me?  
 Tollis enim, et libris actorum spargere gaudes  
 Argumenta viri. Foribus suspende coronas, 85  
 Jam pater es: dedimus, quod famæ opponere possis.  
 Jura parentis habes, propter me scriberis heres,  
 Legatum omne capis, nec non et dulce caducum.  
 Commoda præterea junguntur multa caducis,

84. *Tollis enim.*] Liberos, etsi spurios. Vid. sat. VI, 38. — *Et libris actorum.* Servius Tullius, ut subditi sibi populi sciret numerum, jussit parentes profiteri natos sibi liberos: eorumque nomen et diem natalem in commentarios referri. Apul. Apologet. sic habet: *Pater ejus natam sibi filiam more cæterorum professus est. Tabulæ ejus partim tabulario publico, partim domo asservantur..... signa, quæ impressa sunt, recognoscat, consules legat, annos computet, etc.*

85. *Argumenta viri.*] Indicia virilitatis.—*Foribus suspende coronas.* Nam coronis ornabatur domus puerperæ. Vid. sup. VI, 51.

86. *Quod famæ opponere possis.*] Te liberis orbem, et inhabilem soboli procreandæ dicebant; propter quod mulierosus et cinædus esses: nunc, habes quod isti infamiæ possis opponere.

87. *Jura parentis habes.*] Jus liberorum, quod Tacit. appellat pri-

*vilegium parentum.* — *Propter me scriberis heres.* Nam lege Julia et Papia cælebs ex aliorum testamentis quidquam capere non poterat, nisi, post mortem testatoris, intra centesimum diem matrimonium contraheret.

\*88. *Legatum omne capis.*] Lex enim Papia ab Augusto lata jubebat, ut, si vir et uxor filios non haberent, quos alter alteri reliquisset, decima pars honorum fisco adjudicaretur. Immo, ex quolibet testamento, non nisi dimidiam partem accipiebant parentes orbi. Alciat. Dispunctionum, lib. III, cap. 3. — *Nec non et dulce caducum.* Quod sine mea opera caducum fuisset: nam legatum vocabatur caducum, quando relictum fuerat ex conditione, verbi gratiâ, si liberi adfuerint, quâ conditione prætermisâ, ex lege cadebat a legatario in fiscum, vel in alium heredem. — *Dulce.* Quod ex insperato, et opera mea tibi obtigit.

V. 83. *Vel filia.* In duobus codd. non male repetitur, quòd filia, ad augendum beneficium. Quidam, sed vitiose, habent aut.

V. 89. *Junguntur.* Sic omnes fere nostri codd. Quidam *jungentur.* Nostra lectio æque conveniens est: nam, præsens tempus aliquando pro futuro usurpatur; ac sæpe sæpius vividius est.



Si numerum, si tres implevero.

JUVENALIS.

Justa doloris, 90  
Nævole, causa tui : contra tamen ille quid affert?

NAEVOLUS.

Negligit, atque alium bipedem sibi quærit asellum.  
Hæc soli commissa tibi celare memento,  
Et tacitus nostras intra te fige querelas.  
Nam res mortifera est inimicus pumice levis. 95  
Qui modo secretum commiserat, ardet et odit,  
Tanquam prodiderim quidquid scio. Sumere ferrum,  
Fuste aperire caput, candelam apponere valvis  
Non dubitat. Nec contemnas, aut despicias, quòd  
His opibus nunquam cara est annona veneni. 100

90. *Si tres implevero.*] Qui tres habebat liberos, a tutela excusabatur, tesseram frumenti triplicem accipiebat, in sumendis fascibus primas partes obtinebat. Tacit. Ann. II : *de Præatore subrogando, certamen incessit : Germanicus atque Drusus Agrippam fovebant : contra plerique nitebantur, ut numerus liberorum in candidatis præpolleret, quod lex jubebat.*

91. *Ille.*] Dives avarus, Virro.

92. *Bipedem... asellum.*] Stultum hominem, robustum et bene mentulatum, quem eodem modo decipiat.

93. *Hæc.*] Quæ dixi tibi de Virronis turpitudine et avaritia.

95. *Pumice levis.*] Mollis et ci-

nædus. Vid. sup. II, v. 11, et VIII, 16.

96. *Qui modo secretum commiserat.*] Tanquam familiari suo. — *Ardet et odit.* Tunc, cum eum reliquero, ardebit ira et indignatione.

97. *Quidquid scio.*] Omnia arcana.

98. *Fuste aperire caput.*] Vulneribus. — *Candelam.* Ignem apponere valvis, foribus. *Meas ædes* incendere.

99. *Nec contemnas.*] Cave etiam nihili pendas ; quia, etc.

100. *His opibus.*] Ne contemnas hominem mollem atque effeminatum, quoniam *his opibus*, hoc est, in tantis divitiis. *Nunquam cara est annona, pretium, veneni.*

V. 100. *Nunquam cara est.* XXV codd. et edit. Romana princeps, *nunquam careas.* Sed nostra lectio aptior, et sermonis legibus magis consentanea.

Ergo occulta teges, ut curia Martis Athenis.

JUVENALIS.

O Corydon, Corydon, secretum divitis ullum  
 Esse putas? Servi ut taceant; jumenta loquuntur,  
 Et canis, et postes, et marmora: claude fenestras,  
 Vela tegant rimas, junge ostia, tollito lumen 105  
 E medio; clamant omnes: prope nemo recumbat;  
 Quod tamen ad cantum galli facit ille secundi,

101. *Curia Martis Athenis.* ] Ἄρειος πάγος celeberrimum illud δικαστήριον ἐν ἀκροπόλει, cujus iudices Ἄρειοπαγίται, quidquid in eo agebatur, alto premebant silentio.

102. *O Corydon, etc.* ] Stulte, demens, rustice.

103. *Ut taceant.* ] Quamvis.

104. *Et canis, et postes, et marmora.* ] Quemadmodum proverbio dicitur, etiam saxa loquuntur. Gallis, les murs ont des oreilles.

105. *Vela tegant rimas.* ] Vela appensa foribus et fenestris.

106. *Clamant omnes.* ] Non adeo erat necesse codicum lectionem exagitare: sensus enim satis per se patet. Scilicet etiamsi servi taceant; jumenta loquuntur. . . claude fenestras. . . clamant omnes, omnes tantæ infamiæ palam adversantur, clamant, contra assurgunt: quin im-

mo, nemo prope recumbat; nihilominus quod ille dives pathicus fecerit mediâ nocte, primo mane divulgabitur. Gall. *Les esclaves se taisent; les bêtes parlent: fermez portes et fenêtres; on le sait, on se récrie: il n'y a personne dans le voisinage; n'importe, avant le jour, etc.* Vividior certe et satirica magis lectio codicum nostrorum, quàm vet. schol. vel Pithoei emendatio. Qui legunt *taceant omnes*, ita explicant: *servi ut taceant; jumenta loquuntur. . . claude fenestras. . . taceant omnes*, id est, omnes alto somno pressi taceant, *prope nemo recumbat, etc.* At, insulse, nostro iudicio, repetitur verbum *taceant*. A. et F. D. — *Prope nemo*. Nullus juxta cubiculum.

107. *Ad cantum galli. . . secundi.* ] Ad secundum galli cantum, scilicet.

V. 103. *Loquuntur*. X ex nostris codd. habent ita: alii *loquentur*. Illam recepi, ut melius sequentibus *clamant omnes* aptaretur. Vid. comm. v. 106.

V. 106. *Clamant omnes*. Revocavi ex omnibus codd. Bibliothecæ Imp. qui habent *clament* vel *clamant*. Vet. schol. solus, vel forte Pithoeus ipse, qui offensus contradictione correxit suum codicem (id enim ei accidisse jam animadverti), legit *taceant omnes*, quod reipsa melius fluere videtur; sed menti auctoris et auctoritati codd. repugnat. Puteanus codex, qui ex eodem fonte effluxit atque vet. schol. habet *clament*: unde nostra de emendatione Pithoei firmatur conjectura. Vid. sup. commentarium.

Proximus ante diem caupo sciet : audiet et quæ  
 Finxerunt pariter librarius, archimagiri,  
 Carptores. Quod enim dubitant componere crimen 110  
 In dominos, quoties rumoribus ulciscuntur  
 Baltea? Nec deerit, qui te per compita quærat  
 Nolentem, et miseram vinosus inebriet aurem.  
 Illos ergo roges, quidquid paulo ante petebas  
 A nobis, taceant illi : sed prodere malunt 115  
 Arcañum, quàm subrepti potare Falerni,  
 Pro populo faciens quantum Laufella bibebat.

tempore antelucano : nam, gal-  
 lus primum a media nocte cantat,  
 deinde, medio inter μεσονύκτιον  
 et auroram spatio.

108. *Ante diem.*] Id est, paulo  
 postquam id factum est. — *Pro-*  
*ximus caupo.* Hic, cum delectu  
 positus; nam in cauponam multi  
 conveniunt garruli, iique etiam  
 summo mane.

109. *Librarius.*] Servus scriba,  
 qui libros, epistolas et alia scribit.  
 Alii hunc interpretantur a *libra*  
 pendenda, servus pensa aliis dis-  
 tribuendo præpositus, ut, sat.  
 VI, v. 475; sed, hoc loco, de  
 solis servis culinariis agi non ne-  
 cesse est. — *Archimagiri.* Ἀρχιμά-  
 γηροι, magistri coquorum.

110. *Carptores.*] Structores men-  
 sarum, et ciborum ex arte scisso-  
 res. Vid. sup. V, 120 et seqq. —  
*Componere.* Fingere.

111. *Ulciscuntur baltea.*] Cin-  
 gulum e corio bullatum, quo plec-  
 tebantur. Gall. *Les étrivières.*

112. *Nec deerit, qui te per com-*  
*pita quærat.*] Vid. garruli verba  
 ap. Horat. lib. I, sat. 9.

113. *Vinosus.*] Ebrius, qui om-  
 nia, etiam arcana effutire solet. —  
*Inebriet aurem.* Facete, pro ob-  
 tundat. Sic quoque Galli dicunt.  
*Il m'enivre de son caquet.*

114. *Illos.*] Servos. — *Quid-*  
*quid... petebas a nobis.* Scilicet,  
 ut sileamus, v. 99 et seqq.

116. *Falerni.*] Vini optimi, et  
 quidem *subrepti*, ideoque melio-  
 ris.

117. *Pro populo faciens.*] Pro po-  
 puli salute sacrificans Bonæ Deæ,  
 in cujus sacris antea cum pietate  
 et castitate actis, tum demum in  
 orgia nefanda versis, largiter  
 potabant. Vide sat. VI, 314 et  
 seqq. ubi ejusdem *Laufellæ* men-  
 tio facta est. — *Pro populo faciens.*  
 Sic ap. Senec. epist. 97: *Claudius*  
*adulterium cum Cæsaris uxore in*  
*operto commiserat, violatis religio-*  
*nibus ejus sacrificii, quod pro po-*  
*pulo fieri dicitur.* Cicero legg. II,  
 9. *Nocturna mulierum sacrificia ne*  
*sunt, præter olla, quæ pro populo*  
*rite fiunt.* Sic Virgil. eclog. III  
 facere pro immolare :  
 Cùm faciam vitulâ pro frugibus . . .

Vivendum recte est, cum propter plurima, tunc his  
 Præcipue causis, ut linguas mancipiorum  
 Contemnas: nam lingua mali pars pessima servi. 120  
 Deterior tamen hic, qui liber non erit illis,  
 Quorum animas et farre suo custodit et ære.

## NÆVOLUS.

Idcirco ut possim linguam contemnere servi,  
 Utile consilium modo, sed commune, dedisti:  
 Nunc mihi quid suades post damnum temporis, et spes  
 Deceptas? Festinat enim decurrere velox 126

118. *Vivendum recte est, etc.*] Salubre consilium.

120. *Nam lingua, etc.*] Lingua est pars pessima mali servi.

121. *Deterior tamen.*] Etsi viles et contemnendi servi loquaces et domino maledicentes; *deterior* tamen est, vilior et contemnendus magis ille, qui *liber non est ab illis*, id est, qui illis obnoxius est; eorumque linguam intemperata vita, vitiis suis et libidine merito potest reformidare. Hoc præclare dictum e sententia stoïcorum, πάντες κακοὶ δούλοι: quocum confer egregia loca Horat. lib. II, sat. 7, 81—94, et epist. I, 16, 63.

122. *Quorum animas, etc.*] Quorum vitam sustentat ære suo et frumento. Servorum menstruum stipendium ac demensum erant

quatuor, si Donato ad Terent. Phorm. I, 1, 9, vel quinque, si Senecæ Epist. 80, fides habenda, modii frumenti, et denarii totidem. Vid. sup. sat. VII, 8, 120. A.

123. *Idcirco, ut possim.*] Verba Nævoli. Hunc versum spurium existimat Al. Rup. et, reipsa, glossam redolet, et fere inutilis est.

124. *Utile consilium.*] Scil. sup. v. 118. — *Sed commune.* Non tam enim ad me attinet, quàm ad Virronem et alios ei similes.

125. *Postdammum temporis.*] Post consumptum ætatis robur serviendo Virroni, sine ulla mercede.

126. *Festinat decurrere velox.*] Ut alias, ævum currit, labitur.

Τροχὸς ἄρματος γὰρ εἶα  
 Βίοςτος τρέχει κυλισθεὶς, κ. τ. λ.

V. 118. *Tunc his.* Revocavi ex nostris codd. Quidam legunt *tum his*; et Al. Rup. hanc lectionem servavit, fretus ea ratione, scil. litteram *m* non semper elidi. At, cum littera *m* non eliditur, brevis fieri debet ante vocalem; quod intelligere est in *circumeat, circumagat, etc.* unde lectionem codd. retinendam judicavi.

V. 123. *Idcirco, etc.* Totum hunc versum quasi spurium, et insulsam repetitionem versus 119, ejiciendum censet Al. Rup. At in omnibus codd.

Flosculus angustæ, miseræque brevissima vitæ  
 Portio : dum bibimus, dum sarta, unguenta, puellas  
 Poscimus, obrepit non intellecta senectus.

## JUVENALIS.

Ne trepida : nunquam pathicus tibi deerit amicus, 130  
 Stantibus et salvis his collibus : undique ad illos  
 Convenient et carpentis et navibus, omnes  
 Qui digito scalpunt uno caput. Altera major  
 Spes superest : tu tantum erucis imprime dentem.

127. *Flosculus... vitæ.* ] Ut ἀκμή, et ἀκμάζουσα ηλικία, vel ἄνθος ἥβας ἄρτι κυμαίνει, apud Pindar. Pyth. IV, 281.—*Angustæ miseræque.* A brevitate vitæ, captabant ansam genio indulgendi.

128. *Dum bibimus.* ] Similiter Horat. lib. I, od. 11, 7.

Dum loquimur fugerit invida  
 Aetas. . . . .

129. *Non intellecta Senectus.* ] Hæc verba non imitatus est solum, sed et transcripsit Ausonius ep. XIII :

Dicebam tibi, Galla : senescimus, effugit ætas,

Utere rene tuo, casta puella anus est.  
 Sprevisi, obrepsit non intellecta senectus :

Nec revocare potes, qui periire, dies.

130. *Ne trepida.* ] Responsio poëtæ.—*Pathicus... amicus.* Cinædus a te corrumpi cupiens.

131. *Stantibus et salvis his collibus.* ] Quandiu Roma superstes

erit.—*Undique convenient.* Veluti ad emporium infame libidinum.

132. *Carpentis et navibus.* ] Et terrâ et mari.

133. *Qui digito scalpunt uno caput.* ] Qui, si caput prurit, uno tantum digito illud scabunt, ne capilli apte compositi et calamistrati turbentur; quod erat nota mollis et effeminati viri, immo, pathici. Sic Lucianus dixit, τῷ δακτύλῳ ἄκρω τὴν κεφαλὴν κνᾶσθαι. Id vitium in Pompeio potissimum notârunt Calvus poëta, ap. Sênece. Controv. III, 19. Plut. in Pomp. et Amm. Marcell. lib. XVII.

134. *Erucis imprime dentem.* ] Lepidum consilium. Comede herbas, imprimis calidas, quibus ad Venerem potens ac fortis efficiare. Talis est *eruca* herba, quæ idcirco sacra et vicina Priapo dicitur Columellæ, *salax* Ovidio, Veneris conciliatrix Plinio, libro XIX, cap. 8 et alibi.

nostris, duobus exceptis, reperitur : ita eundem servandum existimo. Quidam codd. male, nostro iudicio, legunt, *idcirco, ut possis.*

V. 132. *Convenient.* Multi legunt *conveniunt.* At non aptum, hoc loco, præsens pro futuro.

## NAEVOLUS.

Hæc exempla para felicibus : at mea Clotho, 135  
 Et Lachesis gaudent, si pascitur inguine venter.  
 O parvi, nostrique Lares, quos thure minuto,  
 Aut farre, et tenui soleo exorare coronâ!  
 Quando ego figam aliquid, quo sit mihi tuta senectus  
 A tegete et baculo? Viginti millia fenus 140  
 Pignoribus positus, argenti vascula puri,  
 Sed quæ Fabricius censor notet, et duo fortes

135. *Hæc exempla para.*] Hunc agendi modum præcipe his, qui me feliciores sunt. — *At mea Clotho et Lachesis.* Parcæ, quæ meæ vitæ sunt præsidēs, pro meum fatum infelix.

136. *Gaudent.*] Me jubent esse contentum. — *Si pascitur inguine venter.* Tenui victu, quem mihi re Venereâ paro. Usque adeo infelix sum, ut vix industria inguinis sufficiat ad victum.

137. *O parvi, nostrique Lares.*] Vid. sup. sat. VI, v. 3. — *Parvi.* Parva eorum simulacra. Hæc ad inopiam Nævoli spectant, ut *thus minutum*, et *tenuis corona*.

138. *Aut farre.*] Supra, et Plin. lib. XVIII, cap. 2. Numa instituit Deos fruge colere, molâ salsâ. — *Soleo exorare coronâ!* Nam, et floribus coronati veteres Diis supplicabant; vel potius, cum orarent Deos, eos floribus exornabant.

139. *Quando ego figam aliquid?*]

Quando forte fixum ac certum quidpiam captabo? Metaph. petita a venatoribus, qui feras telis configunt. — *Quo sit mihi tuta senectus.* Ne cogar victum mendicando quæritare, cum senex fuero.

140. *A tegete.*] Vid. sup. V, 8. — *Et baculo.* Mendicorum. — *Viginti millia fenus.* Reditus annuus. Viginti millia sestertiorum, ex pecuniæ summâ fenori datâ.

141. *Pignoribus positus.*] Datis mihi a debitoribus, de pecunia a me locata, et ab iis accepta. — *Argenti puri.* Non cælati, sine sigillis, ut ap. Cicer. Verr. IV, 22, 23.

142. *Quæ Fabricius censor notet.*] C. Fabricius Luscinus censor, an. V. C. CCCCLXXVIII, P. Cornelium Rufinum bis consulatu et dictaturâ functum senatu movit, ob luxuriæ notam, quòd, cœnæ gratiâ, decem pondo argenti facti haberet.

V. 138. *Exorare.* XX fere codd. habent *exornare*. Male; nam, jungitur non modo cum corona, sed et cum thure et farre quibus non convenit.

De grege Mæsorum, qui me cervice locatâ  
 Securum jubeant clamoso insistere Circo?  
 Sit mihi præterea curvus cælator, et alter 145  
 Qui multas facies pingat cito: sufficiunt hæc,  
 Quando ego pauper ero. Votum miserabile! nec spes  
 His saltem: nam, cùm pro me Fortuna rogatur,  
 Affigit ceras illâ de nave petitas,  
 Quæ Siculos cantus effugit remige surdo. 150

143. *De grege Mæsorum.*] Servorum ex Mæsia, Romam advectorum. — *Qui me cervice locatâ.* Suppositâ sellæ ferendæ.

144. *Clamoso insistere Circo.*] Nam, sellis deportabantur in Circum, sive in theatrum, atque in iis persedebant. — *Clamoso.* Ob frequentes plausus et acclamationes.

145. *Sit mihi... curvus cælator.*] Artifex, qui vasis affabre cælatis meam domum exornet. — *Curvus,* incurvatus, assiduus in labore a me imposito.

146. *Qui multas facies pingat cito.*] Hic pictor designatur, qui imagines ex argillâ, vel cerâ fictas, vel etiam tabulas pingebat. Hæ

imagines, præsertim Lares, colore vili, rubro, flavo aut nigro leviter, ideoque cito pingi solebant. Ad hoc opus, habebant servos pictores rudes, quales nostri vocant *barbouilleurs d'enseignes.* A.

147. *Quando ego pauper ero.*] Quandiu pauper ero. Hoc votum est miserabile, id est, vanum et inutile, nec spes ulla erit assequendi, quæ tantopere exopto: nam, etc.

148. *Cùm pro me Fortuna rogatur.*] Lepide dicit Fortunam cerâ sibi aures obturare; atque ideo ceras illi fingit, quibus Ulysses, *remiges,* scil. socios surdos fecit, ne Sirenum cantûs dulcedine allecti deciperentur: quod notum ex *Odyss. µ, 39,* et *Hygin. f. 125.*

V. 143. *Mæsorum.* Alii *Messorum.* Male!

V. 146. *Pingat.* Ita omnes nostri codd. vet. schol. *pingit.* Editores recentiores reposuerunt *fingat,* ut *plastes* designetur, qui ex uno modulo, vel archetypo, multas facies, typos exprimere *cito,* et potest, et solet. Sed ista inutilis est textûs immutatio, cùm æque intelligatur lectio codicum.

V. 149. *Affigit.* Quidam codd. habent *adfixit.* At prima lectio sermonis legibus magis conveniens.

---

# SATIRAE DECIMAE

## ARGUMENTUM.

ARGUIT HAEC SATIRA ET CURAS ET INANIA VOTA.

Ex omnibus Juvenalis satiris nulla, doctorum judicio, præstantior et consummator. Quæ quidem, certe, inter perfectissima non solum ejusdem, sed et aliorum satirographorum opera censeretur annumeranda, si ejus tractatio philosophicæ theseos, vel declamationis speciem minus præ se ferret. In ea, nos poëta docet, homines parum intelligere quæ sint vera bona, eamque ob causam omnibus fere votis expetere, quæ sibi sint nocitura. Hinc, post exordium, rhetorum more, rei tractandæ aptissimum, varia percurrit bona, quorum cupiditate maxime ardemus, et quàm noxia ipsis optantibus fuerint atque futura sint multis ostendit exemplis ex historia desumptis; quæ optima sine dubio est ratio probandi (1—11). Et primum, divitias adit: quas qui possidet, illi verendum, ne, ut Cassius Longinus et Seneca, vel latronum manu, vel tyrannorum jussu, vel veneno necetur (12—55). Maxima deinde potentia, inquit, et honores iis, qui illos appetunt, invidiam, ac plerumque ruinam perniciemque parant: quod probatur exemplo Sejani: nam

Ardet adoratum populo caput, et crepat ingens  
Sejanus. . . . .

(56—107); cui poëta jungit Crassos, Pompeios et Cæsares, aliosque: pauci enim

Ad generum Cereris, sine cæde et vulnere, pauci  
Descendunt reges, et sicca morte tyranni.

(108—115). Eloquentia summis oratoribus, Ciceroni præsertim ac Demostheni, mortis causa fuit (116—132). Gloria bellica et vana, et brevis, maximis imperatoribus exitiosa fuit, ut olim Annibali, Alexandro et Xerxi (133—187). Longa vita multis



### 370 SATIRAE DECIMAE ARGUMENT.

obnoxia malis, cum propter senectutis incommoda, quæ senes simul deformes, rugosos, infirmos, tremulos, etc. ac sibi molestos et aliis molestissimos efficiunt; tum ob mala publica quorum testes sunt, et privata, quæ ipsi sunt experti Nestor, Peleus, Priamus, Hecuba, Mithridates, Cræsus, Marius et Pompeius, quos tam diu vixisse debuit pœnitere, quibusque feliciores fuere Lentulus, Cethegus et Catilina (188—288). Pulchritudo denique raro pudicitiam tuetur, multisque insidiis ac periculis subjecta est, quod docent exempla Lucretiæ, Virginiæ, Hippolyti, Bellerophontis et Sili (289—345). Quæ cum ita sint, omnia Diis sunt permittenda, qui melius ac nos sciunt, quid homini conveniat, quid non; et id unum expectandum,

. . . . . Ut mens sit sana in corpore sano.

Scilicet, animus poscendus est fortis, metu mortis carens, laborum patiens, et acrium affectuum, cupiditatumque expers: ita enim tranquillam beatamque vitam agemus, quæ a sola virtute et sapientia, non a fortuna pendet (346—366).

Idem argumentum tractaverunt, præter Lucianum et Aristotelem *περὶ εὐχῆς*, præcipue ac fusius Plato Alcibiad. Dialog. II, leviter Xenoph. Mem. Socr. I, Val. Max. VII, 2, et eleganter Persius, sat. II, quem vide, si placet. Hæc satira, dicunt aliqui, scripta est sub Hadriano: nam, v. 81, *panem* dicit: et panis non dabatur populo, nisi sub Hadriano. At, *panis* pro frumento potest, et forte debet accipi; quia hoc loco agitur de sermonibus populi sub Tiberio. Et v. 236, *codice sævo heredes vetat esse suos*; quæ lex sub Hadriano viguit potissimum. At; jam inde a Domitiani temporibus, testamento nihil poterat relinquere probrosis feminis: inde vana sunt argumenta, quæ ex his versibus petuntur.

---

---

---

## SATIRA X.

V O T A .

**O**MNIBUS in terris, quæ sunt a Gadibus usque  
Auroram, et Gangen, pauci dignoscere possunt  
Vera bona, atque illis multum diversa, remotâ  
Erroris nebulâ. Quid enim ratione timemus,  
Aut cupimus? quid tam dextro pede concipis, ut te 5  
Conatûs non pœniteat, votique peracti?  
Evertere domos totas optantibus ipsis

1. *Omnibus in terris.*] Fons primus et causa votorum vulgarium, quæ plerumque est falsa opinio de veris bonis mente concepta, declaratur. — *A Gadibus.* Ab extremo occidente, usque ad Auroram, orientem (ut Græc. ἠώς), — *Gades*, hodie *Cadix*, extrema Europæ pars versus occidentem.

2. *Et Gangen.*] Ganges maximus Indiæ fluvius, major etiam Indo; unde India intra et extra Gangen.

3. *Vera bona, atque illis multum diversa.*] Vera bona, et contraria iis, scil. mala.

4. *Erroris nebulâ.*] Sine errore ac mentis cæcitate et ignorantia. — *Quid enim, etc.* An unquam ratio, mens sana nostros timores, nostraque vota direxit?

5. *Quid tam dextro pede.*] An ea quæ concipis animo, tam dextro, id est, tam felici conatu ad finem optatum unquam perducis, ut,

etc. De stultitia hominum in votis, hæc Socrates apud Platon. Alcibiad. II, Οὐκοῦν δοκεῖ σοι πολλῆς προμηθίας γε προσδεῖσθαι, ὅπως μὴ λήσεταιί τις αὐτὸν εὐχόμενος μεγάλα κακά, δοκῶν δ' ἀγαθὰ; οἱ δὲ θεοὶ τύχῳσιν ἐν ταύτῃ ὄντες τῇ ἔξει, ἐν ᾗ διδύσασιν αὐτοὶ ἅ τις εὐχόμενος τυγχάνει; . . . Εὐρήσεις δὲ καὶ τῶν νῦν ἔτι πολλοῦς, οὐκ ὀργῇ κεκρημένους, ὥσπερ ἐκεῖνον (τὸν Οἰδίπευον) οὐδ' οἰομένους κακὰ σφίσι εὐχεσθαι, ἀλλ' ἀγαθὰ. ἐκεῖνος μὲν ὥσπερ οὐδ' ἠύχετο, οὐδ' ὤετο. ἕτεροι δὲ τινες εἰσὶν, οἱ τάναντία τούτων πεπόνθασιν. . . . Οἱ δὲ πολλοὶ οὔτε ἂν τυραννίδος διδομένης ἀπόσχονται ἂν, οὔτε κρατηγίας, οὐδ' ἐτέρων πολλῶν ἢ παρόντα βλάπτει μᾶλλον ἢ ὠφελεῖ. ἀλλὰ καὶ εὐχαιντο ἂν γενέσθαι, εἴ τῳ μὴ παρόντα τυγχάνει. ὀλίγον δὲ ἐπισχόντες, ἐνίοτε παλινωδοῦσιν, ἀνευχόμενοι ἅτ' ἂν τὸ πρῶτον εὐζώνται.

7. *Evertere domos.*] Dii votis

V. 5. *Concipis.* XXX fere codd. et nonnulli editi libri habent *concupis*: sed modo præcessit *cupinus*, et inelegans ista repetitio foret. Puteanus cod. et Thuaneus I, n° 8071 et tres alii *concupis*.

Dî faciles. Nocitura togà, nocitura petuntur  
 Militiâ. Torrens dicendi copia multis,  
 Et sua mortifera est facundia. Viribus ille 10  
 Confisus periit, admirandisque lacertis.  
 Sed plures nimiâ congesta pecunia curâ  
 Strangulat, et cuncta exsuperans patrimonia census,  
 Quanto delphinis balæna Britannica major.  
 Temporibus diris igitur, jussuque Neronis 15  
 Longinum, et magnos Senecæ prædivitis hortos

mortalium nimis faciles totas domos evertere. — *Optantibus ipsis.* Dominis, ut Neptunus, exauditis votis Thesei de Hippolyto.

8. *Nocitura... petuntur.* ] Vota nocitura fiunt. — *Togâ... militiâ.* In pace et in bello. — *Toga.* Insigne pacis.

9. *Torrens dicendi copia.* ] Summa eloquentia, ut sup. III, 74.

10. *Et sua mortifera est facundia.* ] Facundia votis expetita a Diis mortifera, exitiosa multis fuit, ut Demostheni, Ciceroni, et aliis. — *Viribus ille.* Milo Crotoniates, qui, cum jam grandis natu arborem manibus scindere vellet, digitis in scissura retentis, a leone consumptus est.

11. *Admirandisque lacertis.* ] De hujus athletæ viribus et miseranda morte, vid. Pausan. VI, 14. Strab. VI, p. 403. Aelian. V. H. II, 24, etc.

12. *Nimiâ congesta pecunia curâ.* ] Horatius :

Crescentem sequitur cura pecuniam.

Et Hispani :

Riquezas no se deseen,  
 Que son malas de alcançar,  
 Y peores de guardar  
 Las vezes, que se poseen.

13. *Strangulat.* ] Macerat, propter curam custodiæ; et facit, ut jugulentur a furibus, vel tyrannis, qui opibus eorum inhiant. — *Et cuncta exsuperans, etc.* Et opes tanto cæterorum divitias exsuperantes, quanto balæna, etc.

14. *Balæna Britannica.* ] Quia in Oceano Britannico, et frequentior et major reperitur.

15. *Temporibus diris.* ] Cum Nero divitum opibus inhiaret.

16. *Longinum.* ] De morte Cassii Longini, vid. Suet. Ner. cap. 37. — *Senecæ prædivitis.* Cum patris, tum fortunâ suâ. Suilius apud Tacit. lib. XIII: *quâ sapientiâ, quibus philosophorum præceptis, intra quadriennium regiæ amicitie ter millies H. S. paravisset?* hoc est, ter millies centena millia sestert. hodie, circa 59,000,000 fr. Gall.; et

V. 11. *Periit.* Ultima syllaba producitur, vel propter hiatum, vel ob contractionem.

Clausit, et egregias Lateranorum obsidet ædes  
 Tota cohors : rarus venit in cœnacula miles.  
 Pauca licet portes argenti vascula puri,  
 Nocte iter ingressus, gladium contumque timebis, 20  
 Et motæ ad lunam trepidabis arundinis umbram :  
 Cantabit vacuus coram latrone viator.  
 Prima fere vota, et cunctis notissima templis,  
 Divitiæ ut crescant et opes, ut maxima toto  
 Nostra sit arca foro. Sed nulla aconita bibuntur 25

Xiphil. in Nerone ait Senecæ facultates fuisse aureorum tricies centena millia, etc. Corn. Tacit. Ann. XIV, sic: (*Rufus ac Tigellinus*) *variis criminationibus Senecam adoriuntur, tanquam ingentes, et privatum supra modum evectas opes adhuc auget. . . hortorum quoque amœnitate, et villarum magnificentiam principem quasi supergrederetur. Hic Henninius monet subtiliter tangi divitias Senecæ invidendas, quas inter, facillime de vita beata et tranquillitate animi scribere potuerit; eum tamen excusari a Lipsio in proleg. ad Senec. et a se ipso, Vit. Beat. cap. 17.*

17. *Clausit.* ] Corn. Tacit. Ann. XV, 60. *Sequitur cædes Annæi Senecæ lætissima principi. . . Is ad eum diem ex Campania remeaverat, quartumque apud lapidem suburbano rure substiterat. Illò propinquâ vespere tribunus venit, et villam globis militum sepsit. . . Intromisitque ad Senecam unum ex centurionibus, qui necessitatem ultimam denunciaret.*

*Ille interritus poscit testamenti tabulas, etc. — Egregias Lateranorum. . . ædes.* Vid. sat. VIII, v. 147.

18. *Cœnacula.* ] Pauperum habitacula a tyrannorum insidiis tuta sunt. De *cœnaculis*, vid. sat. III, v. 199.

20. *Gladium contumque timebis.* ] Latronum hastas et gladios. — *Contus.* Hasta longa et ponderosa.

21. *Trepidabis arundinis umbram.* ] Species proverbii, quale est apud Platonem in Phædone: τὴν αὐτοῦ σκιάν φοβεῖσθαι.

22. *Cantabit. . . coram latrone.* ] Liber ab omni metu et curâ: nam ait Seneca, *nudum latro transmittit: etiam in obsessa via pauperi pax est.*

24. *Divitiæ. . . opes.* ] Divitiæ possunt esse sine opibus: nam cum opibus semper aliqua jungitur potestas: bene igitur has separavit poëta.

25. *Nostra sit arca foro.* ] Vet. schol. « Usque ad Cerealem præfectum in foro Trajani arcas habuerunt senatores, in quibus

V. 24. *Divitiæ ut crescant et opes.* Quidam codd. habent, *divitiæ ut crescant, ut opes, ut, etc.* at τὸ *ut*, ter repetitum non est bonæ notæ.

Fictilibus : tunc illa time , cùm pocula sumes  
 Gemmata , et lato Setinum ardebit in auro.  
 Jamne igitur laudas , quod de sapientibus alter  
 Ridebat , quoties a limine moverat unum  
 Protuleratque pedem ; flebat contrarius alter ? 30  
 Sed facilis cuivis rigidi censura cachinni :  
 Mirandum est , unde ille oculis suffecerit humor.  
 Perpetuo risu pulmonem agitare solebat  
 Democritus , quanquam non essent urbibus illis  
 Prætexta , et trabeæ , fasces , lectica , tribunal. 35

« argentum aut pecunias tutius  
 « deponebant. Propterea et locus  
 « ipse in quo erant arcæ positæ ,  
 « opes dictæ sunt. » Plathnerus  
 inquit : « oculis tantum minora  
 « æra , majora arcis tenebantur....  
 « plerasque autem pecunias in  
 « foro habebant apud Trapezitas  
 « duplicem ob causam , fenoris  
 « puta , et custodiæ. De fenore  
 « noster , hoc loco , intelligen-  
 « dus , etc. . . . » — *Nulla aconita*  
*bibuntur fictilibus.* Seneca Tragic.  
 in Hercule Oeteo , chor. act. II :

Tenet e patula pocula fago :

Sed non trepida tenet ipse manu.

26. *Tunc illa time , etc.* ] Idem  
 Senec. in Thyest. act. III , sc. I.  
 Humi jacentem scelera non intrant ca-  
 sam ,

Tutusquemensâ capitur angustâ cibus,  
 Venenum in auro bibitur. . . . .

27. *Setinum.* ] Setinum optimum  
 vinum , et forte Falerno exquisi-  
 tius. — *Ardebit in auro.* In aureo  
 poculo.

28. *Jamne igitur laudas.* ] Nonne

igitur existimabis hos sapientes  
 sano fuisse judicio , quorum alter  
 semper ridebat , scil. Democritus  
 Abderites , cùm ineptias homi-  
 num videret.

30. *Contrarius alter.* ] Alter vero  
 scil. Heraclitus , contrariæ huic  
 sententiæ , defendas esse ineptias  
 hominum et miserias judicabat.

31. *Sed facilis , etc.* ] Lepide dicit:  
 facile est ridere. — *Censura.* Vitu-  
 peratio ineptiarum risu expressa.

32. *Mirandum.* ] Unde Heraclito  
 tanta lacrymarum copia suffe-  
 cerit.

33. *Pulmonem.* ] « Quia ex splene  
 « risum dicunt gigni. » Vet. schol.

34. *Quanquam non essent.* ] De-  
 mocritus perpetuo ridebat illis  
 temporibus , atque illis urbibus ,  
 Abderâ et aliis Thraciæ locis , et  
 Asiæ minoris , quibus nondum  
 tam ridicula erat vanitas ornamen-  
 torum et magnificentiæ. Quanto  
 magis risisset , si vixisset nostra  
 ætate , ac Romæ ?

35. *Prætexta.* ] Palmata. Insigne

V. 30. *Contrarius alter.* Vet. schol. Puteanus cod. et duo codd. legunt  
*eo ntrarius auctor.*

Quid, si vidisset Prætorem curribus altis  
 Exstantem, et medio sublimem in pulvere Circi,  
 In tunica Jovis, et pictæ Sarrana ferentem  
 Ex humeris aulæa togæ, magnæque coronæ  
 Tantum orbem, quanto cervix non sufficit ulla? 40  
 Quippe tenet sudans hanc publicus, et sibi Consul

magistratum, sup. sat. I, 78. — *Trabeæ*. Supra VIII, 259. — *Fasces*. Sat. V, v. 110. — *Lectica*. Sat. I, v. 32. — *Tribunal*. In quo sedens prætor jus dicebat, sellâ nimirum curuli et eburneâ, eâque sublimi. At minores alii magistratus in subselliis tantum sedebant.

36. *Quid si vidisset.*] Si vidisset habitu triumphali prætorem aut consulem, quid de tanto fastu sensisset Democritus? — *Prætorem*. Idem qui nunc prætor, infr. v. 41, consul vocatur: nam, nomen *prætor* olim consulis ac ducis proprium fuit. — *Curribus altis*. Descriptio pompæ circensis, ornatusque consulis vel prætoris, cum ludos circenses curaret ac dispensaret. — *Curribus altis*. Curru eminebat non bellico, sed turris rotundæ formam habente, ut patet ex numismatibus Neronis, Vespasiani, Titi, Trajani, Antonini, Caracallæ et aliorum.

37. *Exstantem.*] Eminentem. —

*In pulvere Circi*. Nam, pompa circensis a Capitolio, ad medium ducebatur Circum.

38. *In tunica.*] Palmata, e templo Jovis accepta; ut et *toga* picta, acu et arte Phrygiâ elaborata, quæ propria triumphantium insignia fuere. — *Sarrana.... aulæa*. Tyria: nam, *Sarra*, priscum Tyri nomen, hoc est, aulæa purpurea.

39. *Aulæa togæ.*] Lepide, pro toga laxa et ampla et aulæo simili. Pariter Cic. Catilin. II, dixit: *velis amictos, non togis*.

40. *Tantum orbem.*] Si vidisset tantum orbem magnæ coronæ, id est, coronam auream tanti ponderis, ut, etc.

41. *Quippe tenet.*] supra caput triumphantis. — *Publicus*. Servus. Romanis publicos fuisse servos probat erudite Justus Lipsius, Elect. I, cap. 22. Hi ad publica ministeria deputabantur: annua quædam ad victum ac vestitum præstabat Respublica; libertatem

V. 36. *Prætorem curribus altis*. Codices quidam habent, *prætorem in curribus altis*: at præpositionis omissio Juvenali solemnitas: præterea, hoc loco, inutilis est ea præpos. cum in verbo *exstantem* includatur.

V. 37. *Et medio sublimem, etc.* Totum hunc versum ab ingenio interpolatoris, pompam Circi cum triumphali confundentis, profectum non male suspicatur Al. Rup. qui si deleteretur iste versus, omnia ad pompam, habitumque triumphalem referri possent. Apud omnes tamen codd. invenitur.

Ne placeat, curru servus portatur eodem.  
 Da nunc et volucrem, sceptro quæ surgit eburno,  
 Illinc cornicines, hinc præcedentia longi  
 Agminis officia, et niveos ad frena Quirites, 45  
 Defossa in oculis quos sportula fecit amicos.  
 Tunc quoque materiam risûs invenit ad omnes  
 Occursus hominum, cujus prudentia monstrat,  
 Summos posse viros, et magna exempla daturos,  
 Ververcum in patria, crassoque sub aëre nasci. 50  
 Ridebat curas, nec non et gaudia vulgi,  
 Interdum et lacrymas, cùm Fortunæ ipse minaci  
 Mandaret laqueum, mediumque ostenderet unguem.

etiam, si sedulam operam navassent.

42. *Ne placeat.*] Ne se nimis efferat consul, atque superbiat tali honore, servus eodem curru post eum portatur.

43. *Da nunc.*] Adde præterea. — *Volucrem, sceptro quæ surgit.* Consul manu tenebat sceptrum eburneum, imperii insigne, cujus capitulo insculpta erat *volucris*, aquila, præcipuum militare signum.

44. *Cornicines.*] Χορὸς καθαρισῶν τε καὶ τιτυρισῶν. Appian. Pun. 66. De hac quoque pompa triumphali, vid. Joseph. B. J. II, 17, et Plut. Vit. Aemilii Pauli. — *Hinc præcedentia.* Currum triumphalem.

45. *Agminis (longi) officia.*] Longus ordo ministrorum et asseclorum officii causâ præcedentium. — *Et niveos ad frena Quirites.* Clientes alba toga vestitos, circa currum, equosque ordine disposi-

tos, et honoris gratia ad pompam equos frenis tenentes, et manu circumducentes.

46. *Quos sportula fecit amicos.*] Satirice. Sportula accepta, non verus amor fecit amicos. — *Sportula defossa.* Satirice pariter in patronos. *Defossa* velut in terra, difficile exinde egressura, et parce data clientibus. De sportula, vid. sat. I, v. 95.

47. *Tunc.*] Etiam illa ætate, cùm parcus et innocentius quàm nunc homines viverent. — *Invenit.* Scilicet materiam risûs Democritus invenit, cujus prudentia, sapientia monstrat, etc.

49. *Summos... viros.*] Qui aliis exemplo esse debent, scilicet eximia ingenia posse nasci, etc.

50. *Ververcum in patria.*] Etiam in Thracia, ubi aër crassus homines facit bardos, stolidos ac rudes, vervecum instar.

53. *Mandaret laqueum.*] Locutio e trivio petita, et per con-

Ergo supervacua, aut pernicioſa petuntur,  
 Propter quæ fas eſt genua incerare Deorum. 55  
 Quosdam præcipitat ſubjecta potentia magnæ  
 Invidiæ, mergit longa atque inſignis honorum  
 Pagina; descendunt ſtatuiæ reſtemque ſequuntur:

temptum dicta. Sic quoque, *res-tim cape et suspende te*; ad quod respondent illa Gall. *Va te pendre*. — *Mediumque ostenderet unguem*. Indicium quoque erat contemptus et contumeliæ alicui ostendere *medium unguem*, vel ut Mart. II, 28, 2, *medium porrigere digitum*, qui *infamis* dicitur Persio II, 33. *impudicus*, Martiali, VI, 70, 5, et *κατ'ἀπυγος* scriptoribus Græcis, quia extensus ille digitus, reliquis contractis, pudendam speciem exhibet, eoque cinædi, vel molles designabantur, hinc porrectio ejus probrosa facta. Al. Rup.

54. *Ergo supervacua*.] Conclusio. Quæ cum ita sint, sup. 24 et seqq. supervacua, atque etiam pernicioſa vota, propter quæ fas est, scil. permittitur, vel potius vult usus, consuetudo nos *incerare*, etc.

55. *Genua incerare*.] Nam vota inſculpebantur, aut inſcribebantur in cerâ genibus ſtatuarum: incerabant igitur Deorum genua, qui votum susceptum signabant, ſequæ voti reos conſtituebant. Cæterum, veteres cerâ Deorum ſuorum ſimulacra in diverſis occaſionibus illinire conſueviſſe, id

probat Prudentii loco, lib. I, contra Symmach.

. . . . . Saxa illita ceris  
 Viderat, unguentoque Lares humescere nigros.

56. *Quosdam præcipitat*.] Alii ſummos honores votis appellant, qui tamen et sæpius hominibus pernicioſi ſunt, quod probatur exemplo Sejani, Pompeii, Cæſaris et aliorum. — *Subjecta potentia*. . . . *invidiæ*. Obnoxia, expoſita, ut plurimum, ideoque minime optabilis.

57. *Mergit*.] Idem, eo loco, quod ſupra *præcipitat*.

58. *Pagina*.] *Longa honorum*, id eſt, tot honorum tituli, ut vix una eos pagina capere poſſit. Non male vet. ſchol. « Aënea pagina ante imaginem collocata, « continens inſcriptos honorum « gradus: quam nunc dicunt tabulam patronatus. » — *Descendant ſtatuiæ*. Ex alta baſi deturbantur sæpe potentiorum ſtatuiæ. — *Reſtemque ſequuntur*. Injectâ reſte per vias raptantur, ac franguntur. Auctor Octaviæ, act. IV, in choro:

Quæcumque claro marmore effigies  
 ſtetit,

V. 54. *Supervacua aut pernicioſa*. Reſtitui ex omnibus Rupertianis et noſtris codicibus. Ita quoque omnes editiones priſcæ. At recentiores edd. Prat. Farnab. et alii metro timentes, ſcripſerunt, *ergo supervacua hæc, aut, etc*. Vid. ad ſat. I, v. 151.



Ipsas deinde rotas bigarum impacta securis  
 Cædit, et immeritis franguntur crura caballis. 60  
 Jam stridunt ignes, jam follibus atque caminis  
 Ardet adoratum populo caput, et crepat ingens  
 Sejanus: deinde ex facie toto orbe secundâ  
 Fiunt urceoli, pelves, sartago, patellæ.  
 Pone domi lauros, duc in Capitolia magnum 65  
 Cretatumque bovem: Sejanus ducitur unco

Aut ære fulgens, ora Poppææ gerens,  
 Adflucta vulgi manibus, et sævo jacet  
 Eversa ferro, membra per partes tra-  
 hunt  
 Deducta laqueis. . . . .

59. *Rotas bigarum.*] Statuæ au-  
 tem triumphales erant in curri-  
 bus bigis, aut quadrigis. — *Im-*  
*pecta securis cædit.* Currus eorum  
 triumphales æque securi cædun-  
 tur ac franguntur.

60. *Immeritis.... caballis.*] In po-  
 tentes noxios et damnandos po-  
 tius quàm in ipsos equos imme-  
 ritos salsa ironia.

61. *Jam stridunt ignes.*] Quibus  
 statuæ eorum funduntur. — *Ca-*  
*minis.* Fornacibus.

62. *Ardet adoratum populo ea-*  
*put.*] Hic versus et seqq. præstan-  
 tissimi et aptissimi ad pingendam  
 vulgi mobilitatem, simul et for-  
 tunæ inconstantiam, atque auli-  
 cis pericula imminetia.

63. *Sejanus.*] Ingens Sejanus,  
 adoratus a populo, prætorio præ-  
 fectus, et secundus a Tiberio Im-  
 per. cujus statuis sacra faciebant,

quemque Tiberii collegam ap-  
 pellabant, non in consulatu, sed  
 in orbis terræ imperio, ut ait  
 Xiphil. in Tiberio. Vid. Tacit.  
 Ann. IV, et Suet. Tib. 48. —  
*Ex facie toto orbe secundâ.* Et ex  
 statua hominis toto orbe secundi.

64. *Fiunt urceoli, etc.*] Vasa vi-  
 lia cujusque generis.

65. *Pone domi lauros.*] Hoc versu  
 et seqq. usque ad 89, præclare  
 finguntur vulgi murmura et ru-  
 mōres, audito supplicii Sejani  
 nuntio. — *Pone domi.* Verba po-  
 puli exsultantis lætitiâ. In feli-  
 cissimis eventis domus lauro de-  
 corabantur. — *Duc in capitolia ma-*  
*gnum.* Ut in triumphis, sacrifi-  
 candum Jovi, in gratiarum actio-  
 nem. Locus imitatus ex Lucretio:  
 Cretatumque bovem duci ad Capitolia  
 magna.

66. *Cretatumque bovem.*] Ni-  
 veum, candore similem cretæ,  
 vel potius bos ille *cretatus* dicitur,  
 quia cùm sæpe satis albos boves  
 non invenirent, maculas eorum  
 cretâ dissimulabant. Sic meta-

V. 61. *Stridunt.* Cod. Thuan. I, n° 8071 et Senatorius, n° 8073, et  
 quinque alii recentiores habent *strident*: at sermonis legibus aptius est,  
 hoc loco, præsens tempus.

Spectandus : gaudent omnes. Quæ labra ! quis illi  
 Vultus erat ! nunquam , si quid mihi credis , amavi  
 Hunc hominem. Sed quo cecidit sub crimine ? quisnam  
 Delator ? quibus indicibus , quo teste probavit ? 70  
 Nil horum : verbosa et grandis epistola venit

phorice Persius dicit , sat. V. *Cretata ambitio*. — *Sejanus ducitur unco*. Ad Gemonias. Sontium gutturi impingebatur uncus a carnifice , ut traherentur per arenam ad scalas Gemonias , aut mitterentur in Tiberim. Dio lib. LVII et LVIII , et Ovid. in Ibin : Carnificisque manu , populo plaudente , traheris ,  
 Infixusque tuis ossibus uncus erit.

67. *Spectandus*.] Spectaculo futurus , et ludibrio. — *Quæ labra ?* Quàm distorta ac deformata ? Hæc sunt verba populi ? — *Quis vultus ?* Quàm sævus et trux !

68 , 69. *Nunquam . . . amavi . . . hunc hominem*.] Confer hæc verba populi oscillantis , novarum rerum avidi , potentium , dum fortuna perstat , sectatoris et adulatoris , cum evolavit , osoris atque insolenti exsultantis lætitiâ ; confer , inquam , cum variis populi Parisini colloquiis , cumque maledictis et subsannationibus , quibus lacescebat damnatum istum atque ad supplicium tractum *Maximilianum Robespierre* , quem idem populus , paucos ante dies , ad cælum prope tulerat honoribus atque præconiis. Eundem audio

dicentem populum de nostro *δημαγωγοῖς* : *quæ labra ! quis illi vultus !* et , reipsa , illi vulnus erat ingens in maxilla inferiore , quod , ne vivus caperetur , sibimet breviori sclopeto intulerat. Quisque tunc vicino suo clamabat : *nunquam , si mihi credis , amavi hunc hominem*. Nunc vos , principes viri , populi blanditiis et adulatoriis verbis credite ! A.

69. *Quo cecidit sub crimine*.] Cic. pro Cælio. *Accusatio crimen desiderat , rem ut definiat , hominem ut notet , argumento probet , teste confirmet*.

70. *Quibus indicibus*.] Res est detecta ? — *Quo teste probavit*. Tiberius crimen ? Oratio abrupta tam brevitate suâ , quàm multitudine interrogationum populi curiositati et levitati consentanea.

71. *Nil horum*.] Responsio cuiusdam e plebe , forsitan amici Sejaniani. — *Nil horum* , quæ in iudicio capitali fieri solent , factum fuit. — *Verbosa et grandis epistola*. Xiphil. in Tiberio sic : *recitantur longæ litteræ , in quibus nihil erat perpetuum contra Sejanum*. Harum principium erat de aliis rebus scriptum : *subsequebatur brevis contra*

V. 70. *Indicibus*. Ita antiquissimi et optimi nostrorum codd. Alexandr. Putean. Mazarin. Fauchet. Belgicus , etc. Alii , sed recentiores , *indiciis* : non male quoque.

A Capreis. Bene habet, nil plus interrogo. Sed quid  
 Turba Remi? Sequitur fortunam, ut semper, et odit  
 Damnatos. Idem populus, si Nursia Tusco  
 Favisset, si oppressa foret segura senectus 75  
 Principis, hac ipsâ Sejanum diceret horâ  
 Augustum. Jam pridem, ex quo suffragia nulli

*eum expostulatio: post, alia quædam diversa: rursus, in Sejanum aliquid: ad extremum, scribebat in duos senatores familiares huic animadverti oportere, ipsum esse in custodia retinendum.* Sævus enim ille, idemque callidus imperator verebatur, ne populi tumultus fieret, si se aperte Sejani infensum hostem ostenderet. At, Nervius Sertorius Macro, qui a Tiberio in locum Sejani præfecti prætorio substitutus, et cum his litteris ad senatum missus erat, veram Imperatoris mentem ac voluntatem clam, et cuique privatim, declaraverat. Suet. Tib. cap. 65. Dio LVIII, 4—8.

72. *A Capreis.*] Hodie Capri, insula ad sinum Neapolitanum, et Sirenum scopulos, ubi villa fuit Jovis et arx Tiberii, qui, relicto Romæ Sejano, ibi secesserat; ut libidinibus indulgeret.—*Bene habet.* Verba illius qui prior locutus fuerat. Sic Græci, καλῶς ἔχει! — *Nil plus interrogo.* Jam omnem rem tenco. — *Sed quid?* Agit aut sentit.

73. *Turba Remi.*] Plebs Romana

e Romulo et Remo. — *Sequitur fortunam.* Egregiâ illâ tabulâ, ad vivum depingitur non solus populus Romanus, verum quilibet omnis, cujus favor eodem quo fortuna se inclinât, cujusque fides cum fortuna stat et cadit. Unde Horat. od. I, 1, 7: *mobiliū turba Quiritium.*

74. *Nursia.*] Volsinensium Dea. Vid. Tit. Liv. VII, 3, et Tertull. Apolog. c. 24. *Aesculanorum Dea Ancaria, Volsinensium Nursia, Sustrinorum Nortia.* — *Tusco.* Sejano. Natus enim ille erat Volsiniis, Etruriæ oppido, hodie *Bolsena.*

75. *Si oppressa foret.*] A Sejano. — *Senectus principis.* Eleganter pro principe ipso. Si Sejanus, favente Nursia, Dea suæ gentis, oppressisset Tiberium.

76. *Hac ipsa Sejanum, etc.*] Imperatorem proclamaret.

77. *Suffragia nulli.*] Ex quo a populo ad principes jus eligendi summos magistratus delatum est: antea enim populi suffragia venalia erant. Non autem suffragiorum nundinationem sublatam,

V. 73. *Turba Remi.* Ita vet. schol. Puteanus, Pithoei codex, n° 8072, et Gudianus I, Al. Rup. Cæteri omnes, *turba tremens.* Unde ista varietas? nescio. Forte e glossa vox *tremens* in contextu irrepsit, ac *Remi* locum cepit, quod est vividius ac magis satiricum.

V. 74. *Nursia.* Sic apud plerosque codd. scribitur hoc nomen, et ap.

Vendimus, effudit curas : nam, qui dabat olim  
 Imperium, fasces, legiones, omnia, nunc se  
 Continet, atque duas tantum res anxius optat, 80  
 Panem et Circenses. Perituros audio multos.  
 Nil dubium, magna est fornacula : pallidulus mî  
 Brutidius meus ad Martis fuit obvius aram.  
 Quàm timeo, victus ne pœnas exigit Ajax,

sed libertatem ademptam hic dolet Juvenalis. A.

78. *Effudit curas.*] Supple *populus*. Scill *populus* omnem rei-publicæ administrandæ curam abjecit.

79. *Imperium.*] Dictaturas, consulatus, præturas. — *Imperium*. tam civile, quàm militare.

80. *Continet.*] Libertatis suæ ac majestatis oblitus, satis sibi esse putat victitare, et ludis frui.

81. *Panem et Circenses.*] Ludos Circenses et panem, quos *anxius*, anxie optat et cupide; contentus dummodo victum habeat et voluptatem. — *Panem*. Sportulas et congiaria, tesseras largitionesque frumentarias. Vid. sup. VII, 174. Tacit. Ann. I, 2. *Cæsar ubi militum donis, populum annonâ, cunctos dulcedine otii pellexit, insurgere paulatim, munia senatûs, magistratum, legum in se trahere, nullo adversante, cum ferocissimi per acies, aut proscriptione cecidissent, cæteri nobilium, quanto quis servitio prom-*

*ptior, opibus et honoribus extollerentur, ac novis ex rebus aucti, tuta et præsentia, quàm vetera et periculosa mallent.* — *Perituros audio multos*. Verba civis cujusdam. Hæc autem omnia, a versu 69 usque ad 89, sub specie dialogi inter duos cives legi debent.

82. *Magna est fornacula.*] In qua ardet Sejanus, atque plures alios continere potest. Hoc diminutivum *fornacula* cum epitheto *magna* *Dusaulx* reprehendit: at, solemne atque usitatum fuisse Juvenali contraria contrariis jungere jam pridem vidimus. — *Pallidulus*. Metu mortis. A.

83. *Brutidius meus.*] Brutidius Niger, ædilis, rhetor et historicus, de quo vid. Tac. Ann. III, 66 et Sen. Suasor. VII. — *Meus*. Amicus. — *Ad Martis aram*. In vicis atque foris aræ erant exstructæ sine templis, ut *ara maxima* Herculi dicata, de qua vid. sat. VIII, v. 13. A.

84. *Quàm timeo, etc.*] Sensus est:

Tit. Liv. VII, 3, et Tertull. Apol. cap. 24, non *Nurscia*, ut habent quædam recentt. edd. Quidam codd. et editt. prisc. legunt *Nortia*, male: nam, hæc fuit *Sutrinorum*, illa *Volsiniensium* Sejani popularium Dea.

V. 81. *Panem et Circenses*. Omnes fere nostri codd. et Ruperiani, et edd. prisc. habent *Pana et Circenses*, id est, ludos Lupercales in honorem

Ut male defensus! Curramus præcipites, et, 85  
 Dum jacet in ripa, calcemus Cæsaris hostem.  
 Sed videant servi, ne quis neget, et pavidum in jus  
 Cervice obstrictâ dominum trahat. Hi sermones  
 Tunc de Sejano, secreta hæc murmura vulgi.

Quam, quantopere timeo, ne (Tiberius), ut alter Ajax victus atque furibundus, in quoslibet obvios desæviat, exigat pœnas. Ajax ab Ulysse victus eloquentiâ, in judicio de armis Achillis, dolore et ira in rabiem versus gladio et flagello in pecudes irruit. De quo vid. Sophoclis Αἴας μαστιγοφόρος.

85. *Ut male defensus.*] Tiberius se et suam majestatem a senatu et civibus male defensam ratus, et arguens. Præclara comparatio Tiberii post interitum Sejani furentis, et in omne civium genus sævientis (vid. Suet. Tib. cap. 61, 62), cum Ajace furibundo in pecudes irruente. Alii hæc aliter explicant, quasi Brutidius ipse male defensus, id est, ab accusatoribus suis oppressus, sibi mortem consciverit: sed huic interpretationi leges linguæ Latinæ repugnant; nam nullibi *exigere pœnas* in eodem sensu quo *dare pœnas* legitur.—*Curramus præcipites.* Imago

populi servilis, et ad servitutem nati. A.

86. *Dum jacet in ripa.*] Sub scalis Gemoniis insepultus. Καὶ αὐτὸν ὁ ὄμιλος τρίσιν ἡμέραις διωμήνατο, καὶ μετὰ τοῦτο ἐς τὸν ποταμὸν ἐνέβαλε. Dio, lib. LVIII. —*Calcemus Cæsaris hostem.* Calcemus pedibus, quod est contemptus et odii signum, ut λέξις ἐν γήθεισι βαίνων apud Homer. Il., v. 618, ἐχθροῖσιν ἐπεμῆναι ποδῖ, ap. Soph. in Electra.

87. *Sed videant servi.*] Ne quis eorum neget nos id fecisse, et nos deferat tanquam amicos Sejani. Servis ut dominos liceret accusare potestatem dederat Tiberius. Præterea in criminibus læsæ majestatis, servi delatores atque testes accipiebantur: quod patet ex lege famosi Titul. Pandect. ad legem Juliam majestatis, et lege 6 et 7.

88. *Cervice obstrictâ.*] Constrictâ laqueis, collo obtorto. Notum est iis, qui in jus vocati non irent, manus laqueosque injici, eosdem-

Panos, et ludos *Circenses*, aut *Pannum*, ut designentur quoque ludi, et ludorum *Circensium* spectandorum insana cupiditas, quâ ardebant Romani. Vid. de *Panno* infra sat XI, v. 196. Sed, male, hoc loco, duo synonyma jungerentur *Pana* seu *pannum*, et *Circenses*, ubi sermo est de populo *duas res* præ reliquis optante. Vulgata certe lectio venustior et aptior est; sed nullâ aliâ firmatur auctoritate. Forsan quoque lectio codd. *Pana* seu *Pannum*, ex compendio scripturæ *Pan*, cum signo (-), vel (~~~), insuper posito, pro *panem*, orta est. Puteanus cod. et Thuaneus I, n° 8071, habent quoque *panem*.

Visne salutari sicut Sejanus ? habere 90  
 Tantumdem, atque illi sellas donare curules,  
 Illum exercitibus præponere ? tutor haberi  
 Principis angustâ Caprearum in rupe sedentis  
 Cum grege Chaldæo ? vis certe pila, cohortes,  
 Egregios equites, et castra domestica ? quidni 95

que in jus trahi vel rapi potuisse.

90. *Visne salutari.*] Sermonem repetit poëta. Quæ cum ita sint, inquit, visne eximios Sejani honores tibi tribui, et ejus postea fortunam experiri ?

91. *Tantumdem.*] Divitiarum et potentiae. — *Atque illi, etc.* Id est, tuo arbitrio creare magistratus curules, et præfectos. — *Donare illi, etc.* Alteri præfecturas legionum, etc. — *Sellas. . . curules.* Magistratus, dignitates, quibus erat jus curuli sellâ vehi, et in ea sedendo judicia exercere.

92. *Illum.*] Alterum. — *Tutor haberi.* Defensor principis et imperii, vel potius vicarius ejus in imperio. Hoc ironice dictum in Tiberium, qui Sejani quasi pupillus in ejus tutelam sponte venerat.

93. *Caprearum in rupe sedentis.*] Nam Tiberius *Capreas se contulit, præcipue delectatus insulâ, quòd uno parvoque littore adiretur, septa undique præruptis immensæ altitudinis*

*rupibus et profundo mari.* Suet. in Tib. cap. 40. — *Sedentis.* Sedere, ἵσθαι et καθῆσθαι, præclare de ignavo otio, et vita obscura, quam per septem annos, usque ad finem vitæ turpiter egit Tiberius: forsân et hoc verbo *sedentis*, turpissimum id notavit, quod narrat Suet. Tib. cap. 43: *Secessû vero Capreensi etiam sellariam excogitavit sedem arcanarum libidinum, etc. . . .*

94. *Cum grege Chaldæo.*] Cum mathematicis. Nam ὁ Τιβερίος ἐμπειρότατος τῆς διὰ τῶν ἄστρον μαθητικῆς ἦν. Dio, LVIII. — *Vis certe.* Certe cuperes imperium quodcumque militare. — *Pila*, proprie pilum, alias hastile, spiculum: ab eo primipilus dictus primus centurio. Hic *pila* et quidem prima centurionum pila, hoc est, primipilatus, qui militiæ gradus et altus, et valde quæstuosus erat. — *Cohortes.* Forsân, hoc loco, tribunatus militum.

95. *Egregios equites.*] Munus et

V. 91. *Sellas.* Ita omnes fere codd. paucis exceptis, et veteri schol. qui habent, *summas*; et interpretantur *summas*, majores dignitates curules.

V. 93. *Angustâ.* Hanc lectionem habent optimi et antiquissimi codd. at, quidam habent *augustâ*, scilicet, imperatoriâ, sanctâ ac venerabili, quoniam principis fuit secessus. Venustius vero et mordacius epitheton *angustâ*. Fingat enim sibi lector Imperatorem Romanum et Augustum in parva et petrosa insula *sedentem*.

Hæc cupias ? et , qui nolunt occidere quemquam ,  
 Posse volunt. Sed quæ præclara et prospera tanti ,  
 Ut rebus lætis par sit mensura malorum ?  
 Hujus , qui trahitur , prætextam sumere mavis ;  
 An Fidenarum , Gabiorumque esse potestas , 100  
 Et de mensura jus dicere , vasa minora  
 Frangere pannosus vacuis Aedilis Ulubris ?  
 Ergo quid optandum foret , ignorasse fateris  
 Sejanum : nam qui nimios optabat honores ,  
 Et nimias posebat opes , numerosa parabat 105

dignitatem equitum illustrium et laticlaviorum. — *Castra domestica.* Milites ad tuam custodiam.

96. *Et, qui nolunt, etc.*] Et, vero, cur non hunc honorem ambires? Quis non libenter potestatem, jus interficiendi habeat, quamvis eo uti nolit? adeo dominandi cupiditas in hominum animis ingenua videtur!

97. *Sed quæ præclara et prospera tanti.*] Aestimanda sunt, ut ea acquiras, eâ lege, ut iis in posterum non minus mali atque infortunii admixtum sit?

99. *Hujus qui trahitur.*] Sejani, qui trahitur, ducitur unco. Sup. v. 66. — *Prætextam.* Summos honores, magistratus, quorum *prætexta* nota erat, et ornamentum.

100. *Fidenarum Gabiorumque.*] Fidenæ et Gabii minora oppida, municipia veteris Latii. — *Esse potestas.* Fungi honoribus magistra-

tum, qui, ut minores sunt, eo securi magis, et a magno periculo tuti.

101. *Et de mensura, etc.*] Aediles, infimi magistratus ponderibus et mensuris præerant, et quæ iniqua essent ab iis frangebantur, unde infra, *vasa minora frangere.*

102. *Pannosus.*] Pannis vestitus. — *Ulubris.* Ulubræ tenuæ oppidum Latii, prope Velitras. — *Vacuis.* Ut supra, III, v. 2.

103. *Ergo, etc.*] Ergo Sejan. ignorasse fateris vera bona; nam, etc.

105. *Numerosa parabat.*] Elegantissima comparatio Sejanicum illo, qui modicis ædibus non contentus, turrim multorum tabulorum exstruit; unde *altior est casus, et immane præceps ruinæ.* Sic Horat. lib. II, od. 10, v. 10. . . . . Excelsæ graviore casu Decidunt tures. . . . .

V. 97. *Tanti.* Maxima pars codd. habet *tantum*, et sic interpretantur: quænam usque adeo bona sunt, ut non mala habeant admixta? At, in hoc sensu, mox *ut non* dicendum erat, nec simpliciter *ut*. Vide supra commentarium.

Excelsæ turris tabulata, unde altior esset  
 Casus, et impulsæ præceps immane ruinæ.  
 Quid Crassos, quid Pompeios evertit? et illum,  
 Ad sua qui domitos deduxit flagra Quirites?  
 Summus nempe locus nullâ non arte petitus, 110  
 Magnaque Numinibus vota exaudita malignis.  
 Ad generum Cereris sine cæde et vulnere pauci  
 Descendunt reges, et siccâ morte tyranni.  
 Eloquium, ac famam Demosthenis, aut Ciceronis  
 Incipit optare, et totis Quinquatribus optat, 115

Et Claudian. in Rufin. I, 21 :  
 . . . . . jam non ad culmina rerum  
 Injustos crevisse queror : tolluntur in  
 altum,  
 Ut lapsu graviore ruant. . . . .

108. *Quid Crassos.*] M. Licinium Crassum cum P. Crasso filio in-teremptum in bello Parthico. — *Pompeios.* Cn. Pompeium Magnum, Cneium et Sextum, quorum historia satis vel tironibus nota. — *Et illum.* C. Julium Cæsarem.

109. *Ad sua qui domitos.*] Hoc est in servitutum redigit Romanos : nam, liberæ reipublicæ temporibus, *flagris*, flagellis servos tantum, non cives Romanos cedere fas erat. Cæterum, semper *flagrum* dominationis symbolum fuit.

110. *Summus nempe locus.*] Immodica nempe regnandi libido. — *Nullâ non arte.* Per fas et nefas, omni modo quæsita, eos evertit.

111. *Vota exaudita.*] Vota immensa a Diis iratis exaudita. *Eo,*

inquit Senec. Epist. 60, *vota inimiciora, quo cessere felicius : inde,* ait Gronov. Obs. III, 15, *maligni Dii, qui nos exaudierunt, ut, cum ad summa erecti, in profundum detruderent.*

112. *Ad generum Cereris.*] Ad Plutonem.

113. *Siccâ morte.*] Vet. schol. « Morte incruentâ, ac per hoc « naturali, morte suâ. » Ἀὐτομάτῳ θανάτῳ. Cæterum, a C. Julio Cæsare, qui primus de libertate Romana insolenter triumphavit, triginta et plures sub ferro domestico cecidere imperatores. A.

114. *Eloquium ac famam Demosthenis.*] Alii votis expetunt eloquentiam, quæ multis pernicioiosa fuit, quod probatur exemplo Demosthenis et Ciceronis.

115. *Totis Quinquatribus.*] Per illos quinque dies, quibus sacra Minervæ peragebantur, unde nomen. Ovid. Fast. III. Primo die sacrificia peragebantur ; secundo, tertio et quarto gladiatores de-

V. 114. *Eloquium ac famam.* Quidam codd. et edd. prisc. *eloquium, aut famam*, pari fere sensu.



Quisquis adhuc uno partam colit asse Minervam,  
 Quem sequitur custos angustæ vernula capsæ.  
 Eloquio sed uterque perit orator : utrumque  
 Largus et exundans leto dedit ingenii fons.

Ingenio manus est et cervix cæsa ; nec unquam 120  
 Sanguine caudidici maduerunt rostra pusilli.

*O fortunatam natam, me Consule, Romam!*

pugnabant; quinto urbs lustrabatur. Alii post Varronem et Festum nomen deducunt, ex eo quòd illud festum celebraretur die quinto post Idus Martias. Vide Alex. ab Alex. lib. II, cap. 22, et Gell. lib. II, cap. 21. — *Optat.* Quilibet nimirum tirunculus laudis et gloriæ amore inflatus Minervam sapientiæ Deam fatigat votis, per quinque dies illi Deæ consecratos.

116. *Quisquis adhuc uno, etc.* ] Qui vix prima scientiarum ac eloquentiæ rudimenta delibavit, et parvam adeo mercedem præceptoris hactenus dedit. Pretium præceptoris debitum in Quinquatribus persolvebatur; quòd si a novis discipulis daretur, magistri id exiguum Minervæ offerebant; unde illi nomen *Minerval* inditum. Alii ex auctoritate vet. schol. ita interpretantur: *quisquis uno asse partam*, emptam *Minervam colit*, quòd imagunculas Minervæ ad ludos pueri habebant: non minus ad rem eorum est explicatio. A.

117. *Quem.* ] Puerulum. — *Sequitur... vernula.* Servus capsarius, id est, qui fert capsam, capsulam, in qua libri sunt reconditi.

Hoc ad notandam discipuli infantiam.

118. *Eloquio... uterque perit.* ] Quo usus est Demosthenes in Antipatrum, et Cicero in Antonium.

119. *Largus... ingenii fons.* ] Vid. sup. v. 9 et 10.

120. *Ingenio.* ] Propter ingenium suum Ciceroni cæsa est cervix, etc. . . . Caput Ciceronis jussu Antonii, a Popilio Læna quodam tribuno militum, quem olim in causa capitis defenderat, abscisum, et affixum rostris fuit, e quibus orationes illæ erant dictæ.

122. *O fortunatam.* ] Facete hunc versum Ciceronis eo loco retulit poëta ad exprimendam, quæ verissima est, sententiam: si tam malus fuisset orator Cicero, quàm malus poëta, non adeo infeliciter periisset. Cæterum, veteres non tantum hunc versum (quem frustra Turneb. Advers. VII, 19, defendere conatur) propter *κωφονίαν* irriserunt; sed et omnia Ciceronis carmina; inter quos, Seneca pater, Declam. lib. III, Seneca Philosophus de Ira, cap.

Antonî gladios potuit contemnere, si sic  
 Omnia dixisset. Ridenda poëmata malo,  
 Quàm te conspicuæ, divina Philippica, famæ, 125  
 Volveris a prima quæ proxima. Sævus et illum  
 Exitus eripuit, quem mirabantur Athenæ  
 Torrentem, et pleni moderantem frena theatri.  
 Dîs ille adversis genitus, fatoque sinistro,  
 Quem pater ardentis massæ fuligine lippus 130  
 A carbone, et forcipibus, gladiosque parante

XXXVII. Quint. IX, 4, 4. Mart. et alii.

123. *Antonî gladios contemnere.*] Ad hæc alludit verba Ciceronis in eadem secunda Philippica, 46. *Contempsi Catilinæ gladios, non pertimescam tuos.* Illa tamen oratio mortis ejus causa et origo fuit.

125. *Quàm te... divina Philippica.*] Hæc oratione, omnia Antonii flagitia Cic. commemorat, et acerrime in eum invehitur.

126. *Volveris a prima quæ proxima.*] Id est, secunda quæ legeris. Orationes suas in Antonium XIV *Philippicas* inscripsit, non Antonianas, quòd libertate dicendi et eloquentiâ Demosthenem imitatus sit, qui in Philippum, quas scripsit orationes, eas Philippicas appellavit.—*Sævus et illum.* Demosthenem, qui ne Antipatro traderetur, cùm jam a satellitibus comprehenderetur, venenum hausit.

128. *Torrentem.*] Vid. sup. III, 74. — *Moderantem.* Flectentem Athenienses quo vellet, et ire cogentem. — *Pleni... theatri.* Pas-

sim theatrum sumitur pro concione populi: ibi enim consultare Græcis mos erat.

129. *Dîs... adversis genitus.*] Ut, *natus Diis iratis et Vertumnis iniquis.* Horat. sat. II, 3, 8, 7, 14.

130. *Quem pater.*] Pater Demosthenis fuit faber ærarius. Plutarch. in vit. Demosth. ἦν μὲν τῶν καλῶν καὶ ἀγαθῶν ἀνδρῶν, ὡς ἰσοραΐ Θεόπομπος· ἐπεκαλεῖτο δὲ Μαχαιροποιὸς, ἐργαστήριον ἔχων μέγα καὶ δούλους τεχνίτας τοῦτο πράττοντας. Non autem ipse fabricabat, sed officinam solummodo habebat. — *Fuligine lippus.* Nam, *opifices per quorum manus sterile terræ genus et informe perpurgatur, multâ fuligine oblinuntur.* Senec. Ep. 94.

131. *A carbone, etc.*] Ab officina sua æraria, ad scholas rhetorum misit, ut animum ad artem litterariam, et studium eloquentiæ appelleret. Aliter tamen Plutarch. loco præcit. neque ad rhetorem se contulisse, nisi post mortem patris, cùm jam septennis esset, et audito Callistrato oratore,

Incude, et luteo Vulcano ad Rhetora misit.  
 Bellorum exuviæ, truncis affixa tropæis  
 Lorica, et fracta de casside buccula pendens,  
 Et curtum temone jugum, victæque triremis  
 Aplustre, et summo tristis captivus in arcu,  
 Humanis majora bonis creduntur: ad hoc se

135

132. *Luteo Vulcano.*] Ex officina æraria: nam poëta ad officinam Vulcani in Lemno vel Lipara respexisse videtur. — *Luteo*, atrâ, squalidâ, deformi, fuligine obsitâ: nam, fabrorum vultus et manus fumo squalere ac nigrari solent.

133. *Bellorum exuviæ.*] Alii gloriâ militarem et triumphos a Diis petunt; quæ cupiditas ipsis deinde et patriæ perniciosa est. — *Bellorum exuviæ.* Spolia e tropæis suspensa. — *Tropæis.* Tropæum dicitur a τροπή, conversio in fugam. Nam tropæum erigebant victores in eo loco ubi hostes versi in fugam fuerant. — *Truncis.* A prisca eorum forma tropæa dicuntur *trunca*: nam detruncatis arboribus, vel earum truncis spolia victorum affigebantur.

134. *Lorica.*] Olim ex loris fiebat: jam ex ferro et ferreis annulis. — *De casside buccula pendens.* In galea, seu casside, erant *bucculae* duæ (laminæ e ferro vel corio flexibiles), quæ malas utraque tegebant, quæque Suidæ ὀχσίς vocantur.

135. *Et... jugum.*] Currum. —

*Curtum temone.* Mutilatum, carens temone.

136. *Aplustre.*] Ornamentum puppis, tabulatum, in quo fingebantur figuræ quædam, ut Tritones, aliique æquoris Dii minores. Ibi erigebatur baculus a quo pendeat vexillum navale, quod motus venti indicabat. Cic. in Arato,

Navibus assumptis fluitantia quærere aplustra.

— *Tristis captivus.* In arcûs triumphalis superiori parte erant spatia quædam in quibus cum victoribus currus erant ære expressi, et sub pedibus duces *captivi* habitu *tristi*. Prud. Advers. Symmach.

... Frustra igitur summo miramur in arcu

Quadrjugis stantesque duces in curribus altis

Fabricios, Curios, hinc Drusos, inde Camillos:

Sub pedibusque ducum captivos poplite flexo,

Ad juga depressos, manibusque inter terga retortis.

137. *Humanis majora bonis.*] Scilicet, prope divina. — *Ad hoc se.* Vet. schol. « Id est, non propter virtutem posse volunt, sed pro-

V. 137. *Ad hoc se.* Restitui ex omnibus codd. nostris, tribus exceptis, qui habent, *ad hæc se*, scilicet, bona supra memorata.

Romanus, Graiusque, ac Barbarus Endoperator  
 Erexit : causas discriminis, atque laboris  
 Inde habuit : tanto major famæ sitis est, quàm 140  
 Virtutis. Quis enim virtutem amplectitur ipsam,  
 Præmia si tollas? Patriam tamen obruit olim  
 Gloria paucorum, et laudis, titulique cupido  
 Hæsuri saxis cinerum custodibus; ad quæ  
 Discutienda valent sterilis mala robora ficûs : 145  
 Quandoquidem data sunt ipsis quoque fata sepulchris.  
 Expende Annibalem : quot libras in duce summo  
 Invenies? Hic est, quem non capit Africa Mauro  
 Percussa Oceano, Niloque admota tepenti,

« pter famam et gloriam, cu-  
 « jus causa, imperium assum-  
 « ptum est. »

138. *Romanus...* Endoperator.]  
 Romani duces, ut Marius, Sulla,  
 Crassus, Pompeius, Cæsar et alii.  
 — *Graius*. Ut Pausanias, Lysan-  
 der, Alexander, etc. — *Barbarus*.  
 Xerxes, Annibal, Jugurtha, Mi-  
 thridates, etc.

139. *Discriminis*.] Periculorum.

140. *Sitis*.] Cupiditas.

141. *Quis enim virtutem amplec-  
 titur ipsam*.] Ovid. II, de Ponto :  
 Iste decor recti, facti si præmia desint,  
 Non movet, et gratis pœnitet esse  
 probum.

143. *Gloria paucorum*.] Marii,  
 Sullæ, Pompeii, Cæsaris, etc.

144. *Hæsuri saxis*.] Inscribendi  
 sepulchris, in quibus recondun-  
 tur cineres defunctorum.

145. *Discutienda*.] Quæ sepul-

chra dissolvere possunt, etc. —  
*Mala robora*. Noxiæ vires. — *Ste-  
 rilis... ficûs*. Caprifici, figuier sau-  
 vage, cujus natura ea est, ut in  
 commissuris saxorum erumpat  
 innata, eaque scindere, atque de-  
 jicere queat.

146. *Data... quoque fata se-  
 pulchris*.] Auson. epig.

..... monumenta fatiscunt;  
 Mors etiam saxis nominibusque venit.

147. *Expende Annibalem*.] Ejus-  
 que ambitionem et fata. — *Quot  
 libras*. Quàm exiguus ille erit, qui  
 tantus olim!

148. *Africa Mauro percussa Occa-  
 no*.] Atlantico mari, quod Afri-  
 cam alluit ab occidente, et patet  
 ad Nilum usque Aegypti flumen.  
 Nam veteres geographi Nilum  
 terminum esse Africæ docebant.

149. *Niloque... tepenti*.] Irri-  
 ganti tepentem Aegyptum.

V. 138. *Endoperator*. Pro imperator. Vid. ad sat. IV, v. 29.

V. 149. *Percussa*. Restitui ex omnibus nostris codd. Puteano excepto,

Rursus ad Aethiopum populos, aliosque elefantos! 150  
 Additur imperiis Hispania : Pyrenæum  
 Transilit : opposuit natura Alpemque nivemque ;  
 Diducit scopulos , et montem rumpit aceto.  
 Jam tenet Italiam : tamen ultra pergere tendit :  
 Actum , inquit , nihil est , nisi Pœno milite portas 155  
 Frangimus , et mediâ vexillum pono Suburrâ.  
 O qualis facies , et quali digna tabellâ ,

150. *Rursus ad Aethiopum populos.* ] Deinde supra Aegyptum , usque ad Arabicum sinum. Hæc pars designat interiorem Africam: nam Mauritiâ his designata *Africa Mauro percussa Oceano* , indicat Africæ occiduam partem ; *Niloque admota tepenti* , orientalem ; *rursus ad Aethiopum* , etc. interiorem. — *Aliosque elefantos.* Nam et India fert quoque elefantos , et maximos. Ita, *hic ille est , quem tota non capit Africa.*

151. *Additur imperiis Hispania.* ] Tam vasto , ut est Africæ , imperio additur etiam Hispania.

152. *Opposuit natura.* ] Hic egregie pingitur transitûs Alpium difficultas. Similiter , nec minus eleganter Horat. lib. I , od. 3 , 21 :

Nequicquam Deus abscedit  
 Prudens Oceano dissociabili  
 Terras : si tamen impie  
 Non tangenda rates transiliunt vada.

153. *Montem rumpit aceto.* ] An-

nibal struem lignorum ingentem subscidit , atque saxa ardentia putrefecit aceto ; quod notum est ex Tito Livio , lib. XXI , 37 , et App. An. cap. 4. Ea tamen de re nihil refert Polybius : quod ille factum , si verum fuisset , nequaquam silentiô præteriisset. — *Rumpit aceto.* Plinius , lib. XXIII , ostendit *acetum* infusum saxa *rumpere* , quæ non ruperit ignis antecedens. Nota autem hanc temporum præsentium congeriem *deducit , rumpit , tendit , tenet* , ad augendam rei sublimitatem.

156. *Vexillum pono Suburrâ.* ] Frequentissima et celebratissima urbis Romæ regio.

157. *O qualis facies.* ] Quàm ridicula. Locus præclarus et affectibus salibusque rei aptissimis referta. — *Quali digna tabellâ.* Quàm digna quæ pingeretur. Nam , deformes sæpe in derisum a pictoribus pinguntur , et tales picturas Galli vocant *caricatures.*

qui habet *perfusa* , id est irrigata. Nostra lectio præferenda videtur. *Percussa Oceano* , id est , ejus fluctibus pulsata et verberata.

V. 153. *Diducit.* Codd. permulti habent et edd. prisc. *diduxit.* Idem *rupit.* At , a nostra parum differt ea lectio. Quidam contra *deducit* , solemni permutatione. Vid. ad XIII , 132.

Cùm Gætula ducem portaret bellua luscum !  
 Exitus ergo quis est ? O gloria ! vincitur idem  
 Nempe, et in exilium præceps fugit, atque ibi magnus,  
 Mirandusque cliens sedet ad prætoria regis, 161  
 Donec Bithyno libeat vigilare tyranno.  
 Finem animæ, quæ res humanas miscuit olim,  
 Non gladii, non saxa dabunt, non tela ; sed ille  
 Cannarum vindex, ac tanti sanguinis ultor 165  
 Annulus. I, demens ! i, sævas curre per Alpes,  
 Ut pueris placeas, et declamatio fias !  
 Unus Pellæo juveni non sufficit orbis :

158. *Gætula... bellua.*] Hoc est, elephantus.—*Luscum.* Elephanto vectus Annibal, Arno fluvio solito magis exundante per Etruriam, vigiliis et nocturno humore, palustrique cælo gravante caput, quia nec medendi locus, nec tempus erat, altero captus oculo, luscus, id est, unoculus factus est. Tit. Liv. XXII, 2, Polyb. III, 79, et Corn. Nep. Annibal.

159. *O gloria!*] Quàm brevis fuit et fallax !

160. *In exilium præceps fugit.*] Et primum ad Antiochum Syriæ regem, deinde ad Prusiam Bithyniæ regem.

161. *Ad prætoria.*] Regiam, palatium, ut sup. I, 75.

162. *Donec... libeat vigilare.*] Et clienti aditum concedere.

163. *Finem.*] Mortem.

165. *Cannarum vindex.*] Annulus. Nam Annibal a Romanis per Flaminium eorum legatum repositus a Prusia, atque ab eo pæne deditus periit, hausto veneno, quod sub annuli gemma multo ante præparatum habebat. Ita, recte hic *annulus* ponitur *Cannarum vindex*, quasi annulorum, quos Mago Carthaginem tulerat, quorum tantus fuit acervus, ut metientibus dimidium super tres modios extitisse quidam sint auctores.

166. *I, demens!*] Sarcasmus in Annibalem, et gloriæ militaris studiosos.

167. *Declamatio fias!*] ut pueris materiam declamationis præbeas in rhetorum scholis, ut sup. sat. VII, 161.

168. *Pellæo juveni.*] Alexandro Magno ex Pella urbe Macedoniæ

V. 160. *Præceps fugit.* Antiquissimi codd. habent ita. At recentiores, *abit.* Vividior est nostra lectio.

V. 166. *I, demens! i, sævas, etc.* Ita habent omnes nostri fere codd. Quidam, *O demens, et sævas, etc.* Et duo, *ah demens!*

Aestuat infelix angusto limite mundi,  
 Ut Gyari clausus scopulis, parvâque Seripho. 170  
 Cùm tamen a figulis munitam intraverit urbem,  
 Sarcophago contentus erit. Mors sola fatetur,  
 Quantula sint hominum corpuscula. Creditur olim  
 Velificatus Athos, et quidquid Græcia mendax

regia oriundo.—Unus... non sufficit orbis. Alexandri magni pectus insatiabile laudis, qui, Anaxarcho comiti suo, ex auctoritate Democriti præceptoris sui innumerabiles esse mundos referenti, heu me, inquit, miserum, quòd ne uno quidem adhuc potitus sum! Val. Max. VIII, 14. De Alexandro, poëta satiricus noster, sat. VIII :

... cet é cervelé qui mit l'Asie en cendre :  
 Ce fougueux l'Angely qui de sang altéré,  
 Maître du monde entier s'y trouvait trop serré :  
 L'enragé qu'il était, né roi d'une province,  
 Qu'il pouvait gouverner en bon et sage prince,  
 S'en alla follement, et pensant être Dieu,  
 Courir comme un bandit qui n'a ni feu ni lieu,  
 Et traînant après soi les horreurs de la guerre,  
 De sa vaste folie emplir toute la terre.  
 Heureux ! si de son temps, pour de bonnes raisons,  
 La Macédoine eût eu des petites maisons.  
 De eodem Lucanus lib. X, v. 20 :  
 Illic Pellæi proles vesana Philippi  
 Felix PRAEEDO jacet. . . . .

169. *Aestuat infelix.* ] Sic orbe toto se coarctatum putat, ut si Gyaro vel Seripho angustis insulis clauderetur. De Gyaro et Seripho, vid. sup. Sat. I, 73, et VI, 564.

171. *A figulis munitam... urbem.* ] Babylonem, quam Semiramis condidisse, muroque e cocto latere cinxisse dicitur. In ea autem urbe Alexander mortuus est.

172. *Sarcophago.* ] Hoc loco, urna vel capulus, sic dictus quòd carnes devoret, a σάρξ, caro, et φάγω devoro : item, lapis qui circa Assum Troadis urbem fissili vena scinditur : in eo condita defunctorum corpora intra diem quadragessimum absumi testatur Plin. lib. XXXVI, cap. 17.—*Mors sola fatetur.* Ostendit, docet.

174. *Velificatus Athos.* ] Velis tectus, et circum navigatus fuit ab exercitu Xerxis Athos Macedoniae mons præaltus, et in Aegæum mare procurrens. Herodot. lib. VII, refert jussu Xerxis a militibus perfossum et intercisum isthmum, quo mons Athos terram contingebat, ad recipiendum mare in fossam tantæ latitudinis, ut duæ triremes pariter

V. 170. *Gyari.* Male eodd. pars maxima *Gyaræ*. Nam, et Græce Γύαρως, et Latine *Gyarus*. Vid. sup. sat. I, v. 73. Plin. lib. IV, 12, seu 23, et alibi. Tacit. Ann. III, 68, 69. Strabo, X. Mela, II, 7, et alios.

Audet in historia : constratum classibus isdem, 175  
 Suppositumque rotis solidum mare : credimus altos  
 Defecisse amnes, epotaque flumina Medo  
 Prandente, et madidis cantat quæ Sostratus alis.  
 Ille tamen, qualis rediit Salamine relictâ,  
 In Corum atque Eurum solitus sævire flagellis 180  
 Barbarus, Aeolio nunquam hoc in carcere passos,  
 Ipsum compedibus qui vinxerat Ennosigæum ?

illac traduci possent. Id porro jactantiæ et potentiæ ostentandæ causa, potius quàm ullius necessitatis aut commodi factum notat idem Herodotus.—*Quidquid Græcia mendax.* Merito perstringit ridiculas Græcorum fabulas, quas *portentosa* vocat Plinius *mendacia*.

176. *Suppositumque rotis solidum mare.* ] Totum Hellespontum, constructo navibus ponte, junctum, quo universus exercitus ejus ex Asia in Europam transmissus esset, iidem fabulantur Græci.

177. *Defecisse amnes.* ] Atque *flumina epota Medo*, Persis prandentibus et bibentibus *defecisse*, cessasse. Fabulantur quoque Xerxem decies septies centena millia perditum armasse navesque habuisse decies centum mille.

178. *Sostratus.* ] Quis ille fuerit Sostratus, non satis constat, cum plures hoc nomine celebres fuerint. Vet. schol. « Sostratus, inquit, poëta fuit, qui Xerxis

« regis facta descripsit. » Et forsitan unus ex his Græculis qui tunc temporis Romam affluebant, fortunæ quæritandæ causâ, ut sat. III, v. 60 et seqq. — *Madidis alis.* Hæc alii ad furorem poëticum, alii ad sudorem recitantium referunt: nos vero, ut Grangæus, ad veram ebrietatem: nam, *madidus, madens*, et Græc. βεβρόγμενος, passim usurpatur pro ebrius. — *Cantat.* Fingit, comminiscitur.

179. *Salamine relictâ.* ] Ubi victus fugatusque a Themistocle fuit.

180. *In Corum atque Eurum, etc.* ] Flagellis non in ventos proprie; sed in mare sæviit Xerxes. Recte tamen duos hic contrarios opponit poëta ventos qui tempestates excitant. — *Corus.* (ἀργέτης, *nord-ouest*) ventus vehementior.

181. *Aeolio... in carcere.* ] Aeolius carcer, et Aeoli in ventos imperium omnibus notum.

182. *Ennosigæum.* ] Neptunum, qui Ἐννοσίγαιος, vel potius Ἐνοσί-

V. 177. *Amnes.* « Malim, ait Al. Rup. *lacus*, ne eadem res bis exprimat, et quoniam Herodotus memorat, non fluvios modo quatuor ab exercitu Xerxis siccatos exhaustosque esse, sed lacum quoque XXX stadiorum. » Non male certe, sed sine auctoritate: nam omnes nostri codices habent *amnes*.



(Mitius id sane, quod non et stigmatum dignum  
 Credidit. Huic quisquam vellet servire Deorum?)  
 Sed qualis rediit? Nempe unâ nave, cruentis 185  
 Fluctibus, ac tardâ per densa cadavera prorâ.  
 Has toties optata exegit gloria pœnas.  
 Da spatium vitæ, multos da, Jupiter, annos!  
 Hoc recto vultu solum, hoc et pallidus optas.  
 Sed quàm continuus, et quantis longa senectus 190

γαιος, dicitur, ἀπὸ τῆς ἐνόσσεως, a concussione, et γαία; terræ, quod terram quatit. Xerxes jussit Hellesponto trecenta infligi verbera, et binas injici compedes.

183. *Quod non et stigmatum dignum.*] Immo, audi Herodot. in Polyhymnia: ἤδη δὲ ἤκουσα ὡς καὶ σιγίας ἀπέπεμψε σίζοντας τὸν Ἑλλήσποντον. Jam vero audi mihi quoque cum his etiam, qui stigmata Hellesponto inurerent. — *Stigmata*, litteræ, quæ fronti servorum fugitivorum, aliorumque ignominie causâ inurebantur.

184. *Quisquam vellet servire Deorum?*] Favere, opem ferre. Neptunus Laomedonti, et Apollo quidem Admeto regibus servierunt, ut fabulantur; at insano et immani domino Xerxi quis Deorum velit servire? salsa ironia. Hic versus et præcedens parenthesi includendi sunt. Poëta, ob nimiam Xerxis vesaniam, non potest sibi temperare ab his salibus immiscendis; et tandem v. 185, sermonem interruptum repetit. A.

185. *Unâ nave.*] Piscatoriâ. — *Cruentis fluctibus.* Sanguine sui exercitus a Græcis cæsi. Cæsorū autem tantus fuit numerus, ut

cadaveribus per mare fluitantibus retardaretur cursus istius naviculæ, quâ rex fugiebat in Asiam trajiciens cum paucis; quia solum hybernis tempestatibus pontem ad Abydum offenderat. Herodot. Justin.

186. *Per densa cadavera.*] Cùm mare plenum esset cadaveribus, quæ navim quasi impediabant.

187. *Has toties, etc.*] Conclusio hujus loci de gloria bellica. Sic ambitiosi, propter stultitiam suam, calamitatibus solent affligi, ut Annibal, Alexander, Xerxes, etc. Cæterum, hæc omnia, de gloria militari, a versu 133 usque ad 187, cum vi et gravitate sunt dicta: et, ut plura dicam, adeo vera sunt, ab omni parte, ut nihil verius. A.

188. *Da spatium vitæ.*] Non minus stulta sunt vota eorum, qui longam vitam exoptant. Hoc loco, varia senectutis incommoda, quæ forsitan et ipse tunc experiebatur, vividissimis, suo more, adumbrat coloribus.

189. *Recto vultu, etc.*] Hoc est, et lætus et tristis, sanus et ægrotus.

Plena malis! deformem et tetrum ante omnia vultum,  
 Dissimilemque sui, deformem pro cute pellem,  
 Pendentisque genas, et tales aspice rugas,  
 Quales, umbriferos ubi pandit Tabraca saltus,  
 In vetula scalpit jam mater simia bucca. 195  
 Plurima sunt juvenum discrimina: pulchrior ille  
 Hoc, atque ille alio; multum hic robustior illo.

191. *Deformem et tetrum, etc.*] Tristis, sed vera senectutis imago. Hic subauditur aspice. Aspice deformem, etc. . . .

192. *Dissimilemque sui.*] Non qualis erat in juventute. Horat. lib. IV, od. 10:

Nunc et, qui color est Puniceæ flore  
 prior rosæ,  
 Mutatus Ligurinum in faciem verterit  
 hispidam,  
 Dices: heu (quoties te speculo videris  
 alterum)!  
 Quæ mens est hodie, cur eadem non  
 puero fuit?  
 Vel cur his animis incolames non re-  
 deunt genæ?

— *Deformem pro cute pellem.* Cutis tenera et juvenibus ac vivis apta, pellis aspera, rugosa, et senibus ac mortuis propria. Eadem in Gallico sermone inest differentia inter has voces, *le cuir et la peau*.

194. *Quales, etc.*] Ordo est: Aspice tales rugas, quales simia jam mater (pro *simia senex*) scalpit in sua bucca vetula, ubi Ta-

braca (urbs) pandit saltus umbriferos. — *Tabraca.* Urbs maritima Numidiæ, quæ sic etiam nunc vocatur. — *Pandit saltus umbriferos.* Silva erat prope densissima, in qua Posidonius e Gadibus in Italiam navigans multas vidit simias, quarum aliæ super arboribus, aliæ in terram sederent, nonnullæ catulos haberent et ubera pendentia: risit autem cum eas uberibus graves cerneret, nonnullas etiam calvas, nonnullas herniosas. Hæc Strabo lib. XVII, cui astipulantur Herodotus, lib. IV. In ea autem regione simias multas nasci nemo nescit; et forte his temporibus, grandioris staturæ erant, qualem hodie habent in Africa interiore simiæ illæ, quas vocamus *Jocko, Orang-Outang*. A.

195. *In vetula. . . bucca.*] Nam simiis quoque in senectute rugosæ fiunt genæ.

196, 197. *Plurima sunt juvenum, etc.*] Juvenes inter se plurimum et formâ, et robore differunt.

V. 194. *Tabraca.* Magna varietas est ap. codd. in hoc nomine scribendo. Alii *Trabaca*, alii *Tabacra*, quidam *Tabrata*, etc. At pars major *Tabraca*: quæ lectio firmatur auctoritate Ptolem. lib. IV, 3, qui hanc urbem vocat *Θάβρακκ*.

Una senum facies; cum voce trementia membra,  
 Et jam leve caput, madidique infantia nasi.  
 Frangendus misero gingivâ panis inermi: 200  
 Usque adeo gravis uxori, natisque, sibique,  
 Ut captatori moveat fastidia Cosso.  
 Non eadem vini atque cibi, torpente palato,  
 Gaudia: nam coïtus jam longa oblivio; vel si  
 Coneris, jacet exiguus cum ramice nervus, 205  
 Et, quamvis totâ palpetur nocte, jacebit.  
 Anne aliquid sperare potest hæc inguinis ægri  
 Canities? quid, quòd merito suspecta libido est,  
 Quæ Venerem affectat sine viribus? Aspice partis

198. *Cum voce trementia.*] Vox, loquela senum tremens, vacillans, ut et eorum membra.

199. *Leve caput.*] Calvum ac glabrum.—*Madidique infantia nasi.* Festive pingitur distillatio narium in senectute, ut in infantia.

200. *Gingivâ... inermi.*] Carente dentibus, quæ sunt arma a natura homini data.

202. *Captatori... Cosso.*] Ut non solum molestus sit et intolerabilis uxori, natisque suis; sed et Cosso *captatori*, hereditetæ, quod tamen genus hominum omnibus officiis delinire senes studeat, ut si non omnem hereditatem, at saltem partem unam adipiscatur. De captatoribus testamentorum, vid. sup. V, v. 98.

204. *Nam coïtus... oblivio.*] Multominus ex re Venerca voluptatem capiunt, utpote qui hujus voluptatis jam dudum obliti sunt.—

*Vel si coneris.* Quæque sis puella, si coneris coïre cum illo, etc.

205. *Jacet exiguus cum ramice nervus.*] *Ramex* dicitur a ramo, quòd, cum intestinum incipit in scrotum decidere, videtur rammum facere. — *De nervo*, vide ad IX, 34.

206. *Totâ palpetur nocte.*] Mart. lib. XII, 97:

Sed nec vocibus excitata blandis,  
 Molli pollice nec rogata surgit.

207. *Inguinis ægri canities.*] Scil. debilitas, senectus.

208. *Suspecta libido.*] Nam, cum senem feminas ambientem viderent veteres, eum merito fellatorem aut irrumatorem esse suspicabantur. Martialis IV, 50, et Suet. Tib. c. 44.

209. *Aspice partis, etc.*] Jacturam alterius partis, sensus, scil. auditus, cujus voluptate senes carent.

V. 198. *Membra.* Ita omnes fere nostri codd. Alii, *labra*.

Nunc damnum alterius: nam quæ cantante voluptas,  
 Sit licet eximius citharædus, sitve Seleucus, 211  
 Et quibus auratâ mos est fulgere lacernâ?  
 Quid refert, magni sedeat quâ parte theatri,  
 Qui vix cornicines exaudiat, atque tubarum  
 Concentus? Clamore opus est, ut sentiat auris, 215  
 Quem dicat venisse puer, quot nunciet horas.  
 Præterea minimus gelido jam corpore sanguis  
 Febre calet solâ; circumscilicet agmine facto  
 Morborum omne genus, quorum si nomina quæras,  
 Promptius expediam, quot amaverit Hippia mœchos,

210. *Cantante.*] Supple musico symphonico, etiam Seleuco.

211. *Seleucus.*] Musicus sine dubio eximius, etsi quis fuerit minime constat.

212. *Et quibus... mos est.*] Designantur tibicines, qui æque ac citharædi histrionum actionem moderabantur, et magnifice vestiti prodire solebant. Horat. Art. Poët. v. 215:

Tibicen, traxitque vagus per pulpita vestem.

213. *Sedeat quâ parte.*] Si, vel proxime, canentibus sederit, tamen nil audiet.

214. *Cornicines... atque tubarum.*] Cornicinum et tubâ ca-

nentium acerrimi sunt sonitus.

215. *Sentiat.*] Percipiat.

216. *Quot nuntiet horas.*] Idem in Forum mittebantur servi ad solarium, ut viderent, nunciarentque hero quota diei hora esset.

217. *Præterea.*] Senes sunt exsanguis, nec nisi in morbo aut febre calent.

218. *Agmine facto.*] Verba Virgilio de ventis. Aeneid. I, v. 82.

219. *Promptius expediam, etc.*] Festivæ comparationes, quibus poëta obiter alios perstringit. Hunc locum frustra carpit Alex. Rup. Est et ingeniosus, et salibus refertus, quem sic noster

V. 211. *Citharædus, sitve Seleucus.* Ita omnes fere nostri codd. At, vet. scholiastæ editor, et nonnulli recentiores structurâ verborum haud dubie offensi, substituerunt, *citharædo sive Seleuco*. Verum, ut recte inquit Alex. Rup. *Cantante, sit licet eximius citharædus, sitve Seleucus*, docte dicitur pro: *cantante citharædo, licet sit eximius*. Ita mox, v. 253, *Quærit ab omni, quisquis adest socius*, pro *socio*.

V. 214. *Exaudiat.* Ita quoque codd. nostrorum pars maxima. Quibusdam editoribus placuit legere *exaudiet*.

Quot Themison ægros autumnò occiderit uno, 221  
 Quot Basilus socios, quot circumscriserit Hirrus  
 Pupillos, quot longa viros exsorbeat uno  
 Maura die, quot discipulos inclinet Hamillus;  
 Percurram citius, quot villas possideat nunc, 225  
 Quo tondente gravis juveni mihi barba sonabat.  
 Ille humero, hic lumbis, hic coxâ debilis, ambos  
 Perdidit ille oculos, et luscis invidet: hujus  
 Pallida labra cibum accipiunt digitis alienis.  
 Ipse ad conspectum cœnæ diducere rictum 230

satiricus *Boileau* imitatus est sat.  
 IV, v. 30:

Il compterait plutôt combien dans un  
 printemps

Guenault et l'antimoine ont fait mourir  
 de gens;

Et combien La Neveu, devant son ma-  
 riage,

A de fois au public vendu son pucelage.

— *Hippia*. De *Hippia*, vid. supr.  
 VI, 82 et seqq.

221. *Themison*.] *Laodicensis*,  
*Syrus*, medicus celebris, qui et  
 novam medicinæ condidit sec-  
 tam. Hic pro quovis medico ce-  
 lebri, a quo ægrotos occidi salse  
 dicit poëta.

222. *Basilus*.] *Causidicus* his  
 temporibus notus, de quo sup.  
 sat. VII, 145. — *Socios*. *Clientes*.  
 — *Hirrus*. Nomen tutoris fraudu-  
 lenti nobis ignoti. — *Circumscriserit*.  
*Circumscribere*, et *circumvenire*,  
*circumire*, pro decipere, defrauda-  
 dare.

223. *Longa*.] *Procera*, vel po-  
 tius macilenta. Gallice expressit  
*Dusaulx*, *efflanquée*: nam, in fe-  
 minis, vis *Veneræ* eas macilenta-  
 tas, eoque *longas* efficit. — *Exsor-*

*beat*. *Voret*, Gall. *elle épuisse*. Sic  
 et poëta quidam vorare:

Tibi hæc paratur, ut tunc ter aut quater  
 Voret profunda fossa lubricum caput.

224. *Maura*.] De hac vid. sup.  
 ad VI, 307. — *Hamillus*. Infamis  
 corruptor et pædico, de quo  
*Martialis*, VII, 61. — *Inclinet*. Ad  
 patiendum, ut sup. IX, 26.

226. *Quo tondente*.] Jam hunc  
 versum vidimus sat. I, v. 25.  
 De quo vid. annot.

227. *Ille humero*.] Alia recen-  
 sentur senectutis incommoda. Sic  
*Mæcenas* ap. *Senecæ* epist. 101:

Debilem facito manu,  
 Debilem pede, coxa:  
 Tuber astrue gibberam:  
 Lubricos quate dentes:  
 Vita dum superest, bene est,  
 Hanc mihi, vel acutâ  
 Si sedeam cruce, sustine.

228. *Luscis invidet*.] Nam, ut  
 Galli triviali modo dicunt, dans  
 le royaume des aveugles, les borgnes  
 sont les rois.

229. *Cibum accipiunt digitis alie-*  
*nis*.] Propter chiragram aut pa-  
 ralyisin.

230. *Diducere rictum*.] *Venusta*

Suetus, hiat tantum, ceu pullus hirundinis, ad quem  
 Ore volat pleno mater jejuna. Sed omni  
 Membrorum damno major dementia, quæ nec  
 Nomina servorum nec vultum agnoscit amici,  
 Cum quo præterita cœnavit nocte, nec illos, 235  
 Quos genuit, quos eduxit: nam codice sævo  
 Heredes vetat esse suos, bona tota feruntur  
 Ad Phialen. Tantum artificis valet halitus oris,  
 Quod steterat multis in carcere fornicis annis!  
 Ut vigeant sensus animi, ducenda tamen sunt 240  
 Funera natorum, rogos aspiciendus amatæ  
 Conjugis, et fratris, plenæque sororibus urnæ.

comparatio senis invalidi cum pullis hirundinis, qui, ad adventum matris suæ cum ore cibis pleno, diducunt rictum, entrouvrent le bec, et hiant tantum, et le tiennent béant; quippe quibus nullus est membrorum usus. Hæc præclara fere ad verbum expressa fuisse videntur in Timone Luciani. Ἐμὲ οἱ ἐπελπίσαντες ἐν τῇ ἀγορᾷ περιμένουσι κεληρότερος, ὡς περ τὴν χελιδόνα προσπετομένην τετριγότες οἱ νεοττοί.

232. *Mater jejuna.*] Cujus os cibis plenum, venter vero jejunus.

233. *Major dementia.*] Eo miserissimi senes, quod memoria, ratio et aliæ animi facultates eos cum corporis viribus deserant, derelinquant.

235. *Cum quo.... cœnavit nocte.*] Amici obliviscitur senex, quocum, etc. sed et puerorum suorum.

236. *Codice sævo.*] Iniquo testamento, codicillo.

237. *Heredes vetat esse suos.*] Hac solemniformulâ: *Titius, exheres esto.*

238. *Ad Phialen.*] Fellatricem. — *Halitus.* Impurus. — *Oris.... artificis.* Quod cum fellatione, cum blandiloquio hereditatem senis captaverat. Haud dubie autem hic fellatrix mulier designatur. De hoc genere libidinis, vid. ad sat. VI, 301, quæ notavimus.

239. *Quod steterat.*] Quodque tam diu prostiterat. — *In carcere fornicis.* In angustis cellis, quæ in lupanaribus sunt, quales esse solent in carceribus, etc.

240. *Ut.*] Pro etiamsi, quamvis senes quidam etiam animo et corpore vigeant, tamen, etc. — *Ducenda.... sunt.* Nam in funeribus præibant, ac corpus ducebant, qui proximi sanguine mortuum contingebant.

242. *Sororibus.*] Cineribus earum.

Hæc data pœna diu viventibus , ut , renovatâ  
 Semper clade domûs , multis in luctibus , inque  
 Perpetuo mœrore , et nigrâ veste senescant. 245  
 Rex Pylius , magno si quidquam credis Homero ,  
 Exemplum vitæ fuit a cornice secundæ.  
 Felix nimirum , qui tot per sæcula mortem  
 Distulit , atque suos jam dextrâ computat annos ,  
 Quique novum toties mustum bibit. Oro , parumper  
 Attendas , quantum de legibus ipse queratur 251  
 Fatorum , et nimio de stamine , cùm videt acris  
 Antilochi barbam ardentem ; cùm quærit ab omni

243. *Hæc data pœna.* ] Unde sapiens dixit : *Hoc mihi longa vita attulit , ut multa quotidie , quæ nolim , videam.*

245. *Nigra.* ] Pulla et lugubri.

246. *Rex Pylius.* ] Nestor. — *Magno si... credis Homero.* Cujus hæc sunt verba de Nestore , *Odyss. γ.*

Τρις γὰρ δὴ μὲν πασίιν ἀναξασθαι  
 γένε' ἀνδρῶν.

Tres autem generationes hominum γενέας , non tria sæcula Nestorem regnâsse dixit Homerus. Si autem , ut par est , Plutarcho , vel potius experientiæ fidem adhibeamus , generatio quæque trigesimo anno renovatur ; unde fit , ut Nestor XC solummodo annos , non tria sæcula regnâsse nobis videbitur. Juven. vero , hîc vulgarem secutus est opinionem , quæ Nestori tercentum dat annos ætatis. A.

247. *Vitæ fuit a cornice secundæ.* ] Fuit vitæ longissimæ post corni-

cem. *Cornici* fabulose ab Hesiodo novem ætates hominum tribui referunt Plin. VII., 48 , et Macrobr. VII , 5.

248. *Felix nimirum.* ] Scil. vestro judicio , Gall. *selon vous.*

249. *Suos... dextrâ computat annos.* ] Nam veteres numerabant per digitos , et numerum quidem centenariominorem sinistrae , majorem dextræ manus digitis , usque ad ducentesimum ; qui a dextra rursum ad sinistram referebatur , ut trecentesimo major , inde iterum ad dextram. Al. Rup.

250. *Toties mustum bibit.* ] Tot autumnos , tot annos.

252. *Nimio de stamine.* ] Parcarum , scil. de nimis longo vitæ suæ cursu.

253. *Antilochi barbam ardentem.* ] Antilochum filium suum jam grandem et barbatum , ardentem in rogo , occisum in pugna a Memnone , dum patrem servaret.

V. 253. *Cum.* Aliter codd. plerique et edd. prisc. qui habent *nam.* At , nostra lectio elegantior. Enim vero , τὸ *nam* , hoc loco , languere videtur.

Quisquis adest socius, cur hæc in tempora duret,  
 Quod facinus dignum tam longo admiserit ævo. 255  
 Hæc eadem Peleus, raptum cùm luget Achillem,  
 Atque alius, cui fas Ithacum lugere natantem.  
 Incolumi Trojâ, Priamus venisset ad umbras  
 Assaraci magnis solemnibus, Hectore funus  
 Portante, ac reliquis fratrum cervicibus, inter 260  
 Iliadum lacrymas, ut primos edere planctus  
 Cassandra inciperet, scissâque Polyxena pallâ,  
 Si foret extinctus diverso tempore, quo jam  
 Cœperat audaces Paris ædificare carinas.

254. *Cur hæc in tempora duret.* ] Hoc loco, Propertium imitatus est Juven. qui sic, II. eleg. 13, v. 47:

Nestoris est visus post tria sæcla cinis.  
 Si tam longævæ minuisset fata senectæ  
 Gallicus Iliacis miles in aggeribus;  
 Non ille Antilochi vidisset corpus humati;  
 Diceret aut: ô mors, cur mihi sera  
 venis?

257. *Atque alius.* ] Laërtes Ulyssis pater, qui similia loquitur, ut Nestor et Peleus supra, quique Odys. 6, a Jovè mortem precatur, dolens Ulyssem filium suum undis jactatum annos decem, et per maria sæpe naufragum, atque vagabundum.

258. *Ad umbras Assaraci.* ] Hoc est, majorum suorum ad umbras venisset dulcem ac facilem sortitus exitum. — *Assaracus.* Trois filius, et frater Ganymedis atque

*Ili;* qui Ilus Laomedontem genuit patrem Priami.

259. *Magnis solemnibus.* ] Solemni pompa, magnifico apparatu funebri. — *Hectore funus portante.* Lecti funebres humeris, et patrum corpora a filiis portari solebant, ut patet ex Suet. Aug. 100, Val. Max. VII, 1 et aliis.

261. *Primos edere planctus.* ] Quasi præficæ: nam, conducebantur olim mulieres ita dictæ, quæ luctum ederent in funeribus, ac cæteris modum plangendi darent.

262. *Cassandra.... Polyxena.* ] Priami filiæ. — *Scissâ pallâ.* In luctu et funebri pompa vestes scindi solebant.

263. *Diverso tempore.* ] Si ante mortuus fuisset, quàm vidisset patriam eversam; et cùm jam Paris, etc.

264. *Cæperat.... ædificare cari-*

V. 254. *Quisquis adest socius.* Maxima pars codd. *Quisquis adest socio.* Vid. quæ notavimus ad v. 211.

V. 263. *Quo jam.* Quidam codd. inter quos vet. schol. legunt *quo non.* Non male quoque.



Longa dies igitur quid contulit? Omnia vidit 265  
 Eversa, et flammis Asiam ferroque cadentem.  
 Tunc miles tremulus positâ tulit arma tiarâ,  
 Et ruit ante aram summi Jovis, ut vetulus bos,  
 Qui domini cultris tenue et miserabile collum  
 Præbet, ab ingrato jam fastiditus aratro. 270  
 Exitus ille utcumque hominis: sed torva canino  
 Latravit rictu, quæ post hunc vixerat, uxor.  
 Festino ad nostros, et regem transeo Ponti,  
 Et Cræsum, quem vox justi facunda Solonis  
 Respicere ad longæ jussit spatia ultima vitæ. 275

nas.] Scil. navigaturus in Græciam, et rapturus Helenam.

266. *Asiam.*] Scil. Trojam ac Troadem Asiæ partem.

267. *Tunc miles tremulus.*] Senio confectus. — *Tulit arma.* Ad repugnandum Græcis Helenam repetentibus. — *Positâ.... tiarâ.* Diademate, insigni regio, apud reges Asiæ in modum pilei facto. Vid. *Vaillant*, numis. reg. Syriæ et alios.

268. *Ruit ante aram.*] A Pyrrho trucidatus. — *Ut vetulus bos.* Egregia comparatio huic loco aptissima. In animo habuisse videtur poëta hunc excellentissimum Virgillii versum, lib. V, v. 481: Sternitur, exanimisque tremens procumbit humi bos.

Attamen longe inferior est noster, hoc loco: nam voces, *summi Jovis*, *ut vetulus bos*, non idem, nec tam graviter sonant, ac illæ, *tremens procumbit humi bos*. A.

270. *Jam fastiditus aratro.*] Bos jam arando ob senium inutilis factus aris servabatur, et sagi-

natus ab ingratis dominis mac- tabatur.

271. *Exitus.*] Mors et finis factorum Priami fuere, *utcumque*, quodam modo hominis, non bellæ: sed, mors uxoris ejus, etc.

272. *Latravit (canino) rictu.*] Hecuba, quam Græci fabulantur in canem versam, quod percita dolore, in Græcorum obvium quemque debaccharetur, atque dicteriis lacerare atque allatrare consuevisset. Vid. Plaut. *Menæch.* Ovid. *metamorph.* 13. Cic. *Tusc.* 3, n. 63.

273. *Festino ad nostros.*] Ad exempla e Romanis ipsis petita, quibus, ut C. Mario, Pompeio, Cæsari, etc. perniciose sæpe fuit longa nimis vita. — *Regem.... Ponti.* Mithridatem, qui annos LXIX vixit, et bellis adversus Romanos infeliciter gestis, Bituiti manu periit. App. *Bell. Mithr.* c. 111, 112.

274. *Et Cræsum.*] Cujus regis Lydiæ historia satis nota.

275. *Respicere.... jussit.*] Solon cum Sardis esset Cræso ei divi-

Exilium, et carcer, Minturnarumque paludes,  
 Et mendicatus victâ Carthagine panis,  
 Hinc causas habuere. Quid illo cive tulisset  
 Natura in terris, quid Roma beatius unquam,  
 Si circumducto captivorum agmine, et omni 280  
 Bellorum pompâ, animam exhalâset opimam,  
 Cùm de Teutonico vellet descendere curru?  
 Provida Pompeio dederat Campania febres  
 Optandas, sed mœstæ urbes, et publica vota  
 Vicerunt: igitur fortuna ipsius et Urbis 285  
 Servatum victo caput abstulit. Hoc cruciatu

tias suas ostentanti dixerat, neminem ante obitum beatum esse vocandum: quam veram vocem agnovit postea rex ille infelicissimus a Cyro captus, et ad mortem damnatus.

276. *Exilium, et carcer, etc.*] Hoc est, si Marius minus vixisset, non esset expertus exilium, carcerem, mendicitatem. Ejus autem historia satis nota e Plut., Velleio, II, 19, Flor. III, 21 et aliis.

278. *Hinc.*] Scil. ex longiori vita venerunt. — *Illo cive.* Mario.

280. *Si circumducto captivorum.*] Si statim post actum triumphum obiisset.

281. *Aninam... opimam.*] Opimis spoliis gloriantem.

282. *De Teutonico... curru.*] Quo vehebatur triumphans de Teutonibus.

283. *Provida... Campania.*] Quasi prævidens imminentes Pompeio clades, dederat ei febrem gravem certe, sed *optandam*, ac salutarem, si ex ea mortuus fuisset. Cic.

Tuscul. I, n. 86: *Pompeio nostro familiari, cum graviter ægrotaret Neapoli, melius est factum... Utrum igitur, si tunc esset extinctus, a bonis rebus, an a malis discessisset? certe a miseriis. Non enim cum socero bellum gessisset, non imparatus arma sumpsisset, non domum reliquisset, non ex Italia fugisset, non exercitu amisso nudus in servorum manus ac ferrum incidisset; non liberi defleti: non fortunæ omnes a victoribus possiderentur. Qui si mortem obiisset, in amplissimis fortunis occidisset.*

285. *Vicerunt.*] a Diis impetrarunt, ne ex illa febre moreretur. — *Fortuna ipsius.* Adversa illi et Urbi. Florus, lib. IV, cap. 11: *itaque fortuna invidens principi gentium populo.*

286. *Servatum... caput.*] Ad hanc ignominiam calamitatemque reservatum, ut jussu Ptolemæi regis ab Achilla et Septimio eximium hoc Magni Pompeii, qui ter consul, totidemque de tribus mundi partibus triumphaverat,

Lentulus, hâc pœnâ caruit, ceciditque Cethegus  
Integer, et jacuit Catilina cadavere toto.

Formam optat modico pueris, majore puellis

Murmure, cùm Veneris fanum videt anxia mater, 290

Usque ad delicias votorum. Cur tamen, inquit,

Corripias? pulchrâ gaudet Latona Dianâ.

Sed vetat optari faciem Lucretia, qualem

Ipsa habuit. Cuperet Rutilæ Virginia gibbum

Accipere, atque suam Rutilæ dare. Filius autem 295

quique Magni cognomen ab universo populo acceperat, gladiis auferretur caput, atque Cæsaris in adventum servaretur! Πομπηίου τὴν μὲν κεφαλὴν ἀποτεμόντες οἱ περὶ Ποσειδῶν, ἐφύλασσαν Καίσαρι, ὡς ἐπὶ μεγίσταις ἀμοιβαῖς. App. Bel. Civ. II, 86.

287. *Lentulus.... Cethegus.*] Socii Catilinæ, jubente Cicerone, in carcere strangulati sunt: ipse vero Catilina in acie pugnans fortiter cecidit. Plut. in Cic. Dio XXXVII, et Sallust. Catilin.

288. *Integer... cadavere toto.*] Non absciso capite, nec corpore truncato, ut Pompeius. Horum igitur mors ignominiosa minus, et acerba fuit. Caput abscindi, et corpus obtruncari ignominiosum fere æque ac cruci affigi ducebant Romani.

289. *Formam optat.*] Forma etiam multis injuriis aliisque periculis, corruptioni, seductioni, etc. obnoxia, ideoque non est expetenda. — *Modico pueris.* Opponitur *majore puellis*, quoniam forma utilior his quàm illis.

290. *Murmure.*] Susurro, ψιθυ-

ρισμῶ: obscura et intra dentes vota edita, quò vota parum honesta designantur. Vid. sup. ad VI, 539. — *Anxia mater.* De forma liberorum suorum.

291. *Usque ad delicias votorum.*] Ita ut, pro ipsis vota deliciarum, dulcedinisque plena faciat, quibus favorem animumque Deæ conciliari posse sperat. Sic Alex. Rup. Aliter alii interpretes permulti: « Ex ipsis etiam votis captans delicias et gaudia. » Sed prior præferenda interpretatio. — *Cur tamen, inquit.* Illa mulier.

292. *Pulchrâ gaudet, etc.*] Præclarus locus ex Virgil. Aeneid. lib. I, v. 498.

293. *Sed vetat optari.*] Respondet poëta, et opponit Lucretiæ et Virginiæ exemplum, quibus perniciosa fuit ipsa hæc pulchritudo.

294. *Cuperet Rutilæ.*] Rutila, vetula, deformis et gibbosa, his temporibus nota; eadem quam Plin. VII, 48, ut quidam putant, memorat excessisse XCVII annos.

295. *Atque suam.*] Subaudi, faciem, formam.

Corporis egregii miseros trepidosque parentes  
 Semper habet : rara est adeo concordia formæ  
 Atque pudicitia ! Sanctos licet horrida mores  
 Tradiderit domus , ac veteres imitata Sabinas ;  
 Præterea castum ingenium , vultumque modesto 300  
 Sanguine ferventem tribuat natura benignâ  
 Larga manu : quid enim puero conferre potest plus  
 Custode et curâ natura potentior omni ?  
 Non licet esse viris : nam prodiga corruptoris  
 Improbitas ipsos audet tentare parentes. 305  
 Tanta in muneribus fiducia ! Nullus ephebum

296. *Trepidusque parentes.* ] Ne ille corrumpatur.

297. *Rara est adeo concordia.* ] Præclara et verissima sententia , quam sic Ovid. *Heroid.* XVI, 282 :

Lis est cum formâ magna pudicitia.

298. *Licet horrida.... domus.* ] Licet educatio severa et tristis, sine cultu et elegantia, qualis Sabinarum domuum fuit, etc. Tit. *Liv.* I, 18 : *Disciplina tetrica ac tristis veterum Sabinorum, quo genere nullum quondam incorruptius fuit.* De Sabinis, vid. sup. ad VI, 164.

300. *Præterea castum, etc.* ] Ordo est : licet natura larga, benignâ manu tribuerit, etc.

301. *Sanguine (vultum) ferventem.* ] Pudore ac rubore suffusum,

quod est τὸ χρώμα τῆς ἀρετῆς. — *Natura larga.* Benigna, liberalis.

303. *Custode et curâ natura potentior.* ] Senec. *Epist.* XI : *nullâ sapientiâ naturalia corporis, aut animi vitia ponuntur : quidquid infixum, et ingenitum est, lenitur arte, non vincitur.*

304. *Non licet esse viris.* ] Desinunt mox esse viri : nam, ut infra declarabitur, quia pulchri sunt, aut castrantur, aut corrumpuntur, aut mœchi, aut spadones, pathici, ac cinædi fiunt.

305. *Audet tentare.* ] Muneribus, ut filios corrumpendos tradant.

306. *Nullus ephebum deformem.* ] Si formosi, corrumpuntur facile et castrantur a potentioribus :

V. 299. *Imitata Sabinas.* Restitui ex nostris codd. paucis exceptis, qui, præeunte vet. schol. habent *Sabinos*. At parum interest.

V. 300. *Modesto.* Omnes fere codd. habent, *modestum*.

V. 304. *Viris.* Ex XII codd. recipiendam lectionem hanc judicavi, pro vulgata *viros*. Illa enim doctior est, et multo frequentior ap. scriptores optimæ notæ. Vid. Heins. ad Ovid. *Epist. Her.* XIV, 64.

Deformem sæva castravit in arce tyrannus ;  
 Nec prætextatum rapuit Nero loripedem , nec  
 Strumosum , atque utero pariter , gibboque tumentem.  
 Nunc ergo specie juvenis lætare tui , quem 310  
 Majora expectant discrimina ! Fiet adulter  
 Publicus , et pœnas metuet quascumque mariti  
 Exigere irati : nec erit felicior astro  
 Martis , ut in laqueos nunquam incidat. Exigit autem  
 Interdum ille dolor plus , quàm lex ulla dolori 315  
 Concessit. Necat hic ferro , secat ille cruentis  
 Verberibus : quosdam mœchos et mugilis intrat.

hoc *deformibus* minime verendum est.

307. *Castravit.* ] Vid. sup. VI, 358. — *Nec prætextatum rapuit Neroloripedem.* Neronis pæderastia nota , ex Suet. — *Prætextatum.* Vid. ad I, 78. — *Rapuit.* Ad stuprum , ut rapere virginem. — *Loripedem.* Vid. ad II, 23.

309. *Strumosum.* ] Dicitur a *struma* , tumore glanduloso , qui in lateribus , inguinibus , sed maxime circa collum nascitur. Qui morbus et scrofula quoque vocatur : Græc. *χολήρας* , Gall. *les écrouelles*.

312. *Pœnas metuet.* ] Videtur Romanis privatim , quamvis sine lege , permissum fuisse , ut adulteros deprehensos pro lubitu punirent , παρατιμῶ , ῥαφανιδώσει ,

*mugile* ; ut loris conciderent , pecunias extorquerent , evirarent , interficerent etiam , quod ex Horatio , I , sat. 2 , Varrone , Catull. et nostro constat. Sic Hennin.

313. *Exigere irati.* ] Subaudi solent. — *Nec erit felicior astro.* Facete hic fabula Martis in adulterio deprehensi memoratur , quem Vulcanus laqueis , seu potius retibus impeditum omnibus Diis deridendum præbuit.

315. *Ille dolor.* ] Mariti justam ab adultero pœnam reposcentis dolor exigit plus , sævior est lege ipsâ.

316. *Necat hic ferro.* Hic , percurrit varia supplicia adulteris irrogata. De cæteris vid. Horat. sat. I , 2.

317. *Mugilis.* ] Seu mugil , piscis

V. 308. *Nec.* Codd. pars maxima habet, *nec.* Quidam, sed paucissimi, *vel.*

V. 310. *Nunc ergo specie juvenis.* Restitui ex omnibus codd. nostris , et edd. priscis. Recentiores , præeunte vet. schol. vel potius editore ejus , habent : *I , nunc et juvenis specie* , vel *specie juvenis* ; non male quoque , sed sine alia auctoritate.

V. 312. *Quascumque mariti exigere irati.* Magna , hoc loco , varietas

Sed tuus Endymion dilectæ fiet adulter  
 Matronæ: mox cùm dederit Servilia nummós,  
 Fiet et illius, quam non amat: exuet omnem 320  
 Corporis ornatum: quid enim ulla negaverit udis  
 Inguinibus, sive est hæc Oppia, sive Catulla?

grandis capitis, unde et capito dicitur, Gall. *mulet*, postremis exilis, qui in podicem mæchorum deprehensorum olim (præsertim Athenis), immitti solebat. Id autem hoc fiebat modo: adultero fervidis cineribus depilabatur podex interior; post, *mugil* per vim intromittebatur, aliquando etiam raphanus, ut patet ex his Catull. carm. 15:

Ah! tum te miserum, malique fati!  
 Quem attractis pedibus, patente portâ,  
 Percurrent raphanique, mugilesque.

318. *Sed tuus Endymion.*] Tuus filius formosus. — *Endymion.* Pastor formosissimus a Luna adamatus, et ob pulchritudinem suam, a Diis, ut poëtæ fingunt, in cælum raptus.

319. *Servilia.*] Matriona dives et impudica, quales fuere duæ Serviliæ Catonis sorores, quarum una Bruti mater cum Cæsare libidinis commercium habuit; al-

tera a Lucullo marito suo, ob prostratam pudicitiam fuit repudiata.

320. *Fiet et illius.*] Adulter etiam, propter avaritiam, ille fiet hujus quam non amat. — *Exuet omnem.* Et amores ejus sectabitur, donec omnibus eam nudaverit unionibus vel gemmis, omnique corporis ornatu.

321. *Quid enim.*] Pretii ac muneris. Nihil adulteris suis negabit, ut libidini suæ satisfaciatur. Per *uda inguina* membrum muliebri intelligit.

322. *Sive est hæc Oppia, etc.*] Hoc est, sive dives, sive pauper sit, sive sit prodiga et nobilis ut Catulla, sive avara et plebeia ut Oppia, in adulterum satis liberalis erit. Sic omnes interpretes. Ego vero, sensum multo magis satiricum, hoc loco, aperio: scil. *Catulla*, mulier infamis et impudica, quæ publice notabatur, de qua Mart. epig. 53, lib. VIII; *Oppia*,

lectionis, quæ forsan inscitiae librariorum debetur. XII fere, nostram habent lectionem; totidem et plures *quascumque mariti irati debent*: contra mentem poëtæ: nam mariti irati non *debent* pœnas, sed adulter; nisi supplendum censeas *petere, sumere, exigere*. Ista ellipsis durior certè nostrâ, quâ tantum subauditur *solent*, quod sæpe fit apud optimos scriptores. Duo, *quascumque mariti exiguo irati*. Alii vitiosius. At, in hac codd. discordia, nostra lectio præstat.

V. 322. *Oppia.* Ita omnes fere codd. et edd. priscæ. Quidam, sed paucissimi, *Hippia*, forte eadem, de qua sup. locutus est, sat. VI, v. 82.

Deterior totos habet illic femina mores.

Sed casto quid forma nocet? Quid profuit immo

Hippolyto grave propositum? quid Bellerophonti? 325

Erubuit nempe hæc, ceu fastidita, repulsâ.

Nec Sthenobæa minus, quàm Cressa excanduit, et se

Concussère ambæ. Mulier sævissima tunc est,

mulier formosa et pudica. Porro, cum illas poëta opposuerit, in animo ei fuisse suspicor omnes feminas impudicitæ insimulare, dicens: sive impudica publice sit, ut Catulla, sive pudicitæ personam induat, ut Oppia, *quid ulla negaverit udis inguinibus?* Gall. *quelle femme, fût-elle libertine effrontée comme Catulla, ou prude achevée comme Oppia, refusa jamais, quoi-qu'il en coûte, d'assouvir sa passion?* A.

323. *Deterior.*] In cæteris male morata, et in reliquos omnes avara et nequam, *illic habet totos mores*, hic induit eandem comitatem, liberalitatem quam cæteræ mulieres, ut mœchis suis placeat. Sic interpretes alii: ego vero, versus præcedentis explicationem repetens, sic interpretor: *omnis femina* quæcumque, sit deterior, aut melior, habet *totos eosdem mores*, illic, cum de ing. udis agitur, etc. Gall. *toute femme bonne ou mauvaise est la même quand il s'agit de*, etc. Aliter, Farn. Brit. Prat. « Totam industriam in corrumpendis pretio formosis ponit femina, quæ naturâ suâ mala

est. » Nam, ut Q. Cicerero ait: *Femina nulla bona est, vel si bona contigit ulla; Nescio quo fato res mala facta bona est.*

Ad hoc quoque respondent verba Pseudo-Ciceronis ad Heren. IV, 16. *Viros ad unumquodque maleficiun singulæ cupiditates impellunt; mulieres ad omnia maleficia cupiditas una ducit.* A.

324. *Sed casto quid, etc?*] Obiectio cujusdam. — *Quid profuit immo?* Responsio poëtæ.

325. *Grave propositum.*] Castitatis servandæ. Hoc est, quid profuit olim et Hippolyto, et Bellerophonti Phedræ et Sthenobææ libidini restitisse, et castitatem servasse?

326. *Hæc.*] Phædra Hippolyti noverca, Minois regis filia, cujus historia satis nota.

327. *Sthenobæa.*] Quæ Ἄνθηα dicitur Hom. II. ζ, 160, vel Ιοβατæ, vel Amphianactis filia, Præti regis Argivorum uxor, quæ cum Bellerophontem frustra tentasset, eum apud maritum suum stupri accusavit. — *Cressa.* Phædra.

328. *Concussère ambæ.*] Fasti-

V. 324. *Immo.* Quidam codd. *olim* habent, et nonnulli, *uni*. Sed, hoc loco, præstat *immo*, *potius*, e *contra*. Gall. *au contraire*.

Cùm stimulos odio pudor admovet. *Elige*, quidnam  
 Suadendum esse putes, cui nubere Cæsaris uxor 330  
 Destinat? Optimus hic, et formosissimus idem  
 Gentis patriciæ rapitur miser exstinguendus  
 Messalinæ oculis: dudum sedet illa parato  
 Flameolo, Tyriusque palam Genialis in hortis  
 Sternitur, et ritu decies centena dabuntur 335

ditæ ambæ, repulsâ rubescentes  
 se ad vindictam excitârunt.

329. *Cùm stimulos odio.*] Nulla enim offensa majores feminæ odio stimulos addit, quàm suæ contemptus formæ. Virgil.

...duri magno sed amore dolores  
 Polluto, notumque furens quid femina  
 possit.

—*Elige quidnam, etc.* Ultimo exemplo, scil. C. Sili probat pulchritudinem esse viris ipsis noxiam.

330. *Suadendum esse putes (elige quid).*] Hoc est, dic, quidnam putes esse suadendum C. Silio, cui nubere vult Cæsaris uxor? an precibus Messalinæ obtemperet, an eis resistat? Utrumque periculosum est. Si duxerit, periculum mortis metuendum a Claudio; si abnuerit, a Messalina. Ei igitur ab omni parte exitium erit inevitabile. Nuptiæ autem publicæ Messalinæ cum Silio, vivente etiam Claudio imperatore, satis sunt omnibus notæ. Vid. Tacit. Annal. XI, 5, 12 — 38.

331. *Optimus hic, etc.*] Hoc loco, ipsâ historiâ mitior Juvenalis, in Silio multo majoris pretii virum nobis offert, quàm revera fuit:

namque Silius quidem a Messalina sollicitatus Juniam Silanam uxorem suam repudiavit; at, ille paulo post, et ambitione pessima ductus, et honorum atque dignitatum spe mente obcæcatus, ipsam vicissim Messalinam impulit, ut insanas illas nuptias celebraret. Vid. Tacit. Ann. XI, 26. A.

332. *Rapitur... Messalinæ oculis.*] Amore ejus detinetur, ac devincitur. — *Exstinguendus.* periturus. Quod paulo post evenit: nam Claudius, accepto nuntio tam inauditæ impudentiæ, interrogavit, an ipse imperii potens esset? dein, suasu Narcissi, ambo nocentes, in iisdem Lucullianis hortis, ubi scelus fuerat admissum, interempti fuerunt. A.

334. *Flameolo.*] Describuntur Sili et Messalinæ nuptiarum solemnia, de quibus vid. Tacit. Ann. XI, 27. — *Flameolo.* Velo quo tecta nova nupta traditur viro. Vid. sup. II, 124. — *Tyrius... Genialis.* Lectus nuptialis, purpureus, purpura stratus. — *Genialis.* Lectus nuptialis, genio sacer, unde hîc genialis dicitur. Vid. sup. VI, 22.

335. *Decies centena.*] Supple millia sestertia, X. H. S. un million

V. 334 *Flameolo.* Vid. sat. II, v. 124.



Antiquo : veniet cum signatoribus Auspex.  
 Hæc tu secreta , et paucis commissa putabas ?  
 Non nisi legitime vult nubere. Quid placeat , dic ?  
 Ni parere velis , pereundum erit ante lucernas :  
 Si scelus admittas , dabitur mora parvula , dum res 340  
 Nota Urbi et populo contingat principis aures.  
 Dedecus ille domûs sciet ultimus : interea tu  
 Obsequere imperio , si tanti est vita dierum  
 Paucorum. Quidquid melius , leviusque putaris ,  
 Præbenda est gladio pulchra hæc , et candida cervix.  
 Nil ergo optabunt homines ? Si consilium vis , 346

*de sesterces*, 195987 fr. — *Ritu...*  
*antiquo*. Hæc scoptice : nimirum  
 ex quo Romæ luxus invaluit. A.

336. *Auspex*.] Adhibebatur in  
 nuptiis auspex : nam , nullæ nup-  
 tiæ , præsertim legitimæ , fiebant  
 sine auspicio. — *Cum signatoribus*  
*tabularum dotis* , inter quos ,  
 ipsum quoque Claudium fuisse  
 putârunt *inductum* , ait Suet. Claud.  
 cap. 29 , *quasi de industria simula-*  
*rentur , ad avertendum , transferen-*  
*dumque periculum , quod imminere*  
*ipsi per quædam ostenta portendere-*  
*tur*. Hæc non bene concordant , nec  
 magna fides Suetonio adhibenda :  
 enimvero , qui solus princeps do-  
 mûs suæ dedecus ignorare po-  
 tuisset , atque ultimus scire , ut  
 rectius testantur Tacit. Xiphil.  
 et noster ; si ipse inter signatores ,  
 hoc prætextu allato adfuisset ? A.

337. *Hæc tu secreta*.] Poëta Si-  
 lium alloquitur. Scilicet , speras  
 hæc clam Imperatori futura esse :  
 at Messalina non contenta furti-

vis adulteriis , palam ac *legitime* ,  
 adhibitis signatoribus , auspice ,  
 justa et solemnia cuncta nuptia-  
 rum celebrare vult.

338. *Quid placeat , dic*.] An duc-  
 turus sis Messalinam , necne ?

339. *Ante lucernas*.] *Δουραψίαν* :  
 antequam accendi solent lucernæ ,  
 ante vesperam , confestim , jussu  
 feminæ iratæ.

340. *Dabitur mora parvula*.] Sup-  
 plicio tuo.

342. *Dedecus ille domûs*.] Xiphil.  
 in Claud. quæ cùm viderentur  
 et audirentur ab omnibus , ea so-  
 lus Claudius ignorabat.

343. *Tanti*.] Pretii est tibi.

344. *Quidquid*.] Quodcumque  
 ceperis consilium.

345. *Præbenda est*.] Conclusio ,  
 quæ ad propositum suum spectat :  
 scil. pulchritudo exitialis multis  
 fuit , præsertim Silio , et imma-  
 turæ mortis causa.

346. *Nil ergo*.] Objectio , cui  
 respondet , non directe , nec sta-

Permittes ipsis expendere Numinibus, quid  
 Conveniat nobis, rebusque sit utile nostris.  
 Nam pro jueundis aptissima quæque dabunt Di.  
 Carior est illis homo, quàm sibi. Nos animorum 350  
 Impulsu, et cæcâ magnâque cupidine ducti,

tim, sed oblique, versibus 356  
 et seqq.

347. *Permittes ipsis expendere.*] Pium, et sapientiæ, veritatisque plenum consilium, quo pulcherrimum illud opus concludit. Ad hoc maxime respondent, et ea Orationis Dominicæ, γενηθήτω τὸ θέλημα σου ὡς ἐν οὐρανῷ, καὶ ἐπὶ τῆς γῆς, S. Matth. cap. 6; et illa Xenophont. Mem. Socr. I, 3, 2, Σωκράτης εὐχετο πρὸς τοὺς θεοὺς ἀπλῶς τὰγαθὰ διδόναι, ὡς τοὺς θεοὺς κάλλιστα εἰδότες, ὅποια ἀγαθὰ ἐστὶ τοὺς δὲ εὐχομένους χρυσίον, ἢ ἀργύριον, ἢ τυραννίδα, ἢ ἄλλο τι τῶν τοιούτων, οὐδὲν διάφορον ἐνόμιζεν εὐχεσθαι, ἢ εἰ κυβείαν, ἢ μάχην, ἢ ἄλλο τι εὐχοίντο τῶν φανερώς ἀδήλων, ὅπως ἀποβήσοιτο. Val. Max. VII, 2 ex. 1. Socrates, inquit, *humanæ sapientiæ quasi quoddam terrestre oraculum, nihil ultra petendum a Diis immortalibus arbitrabatur, quàm ut bona tribuerent; quia ii demum scirent, quid unicuique esset utile, nos autem plerumque id votis expetere, quod non impetrâsse melius foret. Etenim, densissimis tenebris involuta mortalium mens, in quàm late patientes errores cæcas precatîones tuas spargis! Divitias appetis, quæ multis exitio fuerunt: honores concupiscis, qui complures pessumdederunt: regna tecum ipsa volvis, quorum exitus sæpenumero miserabiles cernuntur:*

*splendidis conjugis injicis manus: at hæc ut aliquando illustrent, ita nunquam funditus domos everterunt. Desine igitur stulta, futuris malorum tuorum causis, quasi felicissimis rebus inhiare, teque totam cælestium arbitrio permittite; quia qui tribuere bona ex facili solent, etiam eligere aptissima possunt.* Ipse Socrates ap. Plat. Alcib. II. p. 154. ed. Nürnbergeri: Δοκεῖ μοι φρόνιμός τις εἶναι ἐκεῖνος ὁ ποιητής, ὃς φίλοις ἀνοήτοις τισὶ χρησάμενος, ὄρων αὐτοὺς καὶ πράττοντας καὶ εὐχομένους ἅπερ οὐ βέλτιον ἦν, ἐκείνους δὲ ἐδόκει, κοινῇ ὑπὲρ ἀπάντων αὐτῶν εὐχὴν ποιήσασθαι. λέγει δὲ πῶς ὠδὶ Ζεῦ βασιλεῦ, τὰ μὲν ἐσθλὰ καὶ εὐχομένοις καὶ ἀνεύκτοις Ἄμμυ δίδου, τὰ δὲ δεινὰ καὶ εὐχομένοις ἀπαλέξειν Καλεύει. et pag. 172. Τοῦτον μὲν τοῖνον καὶ Λακεδαιμόνιοι τὴν ποιητὴν ἐζηλωκότες, εἴτε καὶ αὐτοὶ οὕτως ἐπεσκευασμένοι, καὶ ἰδίᾳ καὶ δημοσίᾳ ἐκάστοτε παραπλησίαν εὐχὴν εὐχονται, τὰ καλὰ ἐπὶ ταῖς ἀγαθοῖς τοὺς θεοὺς διδόναι καλεούντες αὐτοὺς σφίσι αὐτοῖς πλεῖον δ' οὐδεὶς ἂν ἐκείνων εὐξαμένων ἀκούσει. Al. Rup.

349. *Pro jucundis.*] Pro his, quæ nobis videntur jucundissima.

350. *Carior est illis homo.*] Hic D. Paulum perorantem credas: sic hominem a Deo dilectum, ut filio suo non pepercerit. Senec. IV, de Beneficiis cap. 5. *Neque neces-*

Conjugium petimus , partumque uxoris : at illis  
 Notum , qui pueri , qualisque futura sit uxor.  
 Ut tamen et poscas aliquid , voveasque sacellis  
 Exta , et candiduli divina tomacula porci : 355  
 Orandum est , ut sit mens sana in corpore sano.  
 Fortem posce animum , mortis terrore carentem ,  
 Qui spatium vitæ extremum inter munera ponat  
 Naturæ , qui ferre queat quoscumque labores ,  
 Nesciat irasci , cupiat nihil , et potiores 360  
 Herculis ærumnas credat sævosque labores  
 Et Venere , et cœnis , et plumâ Sardanapali.  
 Monstro quod ipse tibi possis dare. Semita certe  
 Tranquillæ per virtutem patet unica vitæ.

*sitatibus nostris tantummodo provi-  
sum est ; usque in delicias amamur.*

352. *Conjugium petimus.* ] Res-  
pexisse videtur ad hæc Socratis  
ex Plat. in Alcib. II : Εὐρήσεις δὲ  
καὶ περὶ τέκνων τὸν αὐτὸν τρόπον  
εὐξαμένους τινὰς ἤδη γενέσθαι , καὶ  
γενομένων εἰς ξυμφοράς τε καὶ λύπας  
τὰς μεγίστας καταστάντας. Οἱ μὲν  
γὰρ μοχθηρῶν διὰ τέλους ὄντων τῶν  
τέκνων , ὅλον τὸν βίον λυπούμενοι  
διήγαγον · τοὺς δὲ , χρηστῶν μὲν γε-  
νομένων , συμφοραῖς δὲ χρησαμένων ,  
ὥστε στερηθῆναι , καὶ τούτους οὐδὲν  
εἰς ἐλάττονας δυσυχίας καθεστηκότας  
ἢ περ ἐκείνους · καὶ βουλομένους ἂν  
ἀγένητα μᾶλλον εἶναι ἢ γενέσθαι.

353. *Qualisque futura sit uxor.* ]  
Salomon. Prov. XIX. *Domus et  
divitiæ dantur a parentibus ; a Do-  
mino autem proprie uxor prudens.*

355. *Tomacula.* ] Græc. τόμοι  
seu τομῖα , a τέμνω , vel τομεύω ,

pinguia viscera imprimis porcina,  
vel minutatim concisa , vel sim-  
pliciter abscisa , qualia Diis of-  
ferri solebant , unde , hoc loco ,  
divina.

356. *Orandum est , etc.* ] Horat.  
lib. I , od. 31 :

Frui paratis et valido mihi ,  
Latoë , dones , et , precor , integra  
Cum mente , nec turpem senectam  
Degere , nec cithara carentem.

Vid. quoque Senec. epist. 10.

358. *Spatium vitæ extremum.* ]  
Id est , mortem ipsam.

359. *Qui ferre queat.* ] Epicuri  
præceptum. Ἀνέχου καὶ ἀπέχου ,  
et eris ἀναμάρτητος καὶ ἀμεταμέ-  
λητος.

360. *Nesciat irasci.* ] Hæc etiam  
stoica præcepta. Senec. de Ira , II ,  
6—8 , et Horat. epist. I , 6.

362. *Et Venere , et cœnis , etc.* ]

V. 354. *Ut tamen.* XXV codd. *at tamen.*

Nullum numen habes, si sit prudentia : nos te, 365  
 Nos facimus, Fortuna, Deam, cœloque locamus.

Contrarium docet Aristoph. Interpres, ex hominis epitaphio.

ΕΣΘΙΕ. ΠΙΝΕ. ΟΧΕΥΕ.  
 ΩΣ. ΤΑ. ΑΛΛΑ. ΟΥΔΕΝΟΣ.  
 ΕΣΤΙΝ. ΑΕΙΑ.

365. *Nullum numen habes.* ] O Fortuna ! nullam habes potestatem in studiosos sapientiæ homi-

nes. Numen poëtis dicitur primum Dei voluntas, deinde auxilium, postremo majestas et potentia.

366. *Nos facimus... Deam.* ] Nostrâ avaritiâ, et cupiditate habendi. — *Cœloque locamus.* Te in Deos referimus.

V. 365. *Nullum numen habes.* Quidam codd. habent *nullum nomen habes*, male : nam inde probabilem sensum elici posse vix crediderim. Quatuor, sed vitiose, pro *habes* habent *abest*.

---

# SATIRAE UNDECIMAE

## ARGUMENTUM.

LAUTA REPROBAMUS CONVIVIA, PARCA PROBAMUS.

Satira pulcherrima, quâ frugalitas prædicatur, et damnatur luxus eorum, qui immemores aurei præcepti, ΓΝΩΘΙ ΣΕΑΥΤΟΝ, facultatum suarum modum supergrediuntur. Invitat igitur Persicum amicum suum Juvenalis ad cœnam; et, stultitiâ luxuriosorum damnatâ (1 — 35), fercula a se parata, suppellectilem ac ministros recenset; cibos in villa sua Tiburtina natos et inemptos, hœdulum, gallinam, ova, asparagos, uvas, pira et mala (quæ olim cœna fuit luxuriosa clarissimorum senatorum, Curiorum, Fabriciorum, Fabiorum, Catonum, nunc cœna frugi hominum est) (56 — 92); suppellectilem non magnificam, testudineam, auream, argenteam, citream, vel eburneam; sed simplicem, æream, ligneam, fictilem, osseam, mensas nuceas et domi natas (93 — 135); servos non perite opsonia scindentes, nec peregrinos, nec care emptos, et bene comptos, sed rudes et Italos, pastoris aut bubulci filios, crasso vestitu indutos, at ingenui vultûs ac pudoris, castos et libidinis ignaros (136 — 161): præterea non lascivas saltationes, et cantilenas Gaditanarum puellarum, sed honestiora Persico promittit acroamata, recitationes Homeri et altisoni Maronis carminum (162 — 180). Denique ab amico petit, ut, omnibus dimissis curis, hilari animo, dum tota Roma ad ludos Megalesiacos spectandos in Circum effusa sit, jam sexta hora veniat; quod sine pudore fieri posse ait, cum nonnunquam festis diebus, fas sit genio indulgere, et rariori usu voluptates commendentur. Quo tempore scripta fuerit hæc satira non constat. Cum ea confer satt. 12, 4 et 8, lib. II Horatii, et Petronii fragmentum; ita, de conviviis tum simplicibus tum sumptuosis Romanorum, notitiam certam habebis.

---

---

## SATIRA XI.

### MENSAE LUXUS.

**A**TTICUS eximie si cœnat, lautus habetur;  
Si Rutilus, demens. Quid enim majore cachinno  
Excipitur vulgi, quàm pauper Apicius? Omnis  
Convictus, thermæ, stationes, omne theatrum  
De Rutilo: nam dum valida ac juvenilia membra 5  
Sufficiunt galeæ, dumque ardens sanguine, fertur,  
Non cogente quidem, sed nec prohibente Tribuno,

1. *Atticus.*] Pro quovis nobili ac divite, qualis fuit T. Pomponius Atticus.—*Eximie.* Splendide, ut decet divitem.—*Lautus.* Generosus, liberalis habetur.

2. *Rutilus.*] Pro quovis paupere, qui divites æmulari conatur.—*Demens.* Habetur insanus, si, veluti dives, cœnare velit.

3. *Apicius.*] Pro homine guloso et luxurioso. Vid. ad IV, 23.

4. *Convictus.*] Convivia, hoc est, omnes qui in conviviis, thermis, stationibus et theatro versantur, de Rutilo fabulantur.—*Thermæ.* De thermis, seu thermopoliis, vid. sup. sat. VIII, v. 168.—*Stationes.* Circuli, Porticus, seu omnia loca ubi frequenter homines ad colloquendum conveniebant.

5. *Nam dum valida, etc.*] Ordo est: nam, dum juvenis est adhuc, et validus ad arma portanda; di-

cunt eum, consumptis omnibus bonis, et inopiâ cogente, sponte operam daturum esse gladiaturæ.

6. *Sufficiunt galeæ.*] Portandæ, armisque tractandis.

7. *Nec prohibente Tribuno, etc.*] Tale dedecus Urbis. Hic, quoniam certe de tribuno militari non agitur; sed de tribuno plebis, cujus potentia jam ab Augusti temporibus, a civibus detracta fuerat, et ad Imperatores ipsos translata, hoc titulo: TRIBUNITIA POTESSTATE. I. II. III, IV, etc., minime dubium est, quin per hæc, *non cogente quidem, sed nec prohibente Tribuno*, poëta designare Imperatorem ipsum voluerit, quem notat quasi negligentem officii; et dedecus Urbis sin minus cogentem (ut quondam fecere Nero Domitianusque); at saltem, non prohibentem et patientem. A.

V. 6. *Dumque ardens sanguine.* Al. Ruperti ex Rutgers. var. lect. II, 17, et Barth. Advers. XLII, 16, emendat, *dumque ardent sanguine.* Non male quidem, sed sine auctoritate. Omnes nostri codd. habent *dumque ardens.*

Scripturus leges, et regia verba lanistæ.  
 Multos porro vides, quos sæpe elusus ad ipsum  
 Creditor introitum solet exspectare macelli, 10  
 Et quibus in solo vivendi causa palato est.  
 Egregius cœnat, meliusque miserrimus horum,  
 Et cito casurus jam perlucente ruina.  
 Interea gustus elementa per omnia quærunt,  
 Nunquam animo pretiis obstantibus: interius si 15  
 Attendas, magis illa juvant, quæ pluris emuntur.  
 Ergo haud difficile est, perituram arcessere summam

8. *Scripturus leges.*] Præcepta artis gladiatoriae, ad ea ediscenda. — *Et regia verba.* Superba; imperantia, laconicis verbis expressa: *attolle! cæde! declina! urge!* et alia ejusmodi.

9. *Elusus.*] Creditor deceptus vanâ pollicitatione solutionis.

10. *Introitum (ad ipsum).... macelli.*] Romani macellum ipsi frequentare solebant, atque emere opsonia, quæ servis domum ferenda dabant. Apud nos, id muliebri ac domesticum officium est.

11. *Et quibus, etc.*] Hæc referenda sunt ad illa: *multos.... vides, quos, etc.*—*Vivendi causa palato est.* qui tantum vivunt, ut edant, et serviant gulæ, ὧν ὁ Θεὸς ἡ κοιλία: D. Paulus ad Phil. III, 19. *Socrates quidem dicebat, homines multos propterea velle vivere, ut ederent et biberent; se bibere atque esse, ut viveret.* Macrob. saturn. II, 8. Quod noster comicus *Moliere* sic expressit in *Avaro*: *qu'il faut manger pour vivre, et non pas vivre pour manger.* A.

12. *Egregius.*] Comparat. adverb. parum usitatum, pro egre-

gie magis, lautius. — *Horum.* Ganeonum, qui propter mensæ luxum ære alieno obruantur.

13. *Jam perlucente ruinâ.*] Apparente. Metaphora petita ab ædificio cujus rimosi et hiantes undequaque parietes *casum*, ruinam minantur.

14. *Interea gustus.*] *Gustus* pro epulis, opsoniis, quæ fastidienti palato satisfaciunt. — *Elementa per omnia.* Ex aëre volucres, ex aquis pisces, e terra feras et plantas exquirunt delicatissimi saporis.

15. *Nunquam animo.*] Magnitudo pretii non minuit desiderium emendi; quin potius illud auget. — *Interius si attendas.* Si rem diligentius consideres.

16. *Magis illa juvant.*] Quod fit in omnibus quæ ad luxum spectant: quo enim quid pluris emittitur, eo pretiosius habetur.

17. *Ergo haud difficile est.*] Quandiu suppellectilis aliquid superest, facile eis est parare sibi pecuniam. — *Perituram.* Quæ mox gulæ luxu intereat.

Lancibus oppositis, vel matris imagine fracta,  
 Et quadringentis nummis condire gulosum  
 Fictile : sic veniunt ad Miscellanea ludi.

20

18. *Lancibus oppositis.*] Lancibus aureis, argenteis pignori datis. — *Oppositis.* Verbum ad rem, quo utitur in eodem sensu Catull. epigr. XXVI :

Furl, villula nostra non ad Austri  
 Flatus *opposita* est, nec ad Favoni,  
 Nec sævi Boreæ, aut Apeliotæ;  
 Verum ad millia quindecim et du-  
 centa.

O ventum horribilem atque pestilen-  
 tem!

— *Vel matris imagine fracta.* Matris imagine aurea vel argentea pignori opposita. — *Fracta.* Ne agnoscat; et ut possit sine pudore vendi, quod apud Romanos scelus erat.

19. *Et quadringentis nummis.*] Male interpretes quidam: quadringenta millia sestertiùm, censum equestrem: nam et vix crediderim hominem prope *casurum*, *perlucente ruinâ*, et coactum pignori opponere suam supellectilem, potuisse, non dico unâ mensâ, sed tantum unâ lance, adeo immensam vorare summam. Præterea, id animadvertendum est; scil. hoc loco legitur, non quadringentis (millibus) nummorum, seu sestertiùm, sed simpliciter *quadringentis nummis*; quod indicat nummos vel aureos, vel argenteos: nam, fere semper apud auctores, post verbum *nummi*, subauditur *aurei* vel *argentei*: si de nummis aureis agitur, vel aliter de *solidis aureis*, *des sols d'or*, qui Juven. temporibus hanc nostram æquabant summam 19 fr.

50 c. pro quadringent. habebimus 7800 fr.; quod probabile est: si de nummis argenteis, seu denariis (denario constante 15 s.  $\frac{2}{3}$ ), habebimus 318 fr.; quod probabilius: si denique, ut quidam volunt, *nummus* sumitur pro sestertio, quartâ parte denarii ( $3s. \frac{3}{4}$ ), hæc summa circiter æquabit 80 fr. quæ etsi major adhuc pro una lance, quàm quæ privatum deceret; tamen non adeo magna erat, ut Juvenali bilem satiricam moveret: ideo secundam sumo, scil. quadringentis nummis, pro quadringentis denariis (318 fr.), quæ facilius in mentem poëtæ venisse, et homini guloso et obætrato convenire magis mihi videtur. — *Condire.* Cibis conditis implere. — *Gulosum fictile.* Vas fictile, *testa alta*, ut supra IV, 131. — *Gulosum.* Quale convenit homini guloso, vel capaci. A.

20. *Sic veniunt ad Miscellanea ludi.*] Vet. schol. « Cùm non ha-  
 « beant, unde manducant, dis-  
 « trahunt se ad ludum (gladiato-  
 « rium), fiunt gladiatores. — *Mis-  
 « cellanea.* Genus miserabile fer-  
 « culi, cibus gladiatorum, id est  
 « ultima cœna. Ideo *Miscellanea*,  
 « quia omnia quæ apponuntur  
 « eis miscent, et sic manducant. »  
 Turn. Advers. XXII, 23. « Equi-  
 « dem ad ludos Miscellos (A Cæ-  
 « ligula editos, et primum actos  
 « Lugduni) puto respexisse poë-  
 « tam, ita tamen, ut significet,



Refert ergo quis hæc eadem paret : in Rutilo nam  
 Luxuria est ; in Ventidio laudabile nomen  
 Sumit , et a censu famam trahit. Illum ego jure  
 Despiciam , qui scit quanto sublimior Atlas  
 Omnibus in Libya sit montibus : hic tamen idem 25  
 Ignoret , quantum ferrata distet ab arca  
 Sacculus. E cælo descendit ΓΝΩΘΙ ΣΕΑΥΤΟΝ  
 Figendum , et memori tractandum pectore , sive  
 Conjugium quæras , vel sacri in parte Senatûs

« eos conturbare , et deficere ,  
 « solvendoque non esse , et ad  
 « paupertatem redigi , et omnia  
 « miscere. Nam , conturbare di-  
 « cebantur , qui solvendo non  
 « erant. Sic , inquit idem , sat.  
 « VII, *Pedo conturbat , Matho de-*  
 « *ficat.* » Sed melior , meo judicio,  
 et aptior vet. schol. sententia. A.  
 — *Ludi.* Forte pro ludii , ludio-  
 nes : sic , ludii facti veniunt ad , etc.

21. *Refert ergo.* ] Multum inter-  
 est divesne sit , an pauper ille qui  
 lautas parat epulas. — *In Rutilo*  
*nam.* Paupere , de quo sup. v. 5.

22. *In Ventidio.* ] Hic idem  
 sumptus in divite Ventidio , ut  
 supra in Attico. — *Laudabile no-*  
*men sumit.* Laudabilis est , et ho-  
 nestus.

23. *A censu famam trahit.* ] Si  
 census ( res familiaris ) magnus ,  
 liberalitatis ; si exiguus , luxuriæ  
 famam obtinet sumptus. — *Illum*  
*ego. . . despiciam.* Stulti sunt et  
 contemptu digni , qui externa-

rum rerum scientiam sectantur ,  
 ac opes suas et facultates igno-  
 rant , et sumptus suos mediocri-  
 tati suæ aptare nesciunt. Eximia  
 sententia omnibus retinenda.

24. *Atlas.* ] Mons Mauritanix ,  
 cujus altitudo notissima.

26. *Ferrata. . . arca.* ] Gall. *coffre-*  
*fort* : hæc divitum , ut *sacculus* ,  
 locus , crumena pauperum.

27. ΓΝΩΘΙ ΣΕΑΥΤΟΝ. ] Nosce  
 teipsum. Hæc præstantissima sen-  
 tentia in vestibulo templi Del-  
 phici aureis litteris erat inscripta,  
 et a quibusdam Thaleti vel Chi-  
 loni , Cleobulo , Bianti , Pytha-  
 goræ , Socrati aliisque sapienti-  
 bus viris tributa , ab aliis ipsi  
 Apollini , vel oraculo ejus ; unde  
 noster hanc sententiam secutus ,  
 dicit : *e cælo descendit.*

29. *Conjugium ( sive ) quæras.* ]  
 In omnibus vitæ partibus reti-  
 nenda est illa sententia ; sive ux-  
 orem ducas , sive honores appe-  
 tas. — *Conjugium quæras* : id dixit

V. 28. *Figendum.* Legunt codd. quidam *fingendum* , in eodem sensu ,  
 quo nos *figendum* ; et ea varietas oritur ex veteri scriptura *thensaurus* ,  
*formonsus* , etc. ut sup. v. 4 , *convinctus* pro *convictus*. At , id parvi interest.

Esse velis (nec enim lorica[m] poscit Achillis 30  
 Thersites, in qua se traducebat Ulysses  
 Ancipitem), seu tu magno discrimine causam  
 Protegere affectas, te consule: dic tibi qui sis,  
 Orator vehemens, an Curtius, an Matho, buccæ.  
 Noscenda est mensura sui, spectandaque rebus 35

ex Ovid. Her. IX, 32: *nube pari*.—  
*Sacri*.... *Senatús*. Venerandi, ut  
 IEPA CYFKAHTOC. Vid. numm.  
 urbium Græc. et Colon. — *In*  
*parte Senatús*. Senator esse.

31. *Thersites*.] De Thersite vid.  
 sup. ad VIII, 269. — *In quâ se*  
*traducebat Ulysses ancipitem*. In pe-  
 titione cujus loricae, ipse Ulysses  
 se traducebat, præbebat incertum,  
 metuentem, ne, etsi vir ipse con-  
 siliis, prudentiâ, animo et for-  
 titudine clarus, eam non obtine-  
 ret. Alii aliter: in qua se riden-  
 dum oculis Græcorum præbebat.  
 Sed, falso: nam nullibi legimus  
 Ulyssem a Græcis propter hoc  
 derisum fuisse, vel etiam de-  
 rideri debuisse, cum ipsimet  
 illum Græci, sponte suâ, et in  
 commendationem suarum virtu-  
 tum, etiam Ajaci prætulerint. Pes-  
 sime *Dusaulx* interpretatus est:  
 « sous lesquelles Ulysse se montrait de

« maniere que l'on doutait qui des  
 « deux en était revêtu. » Quam lan-  
 guida sit et insulsa ejus paraphra-  
 sis, quivis lector facile sentiet. A.

32. *Causam protegere*.] Idem  
 ac defendere. — *Magno discrimi-*  
*ne*. Causam in qua magnum est  
 discrimen, periculum, ut capi-  
 tis, famæ, etc. causam gravem.  
 — *Te consule*. Te ipsum viresque  
 tuas explora, excute.

34, 35. *Curtius*.] Cognomine  
 Montanus, de quo sup. IV, 107.  
 — *Matho* Causidicus infimæ notæ,  
 de quo sat. I, 32 et VII, 129. —  
*Buccæ*. Hoc verbum præcedenti-  
 bus referimus, ut sit sensus: vi-  
 dendum est tibi qui sis, an orator  
 vehemens, an Curtius et Matho  
*buccæ*, qui sunt vani et ventosi  
 causidici, Gall. *qui ne font que du*  
*bruit*: sic, sat. III, *notæque per*  
*oppida buccæ*. Alii ita legunt, et  
 interpretantur: *orator vehemens*,

V. 31. *Traducebat*. Non eadem de causa, quâ sup. v. 28, quidam legunt,  
 et accuratius forte, *transducebat*, ut al. *transjacere*, *transmittere*, de quo  
 Donat. ad Terent. Phorm. pr. « *Transdere* veteres sonantius, quod nos  
 « lenius dicimus *tradere*. » Vid. Drakenb. et Al. Rup. ad Sil. IV, v. 487.

V. 33. *Qui sis*. Ita ex suis codd. revocavit Al. Rup. et hanc lectionem  
 recepimus veluti doctiorem et suaviorem.

V. 35. *Noscenda est mensura sui*. Ita, inter nostros codd. Alexandr.,  
 Mazarin. I, Thuan. I, Fauchet., Colbert. II, Pithoei, Senatorius, et VII  
 alii. Quidam, *mensura suæ*, vel *tuæ*. Puteanus vero *mensura sua*, vulgatam  
 lectionem servavimus. Vid. sup. comment.

In summis minimisque : etiam cùm piscis emetur ,  
 Ne mullum cupias , cùm sit tibi gobio tantum  
 In loculis. Quis enim te , deficiente crumenâ ,  
 Et crescente gulâ , manet exitus , ære paterno ,  
 Ac rebus mersis in ventrem , fenoris atque 40  
 Argenti gravis , et pecorum , agrorumque capacem ?  
 Talibus a dominis post cuncta novissimus exit  
 Annulus , et digito mendicat Pollio nudo.  
 Non præmaturi cineres , nec funus acerbum

*an Curtius, an Matho. Buccæ noscenda est mensura suæ*, id est, facundiæ noscenda est mensura nostræ. Utraque lectio et interpretatio bene se habet : at prior satirica magis videtur. — *Spectandaque*. Subaudi mensura. *Est modus in rebus spectandus*, in summis minimisque etiam, e tc. A.

37. *Mullum*.] Piscem grandem et pretiosum. Gall. *surmulet*. Vid. IV, 15. — *Gobio est in loculis*. Id est, pretium gobii. — *Gobio*, seu gobius, κωβίδς, vilis pisciculus, un *goujon*.

39. *Ære paterno*.] Patrimonio. — *Ac rebus*. Re familiari.

40. *Mersis in ventrem*.] Unde homo gulosus vocatur *gorges*, *vorago* patrimonii, et *barathrum* macelli. — *Ventrem... capacem*. Lepide venter dicitur capax fenoris, argenti, pecorum, etc. quasi qui vorat omnia et deglutit.

41. *Argenti gravis*.] Non facti aut signati, sed quod est adhuc in massa, *en lingots*.

42. *Talibus a dominis*.] *Helluonibus*. — *Novissimus exit annulus*. Postremo annulum equestrem deponere ac vendere coguntur; unde, ut Pollio mendicant, *digito nudo*, devorato censu, patrimonio, et amissâ suâ dignitate: nam, legibus cautum erat, *ne cui jus annulorum esset, nisi cui ingenuo ipsi, patri, avoque paterno sesterts. CCCC. census fuisset*. Plin. XXXIII, 2, seu 7.

43. *Pollio*.] Forte is, de quo Plinius, IX, cap. 11. *Testudinum putamina secare in laminos, lectosque et repositoria his vestire, Carvilius Pollio instituit, prodigi et sagacis ad luxuriæ instrumenta ingenii*.

44. *Non præmaturi cineres*.] Mors præmatura, non metuenda tantum est *luxuriæ*, id est, luxuriosis hominibus. Tria autem sunt

V. 40. *Fenoris*. Alex. Rup. scribit *feneris*, ab antiquo verbo *feo*, hoc est, gigno, creo, procreo, facio, unde *fenus*, *fetus*, *secundus*. Vid. Cellar. orthogr. Lat. T. I, p. 234, ed. Harles. In media voce, addit idem, e pro o substituendum esse, intelligitur ex derivatis, *fenebris*, *feneratio*, *fenerator*, *fenerare*, *feneratorius*, etc. Similiter *pigneribus* pro *pignoribus* posuit, sat. IX, v. 141.

Luxuriæ ; sed morte magis metuenda senectus. 45  
 Hi plerumque gradus : conducta pecunia Romæ,  
 Et coram dominis consumitur : inde ubi paulum  
 Nescio quid superest , et pallet fenoris auctor ,  
 Qui vertère solum , Baias et ad ostrea currunt :  
 Cedere namque foro jam non tibi deterius , quàm 50  
 Esquilias a ferventi migrare Suburra.  
 Ille dolor solus patriam fugientibus , illa  
 Mœstitia est , caruisse anno Circensibus uno.  
 Sanguinis in facie non hæret gutta : morantur

mortis genera. *Acerba, immatura, naturalis : acerba infantium, immatura juvenum, naturalis senum.*

45. *Sed morte magis metuenda senectus.* ] Quod censebat Apicius, qui inspectis rationibus, cum videret superfuturum solummodo centies sestertiùm, velut in fame victurus veneno vitam finiit.

46. *Hi plerumque gradus.* ] Ii qui ad inopiam deveniunt, 1<sup>o</sup> pecuniam fenore accipiunt, 2<sup>o</sup> hanc in ipsâ urbe, coram creditoribus in luxuriam effundunt, 3<sup>o</sup> solum vertunt.

47. *Coram dominis.* ] Creditoribus. — *Ubi paulum.* Et nescio quid forsân, et ferme nihil superest.

48. *Et pallet fenoris auctor.* ] Ne fenus et creditum perdat.

49. *Qui vertère solum.* ] Patriâ cedentes in aliam regionem abeunt, ne a creditoribus comprehendantur : nam, qui volunt pœnam aliquam subterfugere, aut calamitatem, solum vertunt, hoc est, sedem

ac locum mutant. Cic. pro Cælio, cap. 34. — *Baias.* Urbem Campaniæ maritimam. — *Ad ostrea.* Scil. manducanda, quæ in littore Baiano frequentiora et optima reperiebantur.

50. *Cedere namque foro.* ] Creditores fraudare, Gall. *faire banqueroute* ; ut ap. Senec. Ben. IV, 39 : nam, in foro argentariorum erant tabernæ, et res pecuniaria perscriptione, transcriptione tractabatur ; unde negotiatores in foro (*à la bourse*) versari, et contra foro *cedere* dicuntur.

51. *Esquilias.* ] Urbis regio fere deserta. — *Ferventi... Suburra.* Hæc contra regio populo frequentissima, ideoque dicitur fervens.

53. *Caruisse anno Circensibus.* ] Notat insanam ludorum spectaculorumque cupiditatem in Romanis, quam jam exagitavit, sat. III, 223, et X, v. 80.

54. *Sanguinis... non... gutta.* ] Rubor sanguinis in faciem suffusus

V. 49. *Ad ostrea.* Multi codd. habent *ostia* vel *hostia*, non male, si designari posset hoc nomine Ostiensis portus, locus amœnissimus ; sed vid. quæ notavimus, sat. VIII, v. 170.

Pauci ridiculum et fugientem ex Urbe pudorem. 55  
 Experiere hodie, numquid pulcherrima dictu,  
 Persice, non præstem vitâ, vel moribus et re;  
 Sed laudem siliquas occultus ganeo; pultes  
 Coram aliis dictem puero, sed in aure placentas.  
 Nam cum sis conviva mihi promissus, habebis 60  
 Evandrum, venies Tirynthius, aut minor illo  
 Hospes, et ipse tamen contingens sanguine cœlum:

pudoris indicium est. Hic, nullus pudor.

55. *Pauci.... morantur.*] Pauci servant pudorem istum, et metum infamiæ, qui jam ridiculus fere omnibus, dudum effugisset ex Urbe, ni a quibusdam, sed paucissimis, quasi retineretur adhuc.

56. *Numquid pulcherrima dictu.*] Utrum verbis tantum frugalitatem extollam, quam re non teneam.

57. *Persice.*] Amicus Juvenalis, quem ad cœnam invitârat; non aliunde notus.

58. *Siliquas.*] Cibum rudiolem, ut pisa, fabæ, lupini, et alia ejusmodi legumina, quorum involucri siliqua dicitur. — *Occultus ganeo.* Clam popinas frequentans, et domi gulosus. — *Pultes.* Idem ac *pulmenta, pulmentaria* ex farina frumenti, hordacei, milii aliorumque generis hujus confecta, quibus diu Romani usi sunt, antequam conficiendi panis rationem invenerint.

59. *Coram aliis.*] Palam, aperte,

clara voce, ut frugalis existimer.

— *Sed in aure.* Clam, insusurrans.

— *Placentas.* Dulciaria, delicata fercula. *Placentæ* fiebant e farina siliginea, alica, caseo, melle, et cibus erat delicatissimus.

60. *Conviva mihi promissus.*] Qui te mihi convivam futurum promisisti. — *Habebis Evandrum.* O Persice! me frugalem invenies hospitem, sicut olim Evandrum Hercules et Aeneas habuere; cum ab eo tenui mensâ excepti sunt.

61. *Evandrum.*] Primo regem Arcadiæ, dein partis illius Italiæ, prope quam deinceps Roma fuit condita. Vid. Virg. Aeneid. VIII, v. 100, et 359 — 369. — *Tirynthius.* Hercules, a Tirynthe Argivorum oppido, in quo natus erat.

62. *Hospes.*] Aeneas minor illo, seu dignitate et factis, seu ætate. — *Et ipse tamen contingens sanguine cœlum.* Deos sanguine, propinquitate contingens, et paternam maternamque originem a Diis repetens; ita, sensus hujus phrasid erit: si Evander rex hospitibus

V. 59. *Sed in aure.* Quidam, inter quos Farnab. legunt, *sed in arce.* Quid per hæc intelligant, nescio. Aliæ editt. priscae, non melius, *sed in ore.* At lectio codd. potior certe est.

Alter aquis, alter flammis ad sidera missus.  
 Fercula nunc audi nullis ornata macellis.  
 De Tiburtino veniet pinguis agros 65  
 Hædulus, et toto grege mollior, inscius herbæ,  
 Nec dum ausus virgas humilis mordere salicti,  
 Qui plus lactis habet quàm sanguinis; et montani  
 Asparagi, posito quos legit villica fuso:  
 Grandia præterea, tortoque calentia fæno 70  
 Ova adsunt ipsis cum matribus, et servatæ  
 Parte anni, quales fuerant in vitibus, uvæ;  
 Signinum, Syriumque pirum; de corbibus isdem  
 Aemula Picenis, et odoris mala recentis,  
 Nec metuenda tibi, siccatum frigore postquam 75

suis, a Diis oriundis frugalem dederit cœnam, non lautiores a me expectabis.

63. *Alter.*] Aeneas, qui in aquis Numici fluvii vitam amisit, in quem prælio victus cecidisse dicitur. — *Alter.* Hercules: nam . . . fulget sacratis ignibus Oeta, ingentemque animam rapiunt ad sidera flammæ.

Sil. Ital. III, 43.

64. *Nullis ornata macellis.*] Fercula referta nullis opsoniis e macello emptis.

65. *De Tiburtino... agro.*] Ubi, quod verisimile est, villam habebat Juvenalis.

66. *Inscius herbæ.*] Materno adhuc lacte victitans, qui nullam nondum herbam delibavit.

67. *Salicti.*] Salicis. Salicti humilis. Virg. Georg. II, 434.

68. *Qui plus lactis habet.*] Eo quòd herbam non adhuc morderet, carpere ausus sit.

69. *Asparagi.*] Montani, silvestres, minus delicati quàm hortenses.

70. *Tortoque calentia fæno.*] Recentia, e nido, qui e torto fæno conflatus fuit.

71. *Ipsis cum matribus.*] Cum ipsis gallinis. — *Et servatæ uvæ.* Uvæ variis servabantur modis, aliæ in ollis, unde *ollares* dictæ; aliæ suspendebantur, unde *pensiles*, vid. Columell. XII, 43, Varr. R. R. I, 54, et alios.

73. *Signinum.*] Pirum Signinum, apud nos, *la poire de chat*, sic dictum, a Signia Latii oppido, ut alias *testaceum* a colore. — Syrium pirum, seu Falernum, Gall. *la Bergamotte*, e Syria allatum, et nigri coloris.

74. *Aemula Picenis... mala.*] Mala Picena laudat Horat. Sat. II, 3, 272, et 4, 70.

75. *Siccatum... postquam Autumnum.*] Autumnalem succum

Autumnum, et crudi posuere pericula succi.  
 Hæc olim nostri jam luxuriosa Senatûs  
 Cœna fuit. Curius, parvo quæ legerat horto,  
 Ipse focis brevibus ponebat oluscula, quæ nunc  
 Squalidus in magna fastidit compede fossor, 80  
 Qui meminit, calidæ sapiat quid vulva popinæ.  
 Sicci terga suis, rarâ pendentia crate,  
 Moris erat quondam festis servare diebus,  
 Et natalitium cognatis ponere lardum,  
 Accedente novâ, si quam dabat hostia, carne. 85  
 Cognatorum aliquis titulo ter Consulis, atque

crudum noxiumque humorem, quem, cum recentia essent, habebant.

77. *Hæc olim nostri.*] Talis erat olim senatorum et divitum nostrorum cœna, cum jam luxuria cœperat increscere: at antea Curius, etc.

78. *Curius.*] Præclara priscae Romanorum simplicitatis ac frugalitatis descriptio, opposita luxuriæ mensarum recentiorum Romanorum. — *Curius.* De quo vid. sat. II, v. 3.

80. *In magna... compede fossor.*] Servus catena longiori vinctus, et in agro opus faciens. Hic, pro miserrimo servo.

81. *Quid sapiat.*] Quem saporem habeat, ut infra, v. 121, *nil rhombus sapit.* — *Calidæ vulva popinæ.* Vulva porcæ præparata in popina. Vulva suilla inter delicatissimos cibos fuisse patet ex veterum scriptis, præsertim ejectitia. *Ejectitia* autem *vulva* est, quæ ex-

trahitur utero, matre prægnante: *porcaria* vero, que post partum. Plinius, libro XI, 37, *vulva primiparæ suis optima.* Horat. Epist. I, 15, 41.

... nil vulvâ pulchrius amplâ.  
 82. *Sicci.*] Fumo exsiccati et salsi, propterea que ad focum expositi in crate lignea rara, et fumo pervia.

84. *Et natalitium... lardum.*] *Cognatis* ponere in mensa *lardum*, suillam carnem salitam, *natalitium* pro, in die natali, quem diem omnes gentes, præter Thracas, convivii celebrare solebant.

85. *Accedente novâ.*] Additâ tantum *novâ*, recenti carne, *si quam dabat hostia*, si forte hostia immolaretur, ab ipsis, vel a magistratibus. *Immolatarum enim ab his hostiarum exta ad quæstores ærarû delata venibant; sacrificiisque pop. Rom. tum Deorum immortalium cultus, tum etiam continentia inerat.* Valer. Max. lib. II, 28.

V. 76. *Succi.* Al. Rup. legit *suci*, ex auctoritate aliquot codicum.

Castrorum imperiis, et Dictatoris honore  
 Functus, ad has epulas solito maturius ibat,  
 Erectum domito referens a monte ligonem.  
 Cùm tremerent autem Fabios, durumque Catonem, 90  
 Et Scauros, et Fabricios, rigidique severos  
 Censoris mores etiam collega timeret;  
 Nemo inter curas, et seria duxit habendum,

87. *Castrorum imperiis.*] Id est, militaribus: sic, clarissimi homines summis honoribus functi.

88. *Solito maturius ibat.*] Ibant, hoc tantum die, *maturius solito*, ante horam nonam, ut largius genio indulgerent.

89. *Erectum... referens... ligo-nem.*] Priscis his temporibus, proceres civitatis agros colebant, et opere rustico delectabantur; unde iis cognomina, sæpe dabantur ex agris petita, ut *Fabius, Lentulus, Cicero, Serranus, Piso, etc.*, quod notum ex Plin. et Columell. in præfat. et aliis. — *A monte domito.* A colle vel agro montano, quem ligone subegit et aratro.

90. *Cùm tremerent.*] Quandiu Roma timuit censores, etc. — *Fabios.* Septem fuere censores, ex ea gente; sed præcipuus, Q. Fabius Maximus Rullianus, collega P. Decii Muris in censura, de quo, vet. schol. « Fabricium ( lege « Fabium ex Tit. Livio X, 24 ) « censorem dicit, cui in cen- « sura Maximi nomen obvenit, « qui luxuriam reipublicæ dam-

« nans, a collega P. Decio postu- « lavit, ut, aut ipse quemadmo- « dum ei videretur mores homi- « num emendaret, priorum cen- « sorum negligentia perditos, aut « pateretur se revocare pristinum « civitatis statum: quorum si neu- « trum faceret, minitatus abdicat- « turum se eum magistratu. De- « cius ergo exterritus permisit, « ut quemadmodum vellet, rem- « publicam administraret, se con- « sentiente. » — *Durumque Cato-nem.* Satis censurâ suâ notum.

91. *Et Scauros.*] E Scauris claris- simus M. Aemilius Scaurus Prin- cepssenatûs, censor an. DCXLV, bis consul, auctor legis cibariæ, quique Aemiliam stravit viam, pontemque Mulvium refecit. — *Et Fabricios.* De Fabricio censore, vid. sup. ad IX, 142.

92. *Censoris... mores collega ti- meret.*] Vid. sup. 90.

93. *Nemo inter curas.*] Nemo sollicitus fuit, de lecto testudine exornando, aliâque supellectilis magnificentia comparandâ.

V. 91. *Rigidique severos.* Vet. schol. et quidam editt. recentiores legunt, *postremo severos.* Quia cum synon. *rigidi, severos* jungeretur, et hoc loco langueret: at codd. auctoritas præstat.



Qualis in Oceani fluctu testudo nataret,  
 Clarum Trojugenis factura, ac nobile fulcrum; 95  
 Sed nudo latere, et parvis frons ærea lectis  
 Vile coronati caput ostendebat aselli,  
 Ad quod lascivi ludebant ruris alumni.  
 Tales ergo cibi, qualis domus, atque supellex.  
 Tunc rudis, et Graias mirari nescius artes, 100  
 Urbibus eversis, prædarum in parte reperta  
 Magnorum artificum frangebat pocula miles,

94. *Qualis in Oceani, etc.* ] *Testudines tantæ magnitudinis Indicum mare emittit, ut singularum superficie habitabiles casas integant: atque insulas Rubri præcipue maris his navigent cymbis.* Plin. IX, 10.

95. *Trojugenis.* ] Romanis e Troja oriundis. — *Fulcrum.* Spondam. Lecti tricliniæ præcipua suppellectilis pars.

96. *Nudo latere.* ] Sine ornatu, solâ fronte lecti ære munitâ.

97. *Vile coronati.* ] Hujus ritus causam Ferrarius recte petiit ab Hygino Fab. CCLXXIV. *Antiqui nostri in lectis tricliniaribus in fulcris capita asellorum vite alligata habuerunt, significantes, quod pampinos prærodendo putare vites docuerit, atque ita vini suavitatem inveniret.* Frons itaque lecti ostendebat caput, effigiem asini in ea

expressam, quod vile ornamentum erat, si claro illi ac nobili fulcro testudineo comparetur.

98. *Ad quod lascivi.* ] Circa quod ludere consueverant pueri rure educati.

100. *Tunc rudis.* ] Tunc miles, priscis illis temporibus, rudis et artium ignarus vasa eximii operis per Græcos facta temere frangebatur, ad faciendas equorum phaleras, ut patet exemplo Mummii ex Vell. Pat. I, 13, et aliis. — *Mirari nescius.* Hellenismus: sic Horat. lib. I, od. 6:

. . . . . nec gravem

Peleidæ stomachum cedere nesci.

— *Graias . . . artes.* Sculpturam, picturam, aliasque artes a Graiis excultas.

102. *Magnorum artificum.* ] Phidæ, Praxitelis, Myronis, etc.

V. 94. *Qualis in Oceani fluctu.* Ita codd. et editt. priscarum pars maxima. Quidam legunt, *qualis in Oceano fluctu*, ut Oceanus adjective sumatur: sicuti infra v. 113, *littore ab Oceano*. Non male forte, sed nostra lectio auctoritate præstat. Omnes nostri codd. tribus exceptis recentioribus, habent *Oceani*.

V. 97. *Vile coronati.* Ita omnes nostri codd. Qui autem legunt *vite*, id sine auctoritate faciunt, et ex mera Henninii conjectura, quam, nulla necessitate cogente, ab Hygini Fab. suscepit. At vid. comment.

Ut phaleris gauderet equus, cælataque cassis  
 Romuleæ simulacra feræ mansuescere jussæ  
 Imperii fato, et geminos sub rupe Quirinos, 105  
 Ac nudam effigiem clypeo fulgentis et hasta,  
 Pendentisque Dei, perituro ostenderet hosti.  
 Ponebant igitur Tusco farrata catino;  
 Argenti quod erat, solis fulgebat in armis.  
 Omnia tunc, quibus invidias, si lividulus sis. 110  
 Templorum quoque majestas præsentior, et vox

103. *Gauderet.*] Lætaretur, superbiret: equo enim tribuitur sensus ornatûs, præstantiæ.

104. *Romuleæ... feræ, etc.*] Ordo est: cassis cælata ostenderet hosti perituro simulacra, etc. Eadem adumbrata in clypeo Aenææ, ap. Virg. Aen. VIII, 630, cujus loci memor fuit Juvenalis. — *Romuleæ feræ.* Lupæ, ingenitam ferocitatem deponere jussæ.

105. *Imperii fato.*] Jubentibus fatis. — *Geminos... Quirinos.* Romulum et Remum.

107. *Pendentisque Dei.*] Martis in summa casside expressi; nam, quæ alta sunt, pendere dicunt poëtæ.

108. *Farrata.*] Tunc, cibaria, cibos e farre, pultem ponebant. — *Tusco catino.* Nam fictilia Tusca erant notissima et obvia. Quædam exstant hodie sub hoc nomine,

*vases Etrusques*; quæ antiquarii nuperi, forsan ex levibus argumentis, contendunt esse indistincte et omnia Græca. A.

109. *Argenti quod erat, etc.*] In solis armis fulgebat argentum, non in vasis et supellectile, ut nunc.

110. *Omnia tunc.*] Vet schol. « Omnia tunc præstantiora erant, et tanti pretii, quibus si avarus sis, invidere possis. » Hæc ratio dura videtur. Nos autem ita: *omnia tunc*, quæ possidebant, sic erant comparata, ut istis hominibus parvo contentis et beatissimis invidere possis, si paululum lividulus sis. — *Invidias.* Propter eorum felicitatem. — *Si lividulus.* Si tantillum invidiæ in præcordiis sedeat. A.

111. *Templorum . . . majestas præsentior.*] Dii quoque ipsi, cum minus luxuriosi essent homines,

V. 106. *Fulgentis.* Puteanus, vet. schol. et duo posterioris sæculi codd. habent *venientis*. At, dura est, et contorta ratio explicandi hoc verbum. Nec gravior forte nostra lectio est; sed auctoritate præstat. Al. Rup. non male conjicit, *minitantis*.

V. 109. *Argenti quod erat, etc.* Hunc versum, qui abest a tribus ex nostris codd. restitui in suam sedem, auctoritate vetustissimorum codd. in paucis quibusdam, et in recentioribus editionibus, legitur ante v. *Ponebant igitur, etc.*

Nocte fere mediâ, mediamque audita per Urbem,  
Littore ab Oceani Gallis venientibus, et Dis  
Officium vatis peragentibus, his monuit nos.

Hanc rebus Latiis curam præstare solebat 115

Fictilis, et nullo violatus Jupiter auro.

Illa domi natas, nostrâque ex arbore mensas

Tempora viderunt: hos lignum stabat in usus,

Annosam si forte nucem dejecerat Eurus.

At nunc divitibus cœnandi nulla voluptas, 120

Nil rhombus, nil dama sapit: putere videntur

magis erant propitii; et, vel vatum loco, imminetia prænuntiabant mala. — *Majestas præsentior.* Propitia magis. — *Vox... audita.* Ordo est: littore ab Oceani, Gallis venientibus, et Diis peragentibus officium vatis, vox audita est mediâ nocte per urbem, quæ vox admonuit nos. — *Vox nocte fere mediâ.* M. Cædicius de plebe nuntiavit tribunis, se in nova via, ubi nunc sacellum est, supra ædem Vestæ, vocem noctis silentio audisse clariorem humanâ, quæ magistratibus dici juberet, Gallos adventare. Tit. Liv. V, 32.

113. *Littore ab Oceani.* ] *Invisitato, atque inaudito hoste ab Oceano, terrarumque ultimis oris bellum ciente.* Tit. Liv. V, 37. De Gallis loquitur, qui, sub duce Brenno, Urbem totam, præter Capitolium, invaserunt.

114. *His monuit nos.* ] De (subauditur) his, scil. de adventu Gallorum monuit nos.

115. *Rebus Latiis.* ] *Reipublicæ Romanæ, Imperio Romano, ut rebus Romanis, rebus Asiæ, etc.*

116. *Fictilis Jupiter.* ] E luto figuli rotâ conformatus. Senec. Epist. XXXI. *Cogita Deos, cum propitii essent, fictiles fuisse: et Consol. ad Helviam, cap. X. Itaque tum per fictiles Deos religiose jurabatur.*—*Et nullo violatus Jupiter auro.* Id est, corruptus, quasi inquinatus, ut sat. III, 20, *nec ingenuum violarent marmora totum. Aurum enim et argentum, ne Diis quidem conficiebant.* Plinius, XXXV, 12.

117. *Illa domi natas.* ] Priscis illis temporibus, mensæ conficiebantur e nucibus, aliisque arboribus vernaculis vulgaribusque.

118. *Stabat.* ] *Erat, ut passim stare, et ἵσταναι pro esse.*

119. *Eurus.* ] Pro quovis vento vehementiori.

121. *Rhombus.* ] *Piscis exquisiti saporis, de quo, sat. IV, 39,*

V. 118. *Hos lignum stabat in usus.* Ita codd. nostrorum pars maxima. Alexandrinus cod. *hos lignum stabat ad usus.* Puteanus, *hoc lignum stabat in usus.*

Unguenta atque rosæ, latos nisi sustinet orbes  
 Grande ebur, et magno sublimis pardus hiatu,  
 Dentibus ex illis, quos mittit porta Syenes,  
 Et Mauri celeres, et Mauro obscurior Indus,

125

— *Dama.* *Damæ*, Διεύσιναι δορκά-  
 δες, capræ silvestres.

122. *Unguenta atque rosæ.*] Unguentorum et rosarum usus in conviviis notissimus. — *Latos.... orbes.* Mensas grandes et rotundas. « Servius ad *Aen.* lib. I, v. 623. « notat apud *Majores*, ipsas *mensas appositas fuisse* cum lancibus, « non vero lances in mensam: ha- « buisse autem illos *duas tantum mensas*, unam *carnis*, alteram *porum*: hinc *prima et secunda mensa*. Scilicet, postquam primâ « mensâ saturati essent, illa re- « movebatur, et secunda mensa « admovebatur, non, ut hodie « et Servii ætate, novus missus « eidem mensæ inferebatur; sed « una cum missu, mensa muta- « batur. Mensæ autem illæ, quam- « diu triclinia durarunt, in lon- « gum quadratæ ad lectorum men- « suram erant: postea rotundæ « mensæ invecæ sunt, seu *orbes*, « cùm *stibadia* sive *accubitu* in « usum inducerentur, quæ cùm « semirota essent, necesse « erat mensas rotundari. Invales- « cente demum luxu, non dua- « bus, sed pluribus utebantur « mensis, et aliquando ad singu- « los missus, singulas mensas va- « riabant: et vel loco eodem re- « cumbentes novos missus men- « sasque exspectabant, vel locum « mutantes aliis mensis accum- « bebant; quod postremum ge-

« nus *ambulantem cœnam* festive  
 « Martial. lib. VI appellat, ubi An-  
 « nui luxum taxat, qui *ducentis*  
 « fere *mensis* epulabatur. Mensæ  
 « autem seu orbes illi apud deli-  
 « catos erant *Citrei*, quorum adeo  
 « immane pretium, ut aurum vin-  
 « cerent, teste Martial. lib. XIV,  
 « *Mensa citrea*. Vide omnino Se-  
 « nec. *de Benef.* VII. 9, et Plin.  
 « XIII. 15, ubi incredibilia de  
 « harum mensarum pretio repe-  
 « rics, ut feminæ margaritarum  
 « sumptus insana citrearum taxa-  
 « tione maritis excusarent. » Ita  
 Hennin. *spicileg. sat.* I, v. 137.

123. *Grande ebur.... et... sublimis pardus.*] Pes altus eburneus, cœla-  
 tus in pardi hiantis figuram.

124. *Dentibus ex illis.*] Elephantinis. — *Porta Syenes.* Insula et urbs in confinio Aethiopiæ et Aegypti insulæ, cujus, teste Strabone, circuitus fere C. Millia pas. æquat. Idem Strabo, Herodotus et Plin. eam *Elephantinam*, seu *Elephantidem* vocant, propter multitudinem elephantorum ibi degentium. Cùm autem ex Aethiopia in Aegyptum facientibus iter, per hanc insulam et urbem transeundum esset, ideo urbs illa vocabatur *Porta Syenes*. A.

125. *Et Mauri celeres.*] Ut fere omnes Africæ populi. — *Obscurior Indus.* Nigrior. Græci μαῦρον obscurum vocant.

Et quos deposuit Nabatæo bellua saltu,  
 Jam nimios, capitique graves. Hinc surgit orexis,  
 Hinc stomacho bilis: nam pes argenteus illis,  
 Annulus in digito quod ferreus. Ergo superbum  
 Convivam caveo, qui me sibi comparat, et res 130  
 Despiciat exiguas. Adeo nulla uncia nobis  
 Est eboris: nec tessellæ, nec calculus ex hac  
 Materia: quin ipsa manubria cultellorum  
 Ossea, non tamen his ulla unquam opsonia fiunt  
 Rancidula, aut ideo pejor gallina secatur. 135  
 Sed nec structor erit, cui cedere debeat omnis

126. *Et quos deposuit.*] Elephanti, ut aiunt, dentes nimios, et capiti graves, quovis biennio, ut cervi certo tempore cornua, deponunt, et quoties id faciunt, plerumque recipiunt graviore et crassiores. — *Nabatæo... saltu.* In regione Arabiæ Petrææ, cujus metropolis fuit Petra. Quæ omnes regiones supra memoratæ elephantis sunt feraciores.

127. *Hinc surgit orexis.*] Hoc ironice dictum, quasi mensæ citræ, et pes eburneus ciborum appetitum augeat. — *Orexis*, ab ἐρέγομαι, *appeto*.

128. *Hinc stomacho bilis.*] « *Bilis* stomacho, velut ira ad cibos devorandos. Porro famem irritari constat bili stomachum vellicantem. » Sic Prateus. — *Nam pes ar-*

*genteus.* Non majoris nunc æstimatur, quàm ferreus annulus in digito. Nota, quòd tunc pluris ebur quàm argentum faciebant Romani.

130. *Convivam caveo.*] Non invito ad cœnam. — *Qui me sibi comparat.* Qui cum sumptuosus sit, eundem sumptum in dapibus et suppellectili a me postulat.

132. *Tessellæ.*] Ut tesseræ, calculi, tali, scrupi, latrunculi, des dés à jouer.

134. *His.*] Vilioribus cultellis, quorum manubria sunt ossea, non eburnea,

135. *Rancidula.*] Ingrati saporis. — *Aut ideo pejor.* Gallina non pejor fit, si his cultellis secetur.

136. *Structor.*] Carptor vel scissor, ut sup. sat. V. 120.

V. 126. *Nabatæo.* Ita scribimus, ex Al. Rup. non *Nabathæo*. Græce enim dicitur Ναβαθαῖος. Strab. lib. XVI.

V. 128. *Bilis.* Ita codices omnes nostri, et optimæ edd. priscæ. Quidam legunt *vires*. Nostra lectio doctior est, et difficilior; hæc glossam redolet. Puteanus quoque, *vires*.

V. 134. *Opsonia.* Rectius ita scribitur quàm *obsonia*. Græce enim dicitur ὀψώνια, ab ὀπράω.

Pergula, discipulus Trypheri doctoris, apud quem  
 Sumine cum magno lepus atque aper, et pygargus,  
 Et Scythicæ volucres, et Phœnicopterus ingens,  
 Et Gætulus oryx, hebeti lautissima ferro 140  
 Cæditur, et totâ sonat ulmea cœna Suburrâ.  
 Nec frustum capreæ subducere, nec latus Afræ

137. *Pergula.*] Cui cedere debeant omnes discipuli, qui pergulas frequentant. — *Pergulæ.* Magisteriales erant cellulæ, seu diætæ propendentes in ædium parte inferiore vel editiore, in quibus artifices opera sua, ut populo innotescerent, exponebant venalia, aut omnium artium professores eas publice docebant. — *Trypheri doctoris.* Structoris clarissimi, qui pergulam habebat in *Suburra*, et artem fercula scindendi docebat discipulos.

138. *Sumine cum magno.*] *Sumen*, venter suillus, seu potius mammæ suillæ, post recentem partum exsectæ, et lactis plenæ: cibus delicatissimus. — *Pygargus.* Caprea Libyca (*gazelle*), sic dicta a clunibus albis, πυγαῖς ἀργαῖς.

139. *Et Scythicæ volucres.*] Phasianæ, sic dictæ a Phaside fluvio et insula ita quoque dicta, unde primum exportatæ. Porro, *Phasis* in Colchide est, quæ regio Scythiæ proxima et affinis. — *Phœnicopterus.* « Genus avis, quæ « habet pinnas, πτερά colore Phœ- « nicio. In aqua semper est, abun-

« dans in Africa: hujus rostrum « adeo curvum est, ut, nisi merso « capite aqua in os ipsius non « possit intrare. » Vet. Schol. Ejus autem lingua et cerebrum præcipui saporis.

140. *Et Gætulus oryx.*] Caprea unicornis et bisulca, in Gætulia Africæ regione. — *Lautissima . . . ulmea cœna.* Facet hæ dapes, quarum tam emphaticam enumerationem nobis obtulit, hic dicuntur *lautissima cœna ulmea*, quoniam non nisi simulacra ciborum erant lignea, quibus utebantur scissorum magistri, ad erudiendos discipulos in arte scindendi. Fictorum eorum ciborum singulæ partes connexæ erant filo aut conglutinatæ; et sic tirones membrorum juncturas reperire, et scite partes distribuere aut carpere dicebant; quod non fiebat sine sonitu; unde *sonat totâ Suburrâ*, et sine hebetatione cultrorum; unde *cæditur hebeti ferro. A.*

42. *Nec frustum capreæ subducere.*] Adeo rudis est noster tironculus, ut nullâ solertiâ nôrit frustum de capella cultello sub-

V. 138. *Pygargus.* Ita codd. pars maxima. Quidam vitiose, *pigardus*, *pitigardus*. Duo *pyrargus*.

V. 142. *Frustum.* Sæpe, apud codd. vel optimos, legitur *frustrum* pro *frustum*, et *frustra* pro *frusta*.

Novit avis noster tirunculus, ac rudis omni  
 Tempore, et exiguæ furtis imbutus ofellæ.  
 Plebeios calices, et paucis assibus emptos 145  
 Porriget incultus puer, atque a frigore tutus,  
 Non Phryx, aut Lycius, non a mangone petitus  
 Quisquam erit, et magno. Cùm posces, posce latine.  
 Idem habitus cunctis: tonsi, rectique capilli,  
 Atque hodie tantum propter convivia pexi. 150

*ducere*, demere, ut chironomon ille, de quo sat. V, 121. — *Frustum capellæ* (un filet de chevreuil). — *Nec latus Afræ... avis*. Latus pro ala dicitur. Cæterum, Afras aves nominat, quas nunc Galli vocant *poules de Guinée*, *Pintades*. Ita vet. schol. et post hunc Alex. Rup. interpretantur: « Rudis servulus noster non novit scite, solum *subducere* (pro rapere) « furto partes delicatiores ciborum, etc. » Sed crediderim, hoc loco agi, non de arte subducendi furto; sed de arte scindendi, ut Galli dicunt: *découper une volaille?* In nostro sensu, fateor, legi deberet, v. seq. *frustis*, non *furtis*. A.

144. *Exiguæ furtis imbutus ofellæ*.] Assuetus tantum *furtis ofellæ*, et quidem exiguæ, ofellæ, crustuli vel carnis, vel panis, etc. Quo poëta innuit, delicatiores cibos in mensa sua non apponi; ideo-

que servis suâ naturâ ad furtum pronis, nullam aliam occasionem furti præberi, nisi propter res exiguas et minimi pretii.

145. *Plebeios calices*.] Vulgares vilesque; non crystallinos, de quibus Mart. lib. XIV, epig. 94.

146. *Atque a frigore tutus*.] Crassâ scil. veste tectus.

147. *Non Phryx aut Lycius*.] Servus e Phrygia aut Lycia advectus, unde venustissimi petebantur; sed Italus et forsân bubulci aut pastoris filius. — *Non a mangone*. Mango, a *manu ago*, qui vendit servos peregrinos, et magno, scil. pretio, quicumque sint; quique, ut ait Quintilian. II, 15, *colorem fuco, et verum robur inani sagina mentitur*.

148. *Cùm posces*.] Aliquid vini aut cibi. — *Posce latine*. Nam servi mei Itali sunt.

149. *Recti*.] Non calamistro in-

V. 144. *Furtis*. Ita optimi nostri codd. Contra, VII alii, et editt. quædam habent *frustis*: sed jam expressa est sententia quam offert illa lectio.

V. 148. *Quisquam erit, et magno*. Restitui ex Al. Rup. et reipsa, Alexandr. cod. Puteanus, Mazarin. I, Thuan. I, Fauchet., et V alii ita habent. Cæteri omnes *quisquis erit magno*; ut sit sensus: quicumque puer erit, non erit acceptus et emptus a mangone divite, et magnum servorum numerum habente.

Pastoris duri est hic filius, ille bubulci.  
 Suspirat longo non visam tempore matrem,  
 Et casulam, et notos tristis desiderat hædos  
 Ingenui vultûs puer, ingenuique pudoris,  
 Quales esse decet, quos ardens purpura vestit: 155  
 Nec pugillares defert in balnea raucus  
 Testiculos, nec vellendas jam præbuit alas,  
 Crassa nec opposito pavidus tegit inguina gutto.  
 Hic tibi vina dabit diffusa in montibus illis,  
 A quibus ipse venit, quorum sub vertice lusit: 160  
 Namque una atque eadem vini patria, atque ministri.  
 Forsitan exspectes, ut Gaditana canoro

torti et in annulos inflexi, aut  
 cirrati in orbis et cornua.

152. *Suspirat.*] Docte dicitur pro  
 desiderat. Gall. *il soupire après.*  
 Venusta autem et perjucunda in  
 his versibus innocentiae pictura.

153. *Casulam.*] In qua natus est.—  
*Notos hædos.* Quos sæpe olim pavit.

154. *Ingenui vultûs puer.*] Scil.  
 Pastoris filius.

155. *Quos ardens purpura vestit.*] Scil.  
 patriciorum pueri. *Purpura*  
 dicitur ardens, ut *ignea* Valer.  
 Flac. I, 427, *flammata*. Mart. V,  
 20, a colore ipsius.

156. *Nec pugillares... testiculos.*] Prægrandes,  
 pugilli aut pugni instar  
 crassos. — *Raucus.* Ex nimis  
 frequenti Veneris usu, quo vox  
 enervatur et rauescit.

157. *Nec vellendas jam præbuit*  
*alas.*] Alas, vel earum pilos dropace  
 vel volsellis vellendos nondum

præbuit, ne fœteant oleantque hircum:  
 nam per ætatem illi pili non  
 creverant adhuc. *Alæ grandes* viri-  
 litatis erant indicium. Ita, non ei  
 ante ætatem orti sunt pili sub  
 alis, qui solent fruticari iis, qui  
 ante legitimam ætatem viri fiunt.  
 Qui autem in balneis *alas* velle-  
 bant, *alipili* dicebantur. Senec.  
 epist. LVI. Hinc vetus inscriptio:

M. OCTAVIVS PRIMIGENIVS

ALIPILVS A TRITONE.

158. *Gutto.*] Olei vasculo. Bal-  
 nea autem intraturus, *pavidus*,  
 id est, voraces drauci oculos ve-  
 ritus tegit inguina gutto.

159. *Hic tibi, etc.*] Scil. Bubulci  
 filius. — *Vina dabit diffusa.* Vina  
 Tiburtina non longe petita, nec  
 transmarina, *diffusa in cados.*

162. *Forsitan exspectes.*] Forte  
 et speras, ô Persice, illecebras  
 libidinum, *ut nos puella ex indus-*

V. 151. *Ille bubulci.* Post hunc versum, punctum reposuimus: nam  
 versus duo sequentes non ad bubulci filium sunt referendi, ut quidam  
 putant; sed, ad puerum istum *ingenui vultûs*, infra memoratum, v. 154.



Incipiat prurire choro, plausuque probatæ  
 Ad terram tremulo descendant clune puellæ,  
 Irritamentum Veneris languentis, et acres  
 Divitis urticæ: major tamen ista voluptas  
 Alterius sexûs; magis ille extenditur, et mox

165

*tria supra naturam mollior canora dulcedine, et saltationis lubrico exerceat illecebris.* Macrob. II, 1. In conviviis autem fidicinæ et cantrices esse solebant meretrices, quæ lascivis cantilenis et saltationibus convivas delectarent, excitarentque in Venerem. — *Gaditana.* A Gadibus insulis accersebantur plerumque meretrices cantrices et saltatrices. Martialis, lib. V, epig. 78.

Nec de Gadibus improbis puellæ  
 Vibrabunt sine fine prurientes  
 Lascivos docili tremore lumbos.

163. *Prurire choro.*] Lascivo corporis gestu moveri. — *Canoro . . . choro.* In choro canentium et saltantium puellarum. — *Plausuque probatæ . . . puellæ.* Laudatæ et incitatæ plausu accumbentium convivarum.

164. *Ad terram descendant.*] Terram pulsent pedibus alte jactis. — *Tremulo . . . clune.* Lumbis natibusque lascive motis et vibratis.

165. *Irritamentum Veneris languentis.*] Hæc omnia sunt irritamenta, etc. — *Et acres . . . urticæ.* Urtica pro libidine usurpatur, sat. II, 128: hîc, pro stimulis libidinis: *ces danses sont un aiguillon puissant pour la passion de nos riches enervés.* A.

166. *Major tamen ista voluptas.*] Scil. Hæc crissatio saltatioque, majori afficit voluptate.

167. *Alterius sexûs.*] Quia in altero sexu scil. in formosis adolescentibus Ganymedibus reperiuntur conjuncti saltationes lubricæ et motus lascivi. Nullus interpretum præter Henninium intellexit, quàm satirica et vera esset erga Romanos et Græcos illa poetæ notatio: nam, ut recte animadvertit interpres Gallicus *Dusaulx*, jam de lascivis saltationibus et cantilenis Gaditanarum puellarum, atque de earumvi ad irritandam Venerem locutus est Juvenalis, quibus opponit saltationes et cantilenas adolescentium, veluti ad excitandam libidinem divitum plerumque draucorum et pathicorum aptiores et efficaciores. Quæ quidem interpretatio perditis moribus hujusce temporis conveniens firmatur etiam Auli Gellii testimonio, quo constat Romanos « scitissimas utriusque sexûs aluisse delicias in Venerem fractas, easque imbuisse omni libidinis arte; nimirum, ut scientissime saltarent, ut suavissime cantarent, aliaque libidinis incentiva nossent. » Unde noster ait: audies, ô Persice, apud me, nec Gaditanarum puellarum crumata, nec istam περιπένη Bathyllorum καλλιφωνίαν: namque istas nugas humilis domus non capit; sed Virgilio atque Ho-

Auribus atque oculis concepta urina movetur.  
 Non capit has nugas humilis domus. Audiatur ille  
 Testarum crepitus cum verbis, nudum olido stans 170  
 Fornice mancipium quibus abstinet : ille fruatur  
 Vocibus obscœnis, omnique libidinis arte,  
 Qui Lacedæmonium pytismate lubricat orbem :

meri carmina, etc. — *Magis ille extenditur.* Clunes ejus (sexus masculini) et lumbi scite magis *extenduntur*, moventur; quod verissimum est: nam in maribus firmiores et significantiores sunt gestus, motus corporis quàm in feminis. A.

168. *Auribus atque oculis.* ] Unde auditu cantilenæ, et visu saltationis puellarum primum, et postea puerorum libido excitata movetur, incitatur, adeo ut *concepta urina, semen geniale... etc.*

169. *Non capit.* ] Non admittit. — *Humilis domus.* Mediocris fortuna. — *Has nugas.* Delicias, illecebras libidinum.

170. *Testarum crepitus.* ] Per testas intelligit crotala, sive crepitacula e testis, quibus inter saltandum utuntur, non sine decore, quædam gentes, ut Hispani aliique populi Meridionalis Galliæ: quæ instrumenta nos vocamus *castagnettes*. A.

171. *Quibus abstinet.* ] Quibus etiam meretrix nuda, stans *olido in fornice*, in lupanaribus, *abstinet*.

173. *Qui Lacedæmonium, etc.* ] Hunc locum ita obscuraverunt interpretes, ut difficile admodum, ne dicam impossibile sit ejus sensum vel attingere. « Pars enim

« una versûs, scil. *Lacedæmonium orbem* (ut festive ait Grangæus in sua ad Morellum epistola, quam vid. in editione Henninii pag. 933.) in pavementum se mutata videt: vix pavementum, laconicum fit novo prestigio: ex laconico, si moraris, in manus tuas annulus evolaturus est. Nec me fefellit opinio, jam habes in læva, ludere vis? en mensa aleatoria: ex mensa, saltator juvenis: ex saltatore lascivus et orbis senex: ex senæ aversa illa pars quæ vel in honesto honeste nominari non potest... Nec minor in *pytismate* metamorphosis: fit enim *πύτισμα* illud ex sputo trochus, ex trocho sonus, ex sono saltus, astragali, cottabus, etc. Ne igitur eodem tædio, quo nos, lectorem afficiamus, ex variis sententiis, et fere innumerabilibus, duas tantum proferemus, quæ et probabiliores, et codd. auctoritati consentaneæ et menti poëtæ accommodatiores nobis visæ sunt. Id primum hunc monitum volumus; scil. omnes codd. et edd. habent *pytismate*: et nugati sunt, et locum obscuraverunt, qui illud verbum in *pædamate, pytilismate, petteu-*

V. 173. *Pytismate.* Omnes nostri codd. habent *pytismate*. At vid. comm.

Namque ibi fortunæ veniam damus. Alea turpis,  
Turpe et adulterium mediocribus : hæc eadem illi 175

*mate, poppysmate mutaverunt, unde forte omnis venit difficultas. Codicibus ergo adhæreamus, et legamus pytismate; et ex vet. sch. sententia, hic locus erit descriptio divitis hominis, qui exspuit supra marmor Lacedæmonium (Tænarium marmor pretiosissimum et viride), quo stratum est pavimentum. Quam sententiam probaverunt Ferr. Elect. II, 6, ut immanis carpatur divitum luxus, qui pretiosa triclinia oris excrementis fœdaverint, et interpres Gall. Dusaulx, et alii. Lubricare autem est udum facere et lubricum. Orbis vero pavimentum tessellatum seu vermiculatum : nam duplex erat musivarii operis species, altera quæ crustis marmorum diversicolorum in quadratas, sexangulas, triquetras forte et rotundas figuras sectis, vermiculatas animalium effigies referret, Vitruv. VII, 3; altera, quæ marmoris maculas, quas Plin. XXXV, 1, ovatas figuras, Senec. epist. 87, orbis, et mathematici ἐλλείψεις vocant marmoris insereret. Ita phrasis sensus erit et ordo : Ille fruatur vocibus obscænis, omnique libidinis arte, dives fastidiosus, qui vinum gustandi causâ haustum exspuit, atque ita lubricat, udum facit pavimentum suum Lacedæmonium, Tænario marmore incrustatum. Simili fere sensu dixit Horat. lib. II, od. 14 :*

Absumet heres Cæcuba dignior  
Servata centum clavibus ; et mero

Tinget pavimentum superbo  
Pontificum potiore cænis.

Grangæo languens visa est, et parum satirica hæc interpretatio; itaque sequentem proposuit, quæ nobis quoque haud absurda, etsi parum honesta videtur. Suspiciatur *lubricare orbem* significare quid propudiosi, scil. *μολύνειν κλαζόμενας* : ut ap. Suet. Aug. 68 :

Videsne, ut cinædus orbem digito temperat.

et magis orbem Lacedæmonium, quod forte noster sumpsit ex Aristophane, cui Clinias dicitur *εσσαλάκων*, unde Hesych. *λακωνίζω*, explicat, *παιδικαίς χρῆσθαι*, et Eupolis ait, *μισῶ λακωνίζω* : (Lacedæmonii tunc molles habebantur; sic Martialis *libidinosæ Lacedæmon*) : *pytisma* autem pro re obscæna sumi, ut *spatum, salivam, rorem, etc.*, quod Gallice salvo pudore nominari nequit. *Lubricare* quoque verbum obscænum est : ita facilis erit hujus loci interpretatio : Ille fruatur vocibus obscænis, omnique libidinis arte cinædus ille, qui lubricare Lacedæmonium orbem pytismate, id est, qui pædicare, *κλαζόμενας μολύνειν* consuevit. . . . A.

174. Namque ibi fortunæ, etc.  
Namque hæc turpia et inhonesta in pauperibus, in divitibus ex opinione vulgi sunt ferenda; immo, hæc hodie illis pro virtutibus habentur. — Alea turpis. Sup. I, 88.

175. Turpe et adulterium medio-

Omnia cùm faciant, hilares nitidique vocantur.  
 Nostra dabunt alios hodie convivia ludos.  
 Conditor Iliados cantabitur, atque Maronis  
 Altisoni dubiam facientia carmina palmam.  
 Quid refert, tales versus quâ voce legantur? 180  
 Sed nunc dilatis averte negotia curis,  
 Et gratam requiem dona tibi, quando licebit  
 Per totam cessare diem: non fenoris ulla  
 Mentio: nec, prima si luce egressa reverti  
 Nocte solet, tacito bilem tibi contrahat uxor, 185  
 Humida suspectis referens multicia rugis,  
 Vexatasque comas, et vultum, auremque calentem.

*eribus, etc.*] Extentio præcedentis sententiæ.

176. *Nitidi.*] Lauti, splendidi.

177. *Nostra dabunt alios, etc.*] In divitum conviviis, ut in theatris homines esse solebant, qui vel cantu, vel saltatione, vel facete dictis, vel recitatione aliquâ auditores oblectarent. Honestiora oblectamenta erant recitationes poëmatum, imprimis Homeri atque Virgiliti.

178. *Conditor Iliados.*] Homerus. — *Atque Maronis altisoni.* Præclare altisonus dicitur Virgilius, ob majestatem dignitatemque Aeneidis.

179. *Dubiam facientia carmina palmam.*] Victoriâ, principatum. Non deerant autem, ut apud nos, viri docti, qui comparationem inter Homerum et Virgilium instituerent.

180. *Tales versus.*] Tam egregios.

181. *Dilatis... curis.*] In aliud tempus remissis curis, hilarem ad epulas animum asser.

183. *Non fenoris.*] Quod debes, aut quod tibi debetur.

184. *Nec, prima si luce, etc.*] Hic locus satirice admodum depingit morum illius ævi corruptelam, præsertim in feminis, quæ primâ luce egressæ ad mœchos suos, nonnisi nocte solebant reverti.

185. *Tacito tibi.*] Tibi adulterium ejus suspicanti, et dissimulanti. His autem versibus, acerbe notantur et patientia virorum, et imperium uxoris, necnon feminarum effrenata libido et dissoluta libertas, quas jam exagitavit sup. sat. I, 56, 57, VI, 206, 224, 433.

186. *Humida... referens multicia.*] Effusâ geniturâ super veste. Sic Neronem (Suet. c. 28), *quoties lectica cum matre veheretur, libidinitum incestu, ac maculis vestis proditum affirmant.* — *Multicia humida.* Prima libidinis nota. — *Suspectis... rugis.* Cum rugis vestimentorum, altera adulterii nota.

187. *Vexatasque comas.*] Sparsæ

Protinus ante meum, quidquid dolet, exue limen :  
 Pone domum, et servos, et quidquid frangitur illis,  
 Aut perit : ingratos ante omnia pone sodales. 190  
 Interea Megalesiacæ spectacula mappæ  
 Idæum solemne colunt, similisque triumpho  
 Præda caballorum Prætor sedet, ac, mihi pace  
 Immensæ nimisæque licet si dicere plebis,

et disjectæ comæ, alia indicia, ut  
*vultum auremque calentem.*

188. *quidquid dolet.*] Quidquid mentem tuam vexat et angit.

189. *Pone domum.*] Ante meum limen exue, abjice, depone domesticas curas, et memoriam servorum pervicacitatis et negligentiae et incuriae, quâ aliquid ex tua suppellectili frangitur aut perit.

190. *Ingratos.... sodales.*] Amicos.

191. *Interea Megalesiacæ.*] Dum nos instruimus convivium, Circensibus ludis detinetur omnis populus, etc. Ordo autem phrasiss est: interea colunt (Romani) spectacula mappæ Megalesiacæ, Idæum solemne, etc. — *Megalesiacæ.* Ludi Megalenses magnis impensis instructi, sic dicti sunt a Μεγάλη Μητρί, quia in honorem Magnæ Matris seu Cybeles fuerunt instituti. — *Megalesiacæ mappæ.* Pro ludis Circensibus, quibus signum et præmium erat *mappa*: *mappâ* enim dabatur signum mittendis quadrigis, ludisque committendis.

192. *Idæum solemne.*] Cybeles enim colebatur præcipue in monte Ida, unde Romam fuerat advecta.

193. *Præda caballorum.*] Cùm ea in re variènt codd. non mirum est variasse interpp. Qui legunt *præda caballorum Prætor*, ita explicant: Prætor qui, dum triumphantis ritu habituque præsidet Circensibus, magnum se virum putat, cùm revera sit *caballorum præda*, hoc est, adeo prodigus in equis alendis exercendisque et producendis, ut ab eis comedatur miser, patrimonium exhauriens, sub vana specie honoris. Vid. Gronov. Obs. IV, 24. Qui legunt, *prædo caballorum Prætor*, hæc per jocum et paronomasiam dici volunt, quòd vel optimos equos, invitis dominis, vili auferat pretio, vel quòd sit iniquus certaminis judex, meritos et victores equos præmio defraudans. Primam lectionem et interpretationem etsi multo paucioribus probatam retinimus, utpote quæ ingenio satirici magis consentit. A

194. *Immensæ nimisæque, etc.*] Immensa enim illo tempore fuit Romanæ plebis multitudo: habitantium enim Romam ferme erat numerus trigesies centum millia hominum.

V. 193. *Præda caballorum.* Pars maxima codd., et edd. fere omnes priscae habent, *prædo caballorum.* At vid. comment.

Totam hodie Romam Circus capit, et fragor aurem 195  
 Percutit, eventum viridis quo colligo panni :  
 Nam, si deficeret, moestam attonitamque videres  
 Hanc urbem, veluti Cannarum in pulvere victis  
 Consulibus. Spectent juvenes, quos clamor, et audax  
 Sponsio, quos cultæ decet assedissee puellæ; 200  
 Spectent hoc nuptæ, juxta recubante marito,  
 Quod pudeat narrasse aliquem præsentibus ipsis :

195. *Totam hodie Romam Circus capit.*] Notat insanam Circensium spectandorum aviditatem quâ populus flagrabat. Vid. sup. ad III, 223. — *Fragor.* Acclamatio et plausus spectantium.

196. *Eventum viridis.*] Ex quo fragore, colligo felicem eventum, victoriam viridis factionis, factionis prasinæ, cui potissimum favebant Imperatores. De factionibus agitantibus Circum, vid. Suet. Calig. c. 55, Ner. 22, nostri satiras VI, 599, et VII, 114, et impr. Sidon. Apoll. carmen 23. — *Viridis... panni.* Quatuor erant in Circo factiones coloribus distinctæ, scil. alba, virens, veneta, rubens.

197. *Nam si deficeret, etc.*] Hæc *σαραξινῶς* dicta. — *Si deficeret.* Si vinceretur. Cassiod. epist. III, 51. *Transit prasinus, pars populi mæret: præcedit venetus, et potior turba civitatis affligitur: nihil proficientes ferventer insultant: nihil patientes graviter vulnerantur, et ad inanes contentiones sic descen-*

*ditur, tanquam de statu periclitantis patriæ laboretur.*

198. *Veluti Cannarum.*] Hic cum delectu Cannensis pugna memoratur. — *In pulvere.* Pro in clade: nam præcipua cladis causa fuit ventus, quem Vulturum Appuli vocant, adversus Romanos coortus, quique, multo pulvere in ora eorum volvendo, prospectum ademit.

199. *Spectent juvenes.*] Quos illa, scil. *clamor*, et *sponsio*, et *assed.* magis decent quàm nos viros. — *Audax sponsio.* Facta pro victoria hujus vel illius factionis, Gall. *des paris*, quo furore tenebantur olim Romani, ut hodie divites Angli.

201. *Spectent hoc nuptæ.*] Immo spectent, et in Circensibus, cum maritis suis nuptæ, illa quæ ne dicere quidem præsentibus ipsis, nedum facere, pudor prostitutus audeat; relinquamus illis hominibus et feminis sua crepundia, nos interim curabimus cuticulam, etc.

V. 201, 202. *Spectent hoc nuptæ, etc.* Hi versus, hoc loco, leguntur in XX ex nostris codd. In tribus leguntur supra, post versum 161: ubi, ait Henninius, æque quadrant, ac rotundis quadrata. In cæteris vero, plane absunt; et, reipsa, abesse possunt.

Nostra bibat vernum contracta cuticula solem,  
 Effugiatque togam. Jam nunc in balnea, salvâ  
 Fronte, licet vadas, quanquam solida hora supersit 205  
 Ad sextam. Facere hoc non possis quinque diebus  
 Continuis, quia sunt talis quoque tædia vitæ  
 Magna. Voluptates commendat rarior usus.

203. *Nostra... cuticula.* ] Jam vetula et rugis contracta. — *Bibat vernum... solem.* Imbibat ejus ardorem: aptior enim et gratior est nobis jam senibus insolatio, apricatio, ἡλιώσις, ἡλιοκαΐα. — *Vernum... solem.* Nam Megalenses ludi, de quibus hic agitur, prid. non. april. celebrabantur. A.

204. *Effugiatque togam.* ] Id est, togæ curas, occupationes, officia. — *Jam nunc.* Quamvis nondum octava, sed quinta diei hora sit, tamen. — *Salvâ fronte.* Sine pudore læso, etc.

205. *Licet vadas.* ] Ire poteris ad *Balnea.* — *Quanquam solida hora supersit.* Ante sextam horam, ire ad balnea non decere, jam notavimus, sat. I, v. 49; sed, hoc loco, de festo die agitur, unde hoc licet.

207. *Talis vitæ.* ] Tam otiosæ, voluptariæ.

208. *Voluptates commendat.* ] Verissima sententia: nam, nulla est voluptas, quæ non assiduitate sui fastidium pariat. Plin. XII, 17: τὸ γὰρ ἡδὺ, εἰάν ποτὸν, οὐ τι γὰρ ἡδὺ.

---

# SATIRÆ DUODECIMÆ

## ARGUMENTUM.

ARGUIT HÆC AVIDOS NIMIUM, NIMIUMQUE RAPACES.

Duplex argumentum satiræ hujus ad Corvinum amicum Juvenalis scriptæ. Primâ enim parte, ob feliciter evasum periculo maris Catullum amicum, ut videtur, utrique communem, se vota Diis persolutorum nuntiat poëta (1—16): tum sævissimam describit tempestatem, quâ ortâ, arserint vela, et amicus, ut præsens effugeret periculum, pretiosissima quæque in mare abjicere, malumque abscindere fuerit coactus; donec, mari tandem sedato, ac cælo sereno, incolumem se quidem, sed amissis rebus suis, ac nave mutilâ, intra Ostiensem portum receperit (17—82). Poëta igitur ad hilaritatem se suosque adhortatur, et festum diem aptissimis describit versibus (85—92). Inde alteram partem adversus heredipetas aggreditur, lepidissimâ simul atque inopinatissimâ hâc transitione:

Ne suspecta tibi sint hæc, Corvine: Catullus,  
Pro cujus reditu tot pono altaria, parvos  
Tres habet heredes. . . . .

Eâ igitur occasione nactâ, ostendit heredipetas Novio vel Pacuvio similes, qui nec gallinam ægram, nec coturnicem impenderent pro salute amici divitis liberos habentis, statim ut, vel levissimæ febris æstus Gallitam aut Paccium divites orbos corripuit, non modo hecatomben, sed et elephantos, si hæc animalia in Italia gignerentur, continuo Diis oblaturos esse; quin etiam servos, filiam ipsam, si per leges iis liceret, immolatos esse: eâ scilicet incertâ spe, fore ut, si ægri convalescant, ipsi, testamentis mutatis, heredes ex asse scribantur (93—127). Hinc, indignabundus Juvenalis ejusmodi captatoribus vitam Nestoris et auri montes precatur, eâ tamen lege,



#### 442 SATIRAE DUODECIMAE ARGUMENT.

ut neque ament quemquam, neque amentur ab ullo (128—130).

Hujus satiræ pars prima dulcissimos amicitiae spirat affectus; et est gravissimis quoque sententiis pulcherrimisque descriptionibus referta: posterior autem, etsi salibus et facetiis adversus heredipetas inspersa, inferior tamen est Horatii satiræ 5, lib. II, in qua, sub dialogi forma, heredipetarum artes a Tiresia exponuntur cum tanta urbanitate, tamque festivo et satirico sale, ut illum assequi nostro poetæ admodum difficile fuisset. Illud quoque accedit, scil. Juvenalem idem argumentum obiter tantum et in modum additamenti tractasse. Præcipuam tamen operis sui partem, dico amicitiam suam erga Catullum, ita adornavit, ut ea satira non sit cæteris multo inferior.



---

## SATIRA XII.

### CATULLI REDITUS.

**N**ATALI, Corvine, die mihi dulcior hæc lux,  
Quâ festus promissa Deis animalia cespes  
Expectat. Niveam Reginæ ducimus agnam:  
Par vellus dabitur pugnanti Gorgone Maurâ.  
Sed procul extensum petulans quatit hostia funem, 5  
Tarpeio servata Jovi, frontemque coruscat:

1. *Corvine.*] Corvinus amicus Juvenalis non aliunde notus, quem ille ad festum diem cum Catullo, ob reditum hujus, invitasse videtur. — *Natali... die.* Nihil hoc initio suavius. Hæc lux dulcior mihi die natali, quem epulis et hilaritate quotannis Romani celebrabant.

2. *Festus... cespes expectat.*] Ara e vivo cespite exstructa expectat victimas, pro amici mei Catulli incolumitate et reditu votas, et mox mactandas. — *Cespes* autem, ara e cespite, βωμὸς ἀποσχέδιος, qualis, tempore urgente, et privatis aliquando sacrificiis extrui solebant.

3. *Reginæ.*] Junoni, quæ absolute poëtis dicitur regina Deum. Virg. VII, et passim:

Tum regina Deum cælo delapsa. . . .  
Sæpe etiam in templis et monu-

mentis et nummis inscribatur, JUNO REGINA, et JUNONI REGINÆ. — *Ducimus agnam.* Ad aram. — *Albam.* Diis superis alba, inferis vero nigra mactabatur victima.

4. *Par vellus.*] Similis victima. — *Pugnanti Gorgone Maurâ.* Palladi pugnanti cum ægide, vel ope ægidis, quæ erat thorax, in cujus medio caput Medusæ Gorgonis a Perseo in Mauritanis finibus interfectæ.

5. *Sed procul extensum... quatit... funem.*] Non ut reluctantem depingat hostiam; esset enim id mali ominis, ut videre est ap. Macrob. Saturn. III, cap. 5; sed ut vituli ferocis naturam oculis lægentis exprimeret.

6. *Tarpeio servata Jovi.*] Cui sacra ædes in Capitolio, seu rupe Tarpeia. — *Frontemque coruscat.*

V. 1. *Dulcior.* Ita vet. schol. et Puteanus cod. XX codd. habent *carior*, quidam *clarior*.

V. 2. *Festus.* Male quidam codd. *festas*, quod ab omni sensu alienum est.

V. 3. *Ducimus.* XXXI ex nostris codd. habent *ducimus*; alii *cædimus*. Sed, exquisitius illud quam hoc vulgare, quod forsitan, ex glossa ad marginem apposita, in textum irrepsit.

Quippe ferox vitulus, templis maturus et aræ,  
 Spargendusque mero, quem jam pudet ubera matris  
 Ducere, qui vexat nascenti robora cornu.  
 Si res ampla domi, similisque affectibus esset, 10  
 Pinguior Hispullâ traheretur taurus, et ipsâ  
 Mole piger, nec finitima nutritus in herba,  
 Læta sed ostendens Clitumni pascua sanguis  
 Iret, et a grandi cervix ferienda ministro,  
 Ob reditum trepidantis adhuc, horrendaque passi 15  
 Nuper, et incolumem sese mirantis amici.  
 Nam præter pelagi casus, et fulguris ictum

Crispat, vibrat, quatit. Vetus schol. « Movet sicut telum quod « coruscat. »

7. *Templis maturus.*] Qui nondum subiit jugum, satis tamen grandis ut sacrificetur.

8. *Spargendusque mero.*] Victimæ mactandæ aurata inter cornua vinum infundebatur, seu invergebatur. Virg. Aen. IV, v. 60: Ipsa tenens dextrâ pateram pulcherrima Dido, Candentis vaccæ media inter cornua fundit.

9. *Ducere.*] Ducere ubera, ut *ducere pocula*, Horat. et Propert. — *Jam pudet.* Id est, jam relictâ matre. — *Vexat nascenti robora cornu.* Venusta imago vituli jam petentis arbores, cornibus primum erumpentibus. Virg. Georg. III, 232.

. . . . . irasci in cornua discit  
Arboris obnixus trunco. . . . .

10. *Res.*] Familiaris. — *Affectibus.* Affectui amoris.

11. *Pinguior Hispullâ.*] De eadem

vid. sup. ad VI, 74. Obiter Hispullam perstringit.

12. *Mole piger.*] Pinguedine suâ retardatus. — *Finitimâ... in herba.* In confinio Romæ.

13. *Læta sed ostendens.*] Ordo est: sed (cujus tauri) *sanguis ostendens læta pascua Clitumni iret*, manaret ad aras; et (cujus) *cervix ferienda*, etc. . . — *Clitumni.* Fluvius Umbriæ Cisapenninæ, cujus aquâ potâ, candidos fieri boves auctor est Plinius, et Virg. Georg. II, etc.

14. *Grandi... ministro.*] Robusto ministro sacerdotum, popâ, qui plerumque robustus erat et obesus. — *Ferienda.* Hostia primum securi aut clavis cædebatur; dein prostrata cultris jugulabatur.

15. *Ob reditum.*] Pro ituribus vota suscipiebantur, quæ in reditu solvebantur.

16. *Amici.*] Catulli, de quo infra v. 29, et seqq.

17. *Fulguris ictum evasi.*] Ictum fulguris quod evasi. Hic fulgur

Evasi , densæ cælum abscondère tenebræ  
 Nube unâ , subitusque antennas impulit ignis ;  
 Cùm se quisque illo percussus crederet , et mox 20  
 Attonitus nullum conferri posse putaret  
 Naufragium velis ardentibus. Omnia fiunt  
 Talia , tam graviter , si quando poëtica surgit  
 Tempestas. Genus ecce aliud discriminis : audi  
 Et miserere iterum , quanquam sint cætera sortis 25  
 Ejusdem : pars dira quidem , sed cognita multis ,  
 Et quam votivâ testantur fana tabellâ  
 Plurima ( pictores quis nescit ab Iside pasci ? ).  
 Accidit et nostro similis fortuna Catullo.  
 Cùm plenus fluctu medius foret alveus , et jam , 30

pro fulmine ipso , quod sæpe sæpius illud comitatur.

19. *Subitusque antennas impulit ignis.* ] Non fulguris , quem versu præcedenti dicitur evasisse , sed ignis solitarius ille fratrum Helenes (*le feu Saint-Elme*) , electrica materia igneusque vapor , qui præcipue , per tempestatem , in mari circumvolat , et malo navis adhæret ; de quo vid. Plin. II , 37 , et præsertim physicos recentiores.

21. *Nullum conferri posse.* ] Comparari posse ; scil. naufragium non jam timendum , præ incendio.

23. *Si quando.* ] Quales solent esse tempestates a poëtis rem exaggerantibus descriptæ.

25. *Cætera.* ] Quæ mox dicturus sum.

26. *Cognita multis.* ] Seu experientiâ , seu aliter.

27. *Votivâ . . . tabellâ.* ] Qui e naufragio sospites evaserant , illud in tabella pictum suspendebant in fano alicujus Dei , ut Neptuni , Aesculapii , Isis , in monumentum grati sui in servatores Deos animi.

28. *Ab Iside pasci.* ] Nam , ex quo Deos Aegyptios Romani susceperant , Isis maxime coli cœpta Romæ , quæ Dea , cùm navigationi præesset , cùmque illic præcipuum ejus festum vocaretur *Isidis Navigium* , inde factum est , ut refertissimum votivis tabellis esse debuerit templum ejus. Hoc igitur loco , recte ait poëta ; *pictores ab Iside pasci.*

30. *Cùm plenus , etc.* ] Cùm se-

V. 23. *Poëtica surgit.* Codex MS. Ignat. Hannielis , teste ac probante Lubino , habet *Pontica surgit* , hoc est , sæva , qualis in Pontino Euxino esse solet. At multo venustior et probatior vulgata lectio.

Alternum puppis latus evertentibus undis,  
 Arboris incertæ nullam prudentia cani  
 Rectoris conferret opem; decidere jactu  
 Cœpit cum ventis, imitatus castora, qui se  
 Eunuchum ipse facit, cupiens evadere damno 35  
 Testiculi: adeo medicatum intelligit inguen!

miplena jam aquis esset carina,  
 seu pars navis interior.

31. *Alternum puppis latus.*] Neminem interpretum, ante Alex. Rupert. offenderat amborum genitorum *puppis*, et, versu sequenti, *arboris incertæ* occursus, qui, cum unam eandemque rem significare videantur, scil. navim, nullam commodam offerunt sententiam; unde, non male idem suspicabatur aliquid mendicare: sed quid? nescio. Quidam hæc, *arboris incertæ*, pro malo navis nutante accipiunt; sed non minus, in hoc sensu, scabrosa et ingrata erit interpretatio. Si quid autem in tali re proponere possem, post *undis* virgulam inserens, sic per ellipsim explicarem: cum *medius alveus fluctu foret plenus*, et jam, undis evertentibus alternum puppis latus, prudentia cani rectoris nullam conferret

opem (periculo) arboris incertæ, scil. navis huc illuc fluctuantis. A.

32. *Canis rectoris.*] Senis gubernatoris, adeoque usu periti.

33. *Decidere jactu cœpit.*] *Decidere*, verbum juris, subauditur litem. Sic cœpit *decidere*, dirimere litem cum ventis, seu pacisci salutem cum eis, jactu bonorum suorum, scil. projectis in mare suis bonis.

34. *Imitatus castora, etc.*] Sui temporis opinionem sequitur Juvenalis, quæ castor ab hominibus exagitatus testiculos suos morsu avulsos abjicere putabatur, ut ipse salvus evaderet, intelligens quippe, propter castoreum se maxime expeti, sibi que insidias fieri. Vid. Plin. VIII, 30 seu 47.

36. *Adeo medicatum intelligit inguen!*] *Medicatum*, ad medicinam utile et exquisitum. *Inguen*, testes, et castoreum. Porro, nostris

V. 32. *Incertæ.* Decem codd. habent *incerto*; sed mendose; quod tamen ita exponit Ascensius, mali arboris incertitudine, incerto hiatu.

V. 33. *Conferret.* Codicum pars maxima habet *cum ferret*; sed sensus poscit *conferret*.

V. 36. *Testiculi.* Restituit Al. Rup. ex omnibus suis codd. et ego hanc lectionem accipio, ex omnibus meis. Quidam editores, inter quos, opinor, Pithoeus ipse, metro timentes correxerunt *testiculorum*; quæ lectio scholasticam emendationem sapit: nam solemnissimus Juvenali hiatus est, ut jam pridem vidimus.

Fundite, quæ mea sunt, dicebat, cuncta, Catullus,  
 Præcipitare volens etiam pulcherrima, vestem  
 Purpuream, teneris quoque Mæcenatibus aptam,  
 Atque alias, quarum generosi graminis ipsum 40  
 Infecit natura pecus, sed et egregius fons  
 Viribus occultis, et Bæticus adjuvat aër.  
 Ille nec argentum dubitabat mittere, lances  
 Parthenio factas, urnæ cratera capacem,  
 Et dignum sitiente Pholo, vel conjuge Fusci. 45  
 Adde et bascaudas, et mille escaria, multum  
 Cælati, biberat quo callidus emptor Olynthi.

temporibus, notum est hoc medicamentum, cui nomen est *castoreum*, in testiculis castoris non contineri; sed in sacculo infra ventrem posito.

37. *Fundite quæ mea sunt.*] Ad Exonerandam navim.

39. *Mæcenatibus aptam.*] Delicatis proceribus similibus Mæcenatis, quem sat. I, v. 66, jam mollem veluti notavit.

40. *Atque alias, etc.*] Vestes, quarum *pecus ipsum*, hoc est, lanam ex ovibus sumptam natura generosi graminis, et egregii fontis (Bætis fl.) vis occulta, et aër Bæticus *infecit*, tinxit nativo colore.

41. *Egregius fons.*] Bætis fluvius maximus Hispaniæ, hodie, *le Guadalquivir*.

42. *Bæticus aër.*] Cæli temperies, juxta flumen Bætis.

44. *Parthenio.*] Cælatore egregio (a subauditur). — *Urnæ cratera capacem.* Facete amplitudo crateris designatur

45. *Sitiente Pholo.*] Centauro vini avidissimo. De eo Diod. Sic.

lib. V, cap. 2. Stesichorus autem lyricus poëta, qui Centaurorum cum Lapithis pugnam descripsit, ait Pholum Centaurum implevisse Herculi craterem trium lagenarum capacem, quem prior ipse obbibisset. Hæc autem sunt verba Stesichori:

Σύπφειον δὲ λαβῶν δέπας ἑμμετρον  
 ὡς τριτάγυρον

Πισν ἐπισχόμενος τὸ ῥά οἱ παρέθηκε  
 (Φόλος) κεράσας.

— *Vel conjuge Fusci.* Muliere ebriosa, quæ forte eadem fuit ac Lauffella, de quâ sat. VI, v. 320. — *Fusci.* Forte ejusdem de quo sup. ad IV, 112, vel infra, XVI, 46.

46. *Bascaudas.*] Vasa et cacabi in quibus calices lavabantur. — *Escaria.* Lancesponendis escis idoneæ.

47. *Cælati (multum).*] Scilicet, vasa argenti, vel auri cælati. — *Callidus emptor Olynthi.* Philippus Macedoniæ rex, pater Alexandri magni: homo *blandus pariter et insidiosus alloquio, qui plura promitteret, quàm præstaret, in seria et jocos artifex.* Just. lib. IX. — *Emp-*

Sed quis nunc alius, quâ mundi parte, quis audet

Argento præferre caput, rebusque salutem?

Non propter vitam faciunt patrimonia quidam, 50

Sed vitio cæci propter patrimonia vivunt.

Jactatur rerum utilium pars maxima; sed nec

Damna levant: tunc, adversis urgentibus, illuc

Recidit, ut malum ferro submitteret: ac se

Explicat angustum, discriminis ultima quando 55

*tor Olynthi.* Multis ille artibus usus est, ut Olynthum maximam olim Thraciæ urbem Atheniensium imperio eriperet, quam tandem cepit Lathene et Euthycrate pecuniâ corruptis.

48. *Sed quis nunc alius.* ] Præter Catullum. Quatuor hi versus simul vituperationem avaritiæ, et commendationem Catulli continent.

50. *Non propter.* ] Bentleius duos illos versus veluti spurios notavit in suis commentariis ad Horatium, de Art. Poët., v. 337, et post hunc Alex. Rup. eosque monacho deberi, qui hanc sententiam margini assuerit, quæ dein in textum irrepserit, iidem arbitrantur; sed, perperam: nam, meâ quidem sententiâ, nihil in illis inconveniens est, nec alienum: nihil quod glossam redoleat, quin immo, sententiam omni parte veram illi versus mihi offerre videntur. Adde, quòd in omnibus codd. legantur: et, id certe aliter evenisset, si, ut Bentleius temere affert in medium,

ex glossa a monacho assutâ nati fuissent. A.

52. *Jactatur rerum, etc.* ] Hic, intercisus repetitur sermo. — *Sed nec damna levant.* Sed jactura bonorum non levat navim et periculum.

53. *Adversis urgentibus.* ] *Ventis* subauditur: et crescente periculo. — *Illuc recidit.* Eo res cecidit, vel potius, eo redactus est, Gall. *il fut réduit à, etc.*

54. *Ferro submitteret.* ] *Securi* succideret.

55. *Explicat angustum.* ] Sic omnes fere interpretes: « ac se explicat angustum, id est, se expedit ex periculo iis rationibus quibus uti solemus, quando afferimus ultima discriminis præsidia factura navem minorem. » Quæ ratio durissima est, propter ellipsim. Aliter Marshall. cui assentimur: tunc angustum se explicat (periculum), quando, cum ultima remedia afferimus (scil. rescisionem mali), quæ simul ac navem expeditiorem reddunt, illam quoque minorem ac

V. 54. *Recidit.* Ita XII ex codd. nostris; alii *decidit*, et duo vitiose sodd. *accidit*. At nostra lectio aptior videtur.

Præsidia afferimus navem factura minorem.  
 I nunc, et ventis animam committe, dolato  
 Confisus ligno, digitis a morte remotus  
 Quatuor, aut septem, si sit latissima tæda.  
 Mox cum reticulis, et pane, et ventre lagenæ 60  
 Aspice sumendas in tempestate secures.  
 Sed postquam jacuit plenum mare, tempora postquam  
 Prospera vectoris, fatumque valentius Euro,  
 Et pelago, postquam Parcæ meliora benignâ  
 Pensa manu ducunt hilares, et staminis albi 65  
 Lanificæ, modicâ nec multum fortior aurâ

truncatam efficiunt, Gall. *il faut que le péril soit extrême lorsqu'on en vient au point de mutiler son vaisseau pour se tirer d'affaire.* Succisionem vero mali ultimum esse naufragii remedium nota res est. A.

57. *I, nunc.*] Propert. lib. III, eleg. 3.

Ite rates curvæ, et leti contextite causas:  
 Ista per humanas mors venit acta  
 manus.

58. *Confisus ligno (dolato).*] Navi fragili. — *Digitis a morte remotus.* Laërtius, lib. I, memorat Anacharsidem, cum audiisset τετραρας δακτύλους εἶναι τὸ πάχος τῆς νεῶς, dixisse, τρισυῶτον θανάτου τοῦ πλέοντας ἀπέχειν.

59. *Si sit latissima: tæda.*] Tæda, pro pinu ipsa, quâ navis conficitur: hoc loco, pro tabula, asserere navis.

60. *Mox cum reticulis.*] Cum in navem ascenderis, et lustraveris omnia quæ tibi necessaria sunt, aspice, ne obliviscaris sumere tecum secures, ad malum in tempestate succidendum.

62. *Sed postquam, etc.*] Postquam mare factum est tranquillum, et omnis tempestas sedata est. — *Tempora postquam prospera vectoris.* Hæc sequentibus junguntur: id est, postquam tempora vectoris, Catulli, et fatum ejusdem vicerunt Eurum.

63. *Fatumque.*] Fatumque ejusdem Catulli vectoris efficacius fuit Euro et pelago, ventis et tempestate.

65. *Pensa manu ducunt.*] Pensa ducere, ut pensa trahere, torque-re, versare. — *Staminis albi.* Stamen album Parcarum longiorem et feliciorem vitam significat; pullum, aut atrum, mortem et infamiam.

V. 63. *Vectoris.* Multi codd. habent *vectores*, absque sensu: quidam melius, *vectori*; ut sit sensus: postquam tempora prospera *vectori*, Catullo. Duo vitiosius, *victoris*, *victori*.



Ventus adest ; inopi miserabilis arte cucurrit  
 Vestibus extensis, et, quod superaverat unum,  
 Velo prora suo. Jam deficientibus Austris,  
 Spes vitæ cum sole redit : tum gratus Iulo, 70  
 Atque novercali sedes prælata Lavino,  
 Conspicitur sublimis apex, cui candida nomen  
 Scrofa dedit, lætis Phrygibus mirabile sumen,  
 Et nunquam visis triginta clara mamillis.  
 Tandem intrat positas inclusa per æquora moles, 75  
 Tyrrhenamque Pharon, porrectaque brachia rursum,

67. *Miserabilis.*] Ordo est. *Prora* (navis) *miserabilis* visu (destituta enim malo, velis, aliisque armis), *cucurrit inopi arte*, *vestibus extensis*, velorum loco, et *velo suo* (velo minori in prorâ, quod dicitur *dolon*), *quod superaverat unum*, etc.

69. *Deficientibus Austris.*] Ventis vehementioribus.

70. *Tum gratus Iulo.*] Tum conspicitur *sublimis apex*, mons Albanus gratus Iulo, et sedes prælata Lavino novercali, cui, etc..... — *Iulo.* Ascanio filio Aeneæ, qui, conditâ in eo monte Albâ Longâ, ibi sedem imperii collocavit.

71. *Novercali... Lavino.*] Lavinio urbi, quam concessit novercæ suæ Laviniaë, quæ urbi nomen dederat. Tit. Liv. I, 1 et 3, Virg. Aeneid. I, 267. — *Lavinum* pro *Lavinium* veteres dixisse aliquando videntur.

72. *Cui candida nomen.*] Iulus, ex Heleni vaticinio, civitatem a se conditam vocavit *Albam*, propter visam ibi scrofam albam. Virg. Aeneid. III, et VIII.

73. *Lætis Phrygibus.*] Ob inventam ex vaticinio suem. — *Sumen.*

Synecdoche, pro scrofa tot uberibus miranda.

74. *Mamillis.*] Pro porcis.

75. *Tandem intrat.*] Describitur portus Ostiensis, cujus constructio debetur Claudio Imperatori, cum antea Julius Cæsar, propter difficultatem operis, eam omisisset. Suet. in Claud. cap. XX. At tamen omnino perfectus est portus Ostiensis a Nerone, ut patet ex hujus principis numismatibus æreis magni moduli, quibus videtur magnificus ille portus ad veritatem expressus. Trajanum vero addidisse interiorem, Cellarius in Geograph. Ant. II, 9, inde colligit, quod, quem geminum injecta mole fecerat Claudius, idem postea tergeminus, seu triplex fuerit: λιμῆσι τρισὶ περιγραφόμενος. Philostorg. de Alarico, XII, 3. — *Positas... moles.* Ingentia saxa in mare jacta, atque instar aggeris exstructa, quibus pars maris *inclusa* et *exclusa*; hic, pro portu ipso. A.

76. *Tyrrhenamque Pharon.*] *Et ad introitum, profundo jam salo, mole objectâ, quam quo stabilis*

Quæ pelago occurrunt medio, longeque relinquunt

Italiam; non sic igitur mirabere portus,

Quos natura dedit: sed truncâ puppe magister

Interiora petit Baianæ pervia cymbæ.

80

Tunc, stagnante sinu, gaudent ibi vertice raso

Garrula securi narrare pericula nautæ.

Ite igitur, pueri, linguis animisque faventes,

*fundaret, navem ante demersit, quâ magnus obeliscus ex Aegypto fuerat advectus, congestisque pilis, superposuit altissimam turrin, in exemplum Alexandrini Phari, ut ad nocturnos ignes cursum navigia dirigerent, etc.* Sic Suet. Claud. cap. 20. — *Porrectaque brachia rursus.* Portûs partes, vel moles prominentes, et dextrâ sinistrâque porrectas. — *Rursus, retro, ultra Pharon ad introitum portûs exstructam.*

77. *Quæ pelago occurrunt medio.*] Amplificatur magnitudo portûs Ostiensis.

78. *Non sic mirabere, etc.*] Certe naturales portus non æque mirandi sunt, ac ille arte factus; hoc loco, *naturam ars vincit.*

80. *Interiora . . . petit.*] Partem interiorem ipsius portûs. — *Baianæ pervia cymbæ.* Navigabilia etiam parvis cymbis, qualibus in lacu Lucrino utuntur, qui est in

Campania juxta Baias: sicque ostendit navem Catulli ita mutilatam et tempestate fractam, ut per breviam etiam ferretur.

81. *Tunc, stagnante sinu, gaudent, etc.*] Portu jam tranquillos habente, et tempestate sedatâ, gaudent ibi nautæ. — *Vertice raso.* Ritu antiquo, in mari urgente tempestate, et desperatâ salute, capillos radebant. Eadem consuetudo non modo in naufragio; sed et in omni alto luctu, præsertim publico.

82. *Narrare (gaudent) pericula.*] Euripides recte:

Ως ἡδὺ τὸν σωθέντα μεμνησθαι πόνου.

— *Garrula.* Quæ garrulos faciunt homines: ii enim qui maxima evaserunt pericula, multoties de illis garriunt.

83. *Ite igitur pueri.*] Descripto Catulli periculo et reditu, re-

V. 77. *Occurrunt.* Multi codd. habent *currunt.* At nostra lectio exquisitior, et sermonis legibus magis conveniens, ut sit sensus: quæ alto mari in cornua quasi coeunt, ut ap. Homer. Od. v, 97, δύο προβλήτες ἀχταὶ ἀπερρώγες, λιμένος ποτιπεπτηυῖαι, hoc est, προσπετανύουσαι ἑαυτὰς κατὰ τοῦ λιμένος. Si contra *currunt* receperis, præpositio *in*, vel *per* erit admittenda.

V. 81. *Tunc, stagnante sinu, gaudent, etc.* Lectionem hanc revocavi ex omnibus nostris codd. duobus exceptis et vet. schol. qui habent,

Sertaque delubris, et farra imponite cultris,  
 Ac molles ornate focos, glebamque virentem : 85  
 Jam sequar, et sacro, quod præstat, rite peracto,  
 Inde domum repetam, graciles ubi parva coronas  
 Accipiunt fragili simulacra nitentia cerâ.  
 Hîc, nostrum placabo Jovem, Laribusque paternis  
 Thura dabo, atque omnes violæ jactabo colores. 90  
 Cuncta nitent: longos erexit janua ramos,  
 Et matutinis operatur festa lucernis.

pente sensus in actionem trans-  
 eunt. Poëta igitur, propter re-  
 ditum amici, letitiâ exsultans ad-  
 vocat servos, parari jubet neces-  
 saria ad vota solvenda, remque  
 divinam faciendam. — *Linguis*  
*aninisque faventes.* Formula usi-  
 tata in sacris, Græc. εὐφημεῖτε, quâ  
 populus vel tacere, vel nonnisi  
 bona et boni ominis loqui vel co-  
 gitare jubebatur.

84. *Serta.*] Coronas, frondes et  
 infulas, quæ in magna lætitia pos-  
 titibus, foribusque templorum et  
 ædificiorum suspendebantur. —  
*Farra imponite cultris.* Mola ex far-  
 re tosto et sale, ignis, caput victi-  
 mæ, et cultri quibus illa mactan-  
 da erat solebant aspergi.

85. *Focos, glebamque virentem.*] *Aram*  
 e cespite molli, virenti con-  
 fectam.

86. *Et sacro, quod præstat.*] Quod  
 prestantius et instantius est, tan-  
 quam publice, et maximis Diis  
 factum et promissum. — *Rite pe-  
 racto.* Legibus præscriptis, ani-

mo, verbis ac tempore jussis.

87. *Inde domum repetam.*] Ubi  
 etiam domesticos Deos placabo,  
 et colam. — *Parva.... simulacra.*  
 Lares mei.

88. *Nitentia cerâ.*] Videtur La-  
 res magna parte cerâ confectos  
 fuisse; unde hos quoque vocat  
*residentes Lares*, Hor. Epod. 2. Vid.  
 ad sat. X, v. 55, atque ibi notas  
 de cera genibus Deorum affixa.

89. *Nostrum... Jovem.*] Jupiter  
 erat Deus proprius, et primus La-  
 tii, atque Romano cuique inter  
 penates suos honorandus: unde  
 hîc dicitur *nostrum... Jovem.* — *La-  
 ribusque paternis.* Supra ad IX, 137.

90. *Atque omnes violæ, etc.*] *Spargam*  
 violas diversicolas. Diversi autem  
 coloris sunt violæ.

91. *Cuncta nitent.*] Jam omnia  
 parata sunt. — *Erexit janua ramos.*  
 Jam rami laurorum erecti, sus-  
 pensum sunt ad januam. Sup. VI.

92. *Et matutinis operatur, etc.*] Or-  
 do et sensus est: et *festa* (janua)  
 operatur, celebrat, prænuntiat

*tuti stagna sinûs.* Et hæc ita præcedentibus aptant: *petit interiora stagna  
 pervia sinûs tuti, etc.*

V. 92. *Operatur.* Ita nostri codd. et edd. priscae. Vid. comment. Vox

Nec suspecta tibi sint hæc, Corvine: Catullus,  
 Pro cuius reditu tot pono altaria, parvos  
 Tres habet heredes. Libet exspectare, quis ægram, 95  
 Et claudentem oculos gallinam impendat amico  
 Tam sterili. Verum hæc nimia est impensa: coturnix  
 Nulla unquam pro patre cadet. Sentire calorem  
 Si cœpit locuples Gallita, et Paccius, orbi,  
 Legitime fixis vestitur tota libellis 100

festivitatem matutinis lucernis, lucernis ante ipsum diem accensis, et ante fores suspensis. In publica autem lætitia vel privata mos erat, ut apud nos, lucernas, lampades, *des lampions*, pro foribus et fenestris, appendere; quod multis probatur exemplis et auctoribus. Illud tamen discrimen est, quod primâ noctis horâ lucernas accendimus; illi ante primam lucem A.

93. *Nec suspecta.*] Ad alterum apta transitione argumentum procedit: scilicet occasionem nactus, in heredipetas invehitur. — *Suspecta.* Non ex animo profecta, sed ex studio captandæ hereditatis.

95. *Libet exspectare.*] Exspectet aliquis, videat an quisquam erit, qui nunc gallinam pro amico sacrificare velit, sine spe lucri.

96. *Et claudentem oculos.*] Non dico gallinam tantum, sed gallinam ægram et moribundam.

97. *Tam sterili.*] A quo tam pa-

rum emolumentum exspectandum est. Male qui hoc, *tam sterili*, in sensu ironico recipiunt. — *Coturnix nulla unquam, etc.* Ne vilis quidem avicula unquam cadet pro salute patris familiæ. Cur autem apud Romanos in contemptu fuerit *coturnix*, quæ in aliquo apud nos est pretio, duas affert causas Plinius, quod veneni semen ei gratissimum sit, quodque comitiali morbo, *au mal caduc*, sit, ut homo, obnoxia.

98. *Sentire calorem.*] Febris subauditur, si minimam febrem sentire cœperunt Gallita et Paccius.

99. *Gallita et Paccius.*] Ambo locupletes et orbi. De Paccio, vid. sup. ad VII, 12. De Gallita vero Crispillina loquitur Tacit. Hist. lib. I, ut de femina pecuniâ et orbitate potente, *quæ bonis malisque temporibus juxta valent.*

100. *Legitime.*] Rite et ordine. — *Fixis... libellis* Scilicet libellis sup-

operitur, quam reposuerunt recentiores editores, ex Just. Lips. Elect. I, cap. 3, proficiscitur, qui, sine auctoritate, ut et sine necessitate, vulgatam lectionem immutandam judicavit. Vet. schol. et duo alii habent operantur, et explicant, et  *festa operantur lucernis, etc.*

V. 100. *Libellis.* Restitui ex omnibus codd. vet. schol. excepto, qui habet *tabellis*. Vid. sup. comment.

Porticus; existunt, qui promittant hecatomben:  
 Quatenus hîc non sunt, nec venales elephanti;  
 Nec Latio, aut usquam sub nostro sidere talis

plicibus preces et vota continen-  
 tibus, templorum parietibus, et  
 statuis Deorum affixis, appensis.

101. *Porticus.*] In porticibus et  
 atriis templorum vulgo defige-  
 bantur tabellæ votivæ, quæ vota  
 continebant suscipienda; idque,  
 ut omnes voti essent conscii. Hoc  
 loco, non tabellæ tantum; sed  
 libelli supplices, quod satiricum  
 maxime Schurzfl. videbatur;  
 « ut poëta dicat, non tabellas am-  
 « plius, ut mos ferebat, sed to-  
 « tos libros in porticibus templo-  
 « rum fixos, delubraque quasi iis  
 « vestita esse. Hinc et vetus scho-  
 « lion in cod. ejusdem Schurzfl.  
 « ironia: *tabulis longis.* » — *Heca-*  
*tomben.* Ἐκατόμην, primum fuit  
 sacrificium centum boum; deinde  
 vero, cum majores impensas exi-  
 geret tale sacrificium, centum alia  
 minoris pretii animalia immola-  
 bantur, videlicet, centum oves,  
 centum capræ, sues, etc. servato

tamen nomine *hecatombe.* In ma-  
 gnis autem eventibus publicis seu  
 lætis, seu infelicibus, Imperator  
 aliquando centum leones, cen-  
 tum aquilas vovebat; et, ait Ca-  
 pitolinus, *cætera hujusmodi ani-*  
*malia centena feriebantur.* Quod  
 quidem sacrificium *hecatombe* cen-  
 tum aris e cespite fiebat, et a to-  
 tidem popis peragebatur. Hæc  
 sapienter eruditissimus *Larcher,*  
 not. 107, ad librum I *Herodo-*  
*ti,* observavit: « *Théodoret re-*  
*prochait aux Grecs leurs hécatom-*  
*bes et leurs chiliombes, c'est-à-dire,*  
*leurs sacrifices de cent bœufs et de*  
*mille bœufs. Il ne se rappelait pas*  
*sans doute qu'à la fête de la dédi-*  
*cace du temple de Jérusalem, Salo-*  
*mon immola vingt mille bœufs et*  
*cent vingt mille brebis; nombre qui*  
*paraît incroyable, s'il n'était*  
*pas consigné dans un livre que nous*  
*devons respecter.* » A.

102. *Quatenus.*] Supple pro-

V. 101. *Promittant.* Recte, etsi codd. plerique habent *promittunt*: nam  
 nostra lectio est auribus gratior: præterea, post formulas loquendi *sunt,*  
*existunt, inveniuntur, etc.* subjunctivus vulgo requiritur.

V. 102. *Elephanti.* Indistincte legitur apud codd. *elephanti,* et *elephantes*;  
 atque in iisdem codd. hæc reperitur varietas, quam apud Plin. etiam ani-  
 madverterunt critici.

V. 103. *Nec Latio, etc.* Omnes fere editores hunc versum et duos se-  
 quentes ita interpungunt:

Nec Latio, aut usquam sub nostro sidere talis  
 Bellua concipitur; sed furvâ gente petita  
 Arboribus Rutulis, et Turni pascitur agro  
 Cæsaris armentum, etc. . . . .

Male, nostro judicio: nam verba, *sed furvâ gente petita,* non concordant

Bellua concipitur, sed furvâ gente petita.  
 Arboribus Rutulis, et Turni pascitur agro 105  
 Cæsaris armentum, nulli servire paratum  
 Privato: siquidem Tyrio parere solebant  
 Annibali, et nostris ducibus, regique Molosso,  
 Horum majores, ac dorso ferre cohortes,  
 Partem aliquam belli, et euntem in proelia turrim. 110  
 Nulla igitur mora per Novium, mora nulla, per Histrum

mitterent, voverent elephantos, si Romæ, vel in Latio nascerentur.

104. *Sed furvâ gente.* ] Ab Indis Mauris, Aethiopibus. Vid. sup. ad XI, 125.

105. *Arboribus Rutulis, etc.* ] In agris et saltibus Rutulorum, ubi regnavit Turnus, cujus Ardea caput gentis fuit. Hoc loco autem constat, eos saltus peculiariter reservatos fuisse ad pascendos elephantos, qui ad ludorum Circensium pompam ab Imperatoribus ex India et Africa accersebantur. A.

106. *Cæsaris armentum.* ] Elephantanti sunt armentum Cæsaris; quippe qui ab hominibus privatis, propter majores sumptus, ali minime queunt.

107. *Tyrio... Annibali.* ] Oriundo e Carthagine Tyrionum colonia.

108. *Nostris ducibus.* ] Romanis etiam ducibus, qui eos in triumphum duxerunt; sed et iis in bellis usi sunt. — *Regique Molosso.* Pyrrho Epirotarum regi, in cujus bello elephantos Italia primum vidit, et boves Lucanos appellavit in Lucania visos an. V. C. CCCCLXXII, Plin. VIII. 6.

109. *Horum majores.* ] Horum elephantorum, qui nunc a Cæsare pascuntur voluptatis et ludorum causâ, majores solebant parere Annibali, etc. et dorso ferre cohortes.

111. *Nulla igitur mora.* ] Si Romæ, et in Italia elephantorum copia esset, Novius et Pacuvius heredipetæ tunc temporis famosi continuo, sine ulla mora, elephantos mactarent.

cum his, *Cæsaris armentum*, sed cum illis, *bellua concipitur*; ut sit sensus: *nec talis bellua concipitur in Latio, aut sub sidere nostro, sed furvâ gente*, scil. ab Indis, *petita* est.

V. 110. *Belli.* Quidam codd. legunt *bellique*: certe hiatûs vitandi causâ. At vid. sat. I, v. 151. — *Turrim.* Ita vet. schol. et Puteanus codex. Cæteri omnes *turbam* seu *turram*. Turres ligneas elephantorum dorso olim impositas fuisse omnibus notum: veteris igitur schol. præferenda videtur lectio, nam, cum versu præcedenti dixerit, *dorso ferre cohortes*, male repeteretur *turram*, seu *turbam*.

Pacuvium, quin illud ebur ducatur ad aras,  
 Et cadat ante Lares Gallitæ victima sacra,  
 Tantis digna Deis, et captatoribus horum.  
 Alter enim, si concedas mactare, vovebit 115  
 De grege servorum magna, et pulcherrima quæque  
 Corpora; vel pueris, et frontibus ancillarum  
 Imponet vittas: et, si qua est nubilis illi  
 Iphigenia domi, dabit hanc altaribus; etsi  
 Non speret tragicæ furtiva piacula cervæ. 120  
 Laudo meum civem, nec comparo testamento

112. *Illud ebur.*] Elephanta, cu-  
 jus dentes ebur. Metonymia. —  
*Ducatur ad aras.* Vid. sup. ad v. 3.

113. *Et cadat ante Lares.*] Im-  
 moletur Diis Laribus Gallitæ.

114. *Tantis digna Deis.*] Hæc  
 ironice dicta. Quæ victima esset  
 digna tantis Deis, scil. Laribus  
 Gallitæ ditissimæ matronæ. Ita  
 egregie adumbrantur ingenium,  
 et mores captatorum, qui divitiis  
 solis sacrificant.

115. *Alter enim.*] Pacuvius (nam  
 id ex versu 128 intelligitur),  
 si concedas, si per leges liceret,  
 mactaret e servis suis egregium  
 unum, sive puerum, sive puel-  
 lam.

117. *Et frontibus ancillarum, etc.*]   
 Tanquam victimarum, quæ vittis  
 circum tempora ornatæ immo-  
 lantur.

118. *Et si qua est nubilis illi.*] Et  
 filiam adeo, si qua ei est, eam-  
 que nubilem sacrificabit pro sa-  
 lute ægri divitis, quemadmodum  
 Agamemnon, etc.

119. *Iphigenia.*] Pro quavis fi-  
 lia nubili, in sacrificium oblata.

120. *Non speret tragicæ, etc.*]   
 Etsi non illi sperandum sit filiam  
 suam, ope divina, servandam  
 esse, quod contigisse Iphige-  
 niæ, in cujus loco supposita fuit  
 cervæ, poëtæ fabulantur. — *Fur-  
 tiva piacula.* Quia furtim, vel  
 insciis Græcis, cervæ pro Iphige-  
 niæ fuit substituta. — *Tragicæ...*  
*cervæ.* Cervam appellat tragicam,  
 quoniam ex ingenio poëtarum  
 hæc fabula profecta est: simul  
 irridet heredipetarum artes, et  
 poëtarum commenta.

121. *Laudo meum civem.*] Hæc

V. 113. *Victima sacra.* Ita omnes fere nostri codd. bene: nam sacra  
 poëtis etiam dicuntur vel magna, vel præclara, vel admirabilia, ut ἱερά, et  
 δῖα ap. Homer. passim. Vet. schol. Puteanus cod. et Thuaneus I, n° 807 1,  
 et tres alii, *victima sola.* Non male quoque; modo comma ponatur non  
 post *sola*, sed post *Gallitæ*; ut sit sensus: quæ *victima sola tantis Deis*  
*digna est.*

Mille rates : nam si Libitinam evaserit æger ,  
 Delebit tabulas , inclusus carcere nassæ ,  
 Post meritum sane mirandum , atque omnia soli  
 Forsan Pacuvio breviter dabit : ille superbus 125  
 Incedet , victis rivalibus. Ergo vides , quàm  
 Grande operæ pretium faciat jugulata Mycenis.  
 Vivat Pacuvius , quæso , vel Nestora totum !

salis et acrimoniæ plena est ironia. — *Meum civem.* Pacuvium. — *Nec comparo , etc.* Certe salus classis millium navium nihil est , præ divitis testamento !

122. *Libitinam.* ] Mortem. Dea Libitina apud Romanos funerum Dea.

123. *Delebit tabulas.* ] Priores mempe , in quibus heredes alii scripti erant. — *Inclusus carcere nassæ.* Venuste dicitur *inclusus* dives et orbis , qui *mirandis* his amicitia testimoniiis , votis , ac sacrificiis ab hereditate irretitus , et vinctus capitur velut piscis in nassa. — *Nassa.* Κύρτος , calathus vimineus , angusti colli , quo cum intravit piscis , inde exire non potest. Horat. sat. II , 5 , 44 , similiter de ea re : *Plures adnabunt thunni , et cetaria crescent.*

125. *Forsan.* ] Quod non adeo certum est ; unde augetur hereditatarum vilitas. — *Breviter.* Nam cum in testamento aliquis esset ex asse institutus heres , id paucis

verbis , breviter exprimebatur. — *Ille superbus , etc.* Facete de re simili Lucian. in Timone : Ἐκεῖνος μὲν , ὅστις ἂν ἦ ποτὲ , ἀρπασάμενός με ( scil. Plutum , id est , divitias ) αὐτῇ δέλτῳ , θέει φέρων ἀντὶ τοῦ τέως Πυρρίου , ἢ Δρόμωνος , ἢ Τιθίου , Μεγακλῆς , ἢ Μεγάβυζος , ἢ Πρωταρχος μετονομασθεῖς , τοὺς μάτην κεχρηνοτάς ἐκείνους εἰς ἀλλήλους ἀποβλέποντας καταλιπὼν , ἀληθὲς ἀγοντας τὸ πένθος , οἷος αὐτοὺς ὁ θύννος ἐκ μυχοῦ τῆς σαγήνης διέφυγεν , οὐκ ὀλίγον τὸ δέλεαρ καταπιὼν , κ. τ. λ.

127. *Jugulata Mycenis.* ] Altera Iphigenia immolata pro salute divitis et orbi , ut vera Iphigenia immolatur pro salute Græcorum.

128. *Vivat Pacuvius.* ] Imprecatio non tam ab indignatione petita , quàm ab ironia et sarcasmo : precatur longam vitam et qualem avaris esse solet miserrimam. — *Vivat , vel Nestora totum.* Vivat quandiu Nestor vixit.

V. 123. *Nassæ.* Duo codd. Alex. Rup. et IV e nostris habent *nattæ*. In Rupertianis vet. scholion est : *nassa seu natta physicus , qui infirmos domunculis suis inclusos curabat.* At illud nomen medici , addit Al. Rup. scholiastarum ingenio effectum videtur.



458 D. JUNII JUVENALIS SAT. XII.

Possideat quantum rapuit Nero : montibus aurum

Exæquet, nec amet quemquam, nec ametur ab ullo! 130

129. *Quantum rapuit Nero.* ] Nam ad omnes rapinas ita conversus fuit, ut templis etiam pluribus dona detraxerit, nullique delegaverit officium, cui non adjiceret : *scis, quid mihi, opus sit ; et hoc agamus, ne quis quidquam habeat.* Vid. Suet. Ner. cap. 26

et 32. Apud Xiphil. Julius Vindex Neronem appellat universi orbis deprædatorem.

130. *Nec amet quemquam.* ] Ovid. sic :

Sisque miser semper, nec sis miserabilis ulli :

Gaudeat adversis femina virque tuis.

---

# SATIRAE DECIMAE TERTIAE

## ARGUMENTUM.

MENS CRUCIAT PRAVOS: SAPIENS FERT DAMNA MODESTE.

Hâc satirâ, Calvinum de perfido amico, qui depositum abnegaverat, querentem consolaturus poëta, illi argumenta proponit aptissima, et ad eum sanandum efficacissima. Primum (1—12), breviter recenset solatia, quæ deinde (13—249) uberius et fusius persequitur: scilicet, non tenuem adeo censum Calvino esse, ut damnum mediocre, quale passus sit, animo æquo ferre nequeat; tale flagitium non rarum esse; casum, quem tantopere stomachatur, esse tritum, vulgarem, ac multis communem, neque mirum videri debere ei, qui sexaginta explevit annos, quique jam experientia et usu, homines cognoscere potuit. Hæc Saturno regnante stupenda fuisse, cujus ævo improbitas fuit admirabilis, non autem eâ ætate, quæ ferreâ multo pejor est, in qua virorum bonorum numerus admodum exiguus, atque etiam prope nullus reperitur (26—70); eamdem vero improbitatem et summam, quâ nunc pejeratur, audaciam a perversis originem ducere opinionibus, ineptâque theologiâ, quæ contemptum genuerit Deorum, effeceritque, ut alii omnino negent Deos esse, alii pœnas iis solvere malint, quàm perjurii sui fructu carere, alii spem impunitatis inde concipiant, quòd lenta sit Deorum ira, quòdque sæpe, ut ait noster: *Ille crucem pretium sceleris tulerit, hic diadema* (71—119). Quæ cum ita sint, a gemitibus viro forti indignis abstinere jubet, innuens damna et injurias supplicii improborum, vel ira et vindicta non sarciri; ultionem minuti atque infirmi animi esse, et feminarum, non virorum, minime philosophorum voluptatem esse (120—192); improbos malâ conscientia, quæ pœna sit omnium gravissima, cruciari, et


Nocte dieque suum gestare in pectore testem.

Inde sequitur egregia illa tormentorum malæ conscientiae adum-

#### 460 SATIRAE DECIMAE TERTIAE ARGUM.

bratio. Ostendit enim malis cibum inter dentes difficile *crescentem*, vina ipsis vetera displicentia, somnos breves ac turbidos, et quemcumque morbum in eorum opinione, ab infesto numine veluti immissum (192—235); ex his colligit, malos homines libidini indulgentes, sensim adsciscere consuetudinem peccandi, atque ita, plerumque, serius citiusve pœnas dare (236—249).

Egregium certe est illud opus, ab omni numero absolutum, sententiis gravissimis refertum, verborum delectu eximium, dignumque, quod philosophiæ moralis scriptoribus, sicut exemplum proponatur imitandum.



## SATIRA XIII.

### DEPOSITUM.

**E**XEMPLO quodcumque malo committitur, ipsi  
Displicet auctori. Prima est hæc ultio, quòd se  
Judice nemo nocens absolvitur; improba quamvis  
Gratia fallacis Prætoris vicerit urnam.

Quid sentire putas omnes, Calvine, recenti 5

1. *Exemplo quodcumque malo, etc.*] Senec. epist. 42: *Nulla major pœna nequitia, quàm quòd sibi ac suis displicet.*

2. *Ultio.*] Ultio et vindicta sæpe pœnam significant.

3. *Nemo nocens absolvitur.*] Ὅταν γὰρ, inquit D. apostolus ad Roman. epist. II, 14, 15, ἔθνη τὰ μὴ νόμον ἔχοντα, φύσει τὰ τοῦ νόμου ποιῆ, οὗτοι νόμον μὴ ἔχοντες, ἑαυτοῖς εἰσὶ νόμος· οἵτινες ἐνδείκνυνται τὸ ἔργον τοῦ νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν, συμμαρτυρούσης αὐτῶν τῆς συνειδήσεως, καὶ μεταξύ ἀλλήλων τῶν λογισμῶν κατηγορούντων, ἢ καὶ ἀπολογουμένων, et Isid. lib. II, de Summo Bono. *Omnia fugere homo potest, præter cor suum: non enim potest a se quisquam recedere; ubicumque erit, conscientia reatus sui illum non derelinquit, quamvis humana judicia subterfugiat.* Primum consolationis argumentum.

4. *Fallacis Prætoris.*] Prætor,

seu quæstor, cui quæstio in causa capitis obtigerat, sortiebatur, id est, sorte legebat, et reo dabat iudices selectos e decuriis (quinque enim decuriæ erant iudicum, qui alternatim, in quæstionibus habendis accersebantur), tabellis in urnam coniectis: unde reo favere poterat, secernens in iudicibus legendis suos, vel ejus amicos. Idem quoque iudicibus tabellas dabat condemnationis, absolutionis, et ampliationis, quas hi in consilium missi in urnam conjiciebant, iisque eductis, iudex sententiam ferebat: unde, hoc loco, non male dicitur *gratia fallacis Prætoris vicisse urnam*, id est, sortem; et, quod verisimile videtur, amicus Calvini, qui depositum abnegaverat, hujus Prætoris fallacis gratiâ absolutus fuerat.

5. *Quid sentire putas omnes.*] Omnes quidem cives tui damnant et execrantur hoc scelus amici tui

V. 4. *Fallacis Prætoris vicerit urnam.* Ita omnes nostri codd. et edd. præscæ, veteri schol. excepto, qui habet:

Gratia fallaci Prætoris vicerit urna;

elegantius forte, sed sine alia auctoritate.

De scelere, et fidei violatæ crimine? Sed nec  
 Tam tenuis census tibi contigit, ut mediocris  
 Jacturæ te mergat onus; nec rara videmus,  
 Quæ pateris: casus multis hic cognitus, ac jam  
 Tritus, et e medio Fortunæ ductus acervo. 10  
 Ponamus nimios gemitus: flagrantior æquo  
 Non debet dolor esse viri, nec vulnere major.  
 Tu, quamvis levium, minimam exiguamque malorum  
 Particulam vix ferre potes, spumantibus ardens  
 Visceribus, sacrum tibi quòd non reddat amicus 15  
 Depositum. Stupet hæc, qui jam post terga reliquit  
 Sexaginta annos, Fonteio Consule natus?

perjuri; sed, etc. Secundum consolationis argumentum. — *Calvine*. Amicus Juvenalis, forsane idem de quo meminit Martial. lib. VII, ep. 89.

6. *Fidei violatæ crimen*.] Sic appellatur perfidia, et depositi abnegatio in jure civili. — *Sed, nec tam tenuis, etc.* Tertium consolat. argumentum; quòd, præ divitiis Calvini, hæc jactura sit mediocris.

8. *Te mergat*.] Funditus, te evertat bonis, ad paupertatem redigat. — *Nec rara videmus*. Ultimum consolat. argumentum; quòd hoc malum, de quo hic queritur, sit ei cum multis commune.

10. *Tritus*.] Vulgaris. Metaphora petita a via, quæ pedibus obteritur. — *E medio... ductus acervo*. Non e summo, id est, non e rarioris et gravioribus infortuniis, sed e vulgaribus.

11. *Flagrantior*.] Acrior, vehementior.

13. *Tu quamvis levium*.] Tu ardens, spumantibus visceribus, bile et irâ, vix ferre potes particulam, quamvis minimam, etc. quòd non tibi reddat amicus, etc.

16. *Depositum*.] Quidquid custodiendum alicui datur, *παρατάθηξιν*, sacrum, sancte servandum, et reddendum. Levitic. VI: *qui negavit depositum, convictus delicti, reddit depositum integrum, et quintam partem amplius*. Jure autem civili, *infamis qui negat depositum*. — *Stupet hæc*. An ejusmodi fraus mira videri debet homini rerum perito, atque annos nato sexaginta? — *Post terga reliquit*. Confecit.

17. *Fonteio Consule natus*.] Quatuor fuere hujus nominis consules. Prior an. *V. C. DCCXX*, at suffectus tantum, cujus Horat. sat. I, 5, 32, meminit. Alter an. *DCCLXIV*, seu *DCCLXV*, cum Germanico Cæsare. Tertius an. *DCCCXI*, vel *DCCCXII*, cum C. Vipsanio, sub Neronis imperio.

An nihil in melius tot rerum proficis usu?  
 Magna quidem, sacris quæ dat præcepta libellis  
 Victrix Fortunæ sapientia; ducimus autem 20  
 Hos quoque felices, qui ferre incommoda vitæ,  
 Nec jactare jugum, vitâ didicere magistrâ.  
 Quæ tam festa dies, ut cesset prodere furem,  
 Perfidiam, fraudes, atque omni ex crimine lucrum  
 Quæsitum, et partos gladio vel pyxide nummos? 25  
 Rari quippe boni: numero vix sunt totidem, quot

Quartus anno DCCCXIX, vel DCCCXX, cum C. Julio Rufo. De priore autem, hoc loco, certe non agitur. Si igitur alterum volueris, hæc sat. tertio, vel quarto Vespasiani imperii anno scripta est, quod minus probabile; si tertium, anno tertio, vel quarto imperii Hadriani; si quartum, Imperante eodem principe. De tertio autem satis verisimilibus conjiciunt rationibus omnes fere interpretes, præsertim Just. Lips. Quæst. Epist. IV, 20. A.

19. *Sacris... libellis.*] Præclaris, divinis, ut ἱερῶς, et θεῖος: nam, ut ait Cic. Tuscul. I, n. 64, philosophia donum inventumque Deorum.

20. *Victrix fortunæ sapientia.*] *Philosophia est inexpugnabilis murus, quem fortuna multis machinis* *laccessitum non transit.* Senec. ep. 82. — *Ducimus autem.* Pro sed ducimus.

21. *Hos quoque felices.*] Hi non solum felices (= felices, pro sapientes posuit. » Vet. schol.) dicendi, qui philosophiæ præceptis imbuti fortunam vincunt; sed et ii, qui longo usu, et experientia, *vitâ magistrâ*, ut noster ait, sapere, sortisque minas contemnere didicerunt.

22. *Jactare jugum.*] Metaphora ducta a bobus, qui jugum impatienter ferentes, illud detractant, quatiunt, excutiunt.

23. *Quæ tam festa dies.*] Quæ dies adeo sacra et festa est, ut non aliquis in furto, scelere aut fraude deprehendatur.

25. *Pyxide.*] Vid. sup. sat. II, 141.

26. *Rari quippe boni.*] Ad nu-

V. 18. *Proficis usu.* Ita codd. pars maxima. At quidam habent, *proficit usus*: non male quoque.— *An.* Ita vet. schol. Puteanus, Alexandrinus, et septem alii; VI habent *ac*, duo *ad*, alii *at*.

V. 20. *Ducimus.* Ita codicum pars dimidia: altera, *dicimus*.

V. 26. *Numero vix sunt totidem.* Hanc lectionem revocavi, consentientibus omnibus fere nostris codd. At, vet. schol. et V alii habent, *numerus vix est totidem*, id est, numerus hominum bonorum vix est totidem, quot sunt Thebarum Bœotiarum portæ, scil. septem. Puteanus vitiose, *innumerum jussi totidem quod*.

Thebarum portæ, vel divitis ostia Nili.

Nona ætas agitur, pejoraque sæcula ferri

merum septem sapientium, Thebas Bœotiarum et septem ostia Nili conjungens, videtur alludisse.

27. *Thebarum portæ.*] Thebarum Bœotiarum, quibus septem portæ tantum, unde ἑπτάπυλος Θῆβη dicitur Hom. Il. δ, 406; non autem Θῆβαι Αἰγύπτιαι ἑκατόμυλοι, Thebæ Aegyptiæ. — *Divitis ostia Nili.* Septem Nili ostia celeberrima, Canopicum, Bolbitinum, Sebennyticum, Phatniticum, Mendesicum, Taniticum, Pelusiacum, quæ adhuc supersunt, ut tradit Pocock.

28. *Nona ætas agitur.*] Quid his, *nona ætas agitur*, intellexerit poëta, haud facile dixerim. Nonnulli ita: vivimus ea ætate, quæ quatuor mundi ætates auream, argenteam, æream et ferream tantopere excedit, ut pro *nona ætate* haberi possit, si cum ferrea comparetur. Alii arbitrantur, sed non probant, a Latinis quidem quatuor effingi ætates, a Græcis autem octo, quot sint metalla, scil. auream, argenteam, electream, æream, cupream, stanneam, plumbeam, ferream. Ita, in hoc sensu, *nona ætas* pejor etiam erit ferreâ, quæ est ultima. Ascensius putabat *primam* ætatem, scil. *auream*, fuisse Deorum regnantium sine crimine; *alteram* (argenteam) Deorum adulterio, aliisque vitiis sædatorum; *tertiam* (electream) Semideorum ad Deos proxime accedentium; *quartam* (æream) Semideorum ad hominum mores inclinantium; *quin-*

*tam* (cupream) Heroum mortaliu[m] quidem, sed virtutem amplextantium; *sextam* (stanneam) Heroum non omnino perfectorum; *septimam* (plumbeam) Hominum plus virtuti, quàm vitiis deditorum; *octavam* (ferream), Hominum ex meris vitiis sceleribusque consutorum: in hoc igitur sensu, *nona ætas* erit hominum pessimorum, et omni scelerum genere inquinatorum. Grangæus suspicabatur Juvenalem mundo tot ætates, sive potius earum mutationes in septennia descriptas, tribuisse, quot Solon assignaverit homini, cujus nona ætas langueat et infirma sit, eundemque mundo eruditissime *nonam ætatem* arrogasse pejorem cæteris antecedentibus, atque id desumpsisse ex illo Solonis disticho,

Τῇ δ' ἐνάτῃ ἔτι μὲν δύναται, μαλακώτερα δ' αὐτοῦ,

Πρὸς μεγάλην ἀρετὴν, γλῶσσά τε καὶ σφίη.

Quod ita vertit Henricus Steph.: At minus in nona mens illi linguaque pollet,

Quàm præstare aliquod forte queant ut opus.

Vossius, de Sibyll. Orac. cap. 5, hæc notavit: « Nullum dubium est, « quin poëta Cumæam secutus sit « vatem, quæ *nonam* hoc loco *ætatem*, nullosignatam metallo, descripserat veluti omnium ætatum « teterrimam; ut contra decimam « ætatem veluti omnium optimam, utpote, qua futura esset « ἀποκατάσσις per Christum: sed

Temporibus ; quorum sceleri non invenit ipsa  
 Nomen , et a nullo posuit natura metallo. 30  
 Nos hominum Divûmque fidem clamore ciemus ,  
 Quanto Fæsidium laudat vocalis agentem  
 Sportula. Dic , senior bullâ dignissime , nescis ,  
 Quas habeat veneres aliena pecunia ? nescis ,  
 Quem tua simplicitas risum vulgo moveat , cùm 35  
 Exigis a quoquam ne pejeret , et putet ullis  
 Esse aliquod numen templis , aræque rubenti ?  
 Quondam hoc indigenæ vivebant more , prius quàm

\* Juvenalis, cùm istam ἀποκατάστασις non admitteret, scribit nonam etiamnum fluere ætatem : in libris enim Sibyllæ ἀνεπίγραφος, et sine titulo fuit octava et nona ætas. \* Hæ sunt probabiliore opinioniones, e quibus poetam, in quacumque hypothesi, suam ætatem, quam nonam vocat, ut omnium ætatum pessimam notavisse constat. A.

29. *Quorum sceleri, etc.* ] Hoc ergo sæculum nonum, pejus etiam ferreo, quod poetæ commenti sint, et tam sceleratum hoc loco dicitur, ut a metallo ei nomen imponi non potuerit. Facile intelligitur, quanta vis insit in his verbis, et quàm præclare ea sit expressa. Al. Rup.

31. *Nos hominum Divûmque fidem, etc.* ] Scil. cùm sceleratissimo vivimus sæculo, cùmque tot ac tanta grassari videmus scelera ; tamen, tam insani sumus, ut si quid mali nobis, amicisve accidat, statim veluti miraculo attoniti, clamemus : *Proh deum atque hominum fidem!*

32. *Quanto Fæsidium.* ] Quanto clamore Fæsidium laudat agentem *vocalis sportula*, clamosa, hoc est, clientium aliorumque hominum turba præmio sportulæ ad plaudendum conducta. Sic facete Martial. *cænâ* vocat *disertam*, lib. VI, ep. 48.

Quod tam grande sophos clamat tibi turba togata ;

Non tu, Pomponi, cæna diserta tua est.

— *Fæsidium.* Malum caudicium.

— *Agentem.* Causas. De sportula, vid. ad I, 95.

33. *Bullâ dignissime.* ] Salse Calvinus sexagenarius dicitur senior dignissimus bullâ, hoc est, qui inter pueros referatur, propter simplicitatem et imperitiam, ἡπιος γέρον. — *Bulla.* Puerorum insigne. Vid. sup. ad V, 164.

34. *Veneres.* ] Voluptates, gratiam, venustatem.

35. *Quem tua simplicitas.* ] Quàm simplex et stultus habearis, cùm exigis, etc. Hæc ironice dicta.

37. *Aræque rubenti.* ] Igne vel potius sanguine victimarum.

38. *Quondam hoc indigenæ.* ] Fes-



Sumeret agrestem, posito diademate, falcem  
 Saturnus fugiens: tunc cùm virguncula Juno, 40  
 Et privatus adhuc Idæis Jupiter antris:  
 Nulla super nubes convivia cœlicolarum,  
 Nec puer Iliacus, formosa nec Herculis uxor  
 Ad cyathos, et jam siccato nectare tergens

tiva aurei sæculi descriptio, quo indigenarum Ausonum, Aboriginumque religio admodum simplex fuit, et, præter Saturnum, Janum, Picum et Faunum, alios ignoravit Deos, qui postea a Græcis in Italiam intrusi fuerunt. — *Indigenæ*. Non solum ἰγγύριοι, sed etiam ἀντόχθονες, prisci Latii incolæ. — *Vivebant more*. Ovid. epist. Phædræ:

Ista vetus pietas, ævo moritura futuro,  
 Rustica Saturno regna tenente, fuit.

39. *Sumeret agrestem... falcem.*] Symbolum messis: nam, Saturnus fuit symbolum melioris vitæ, cujus origo a satione, messe, legibusque inventis repetenda est, et hinc aborigenes agriculturam, vitæque cultum docuisse fingitur. — *Posito diademate... Saturnus*. Pulsus e regno Cretensi a Jove in Italiam fugit.

40. *Tunc cùm virguncula Juno.*] Nondum Jovi nupsisset.

41. *Et privatus adhuc... Jupiter.*] Cùm Jupiter regnum paternum per vim nondum occupavisset, cùmque in Ida Cretensi monte aleretur adhuc, ibi delitescens, ne a patre voraretur. — *Idæis* . . .

*antris*. In Ida monte Cretensi. Aurea enim ætas fuit ante Jovem, et ab eo argentea pejor priore initium habuit.

42. *Nulla super nubes, etc.*] Et cùm nulla super nubes convivia Deorum essent, etc. Hæc a præcedentibus pendent. Poëtæ convivia more heroum a Diis agi fabulantur, eosque ævum æternum lautissimum agere: quod omnibus notum est.

43. *Nec puer Iliacus.*] Ganymedes. — *Formosa nec Herculis uxor*. Hebe Dea juventutis.

44. *Ad cyathos.*] Diis enim ad cyathos, κύπελλους fuisse Ganymedem et Heben iidem poëtæ fingunt. — *Et jam siccato nectare tergens, etc.* Hic locus mire torsit interpretes, quorum sententias hic enumerare prorsus inutile mihi videtur: is enim non adeo expeditu difficilis est. Sed ante quàm ad hujus interpretationem veniam, id accipiendum prius est. Postquam Junoni Jovem reconciliavisset Vulcanus, ad cœlestem invitatus cœnam, lætitiæque elatus poculum nectareum e pincernæ manibus arripuit: quo prius exhaus-

V. 44. *Et jam*. In codd. plerumque confunduntur *et jam* et *etiam*, propter parem utriusque scribeudi rationem *etiam* vel *et iam*. Sensus et ordo sermonis significationem statuunt.

Brachia Vulcanus Liparæâ nigra tabernâ : 45  
 Prandebat sibi quisque Deus, nec turba Deorum  
 Talis, ut est hodie, contentaque sidera paucis  
 Numinibus miserum urgebant Atlanta minori  
 Pondere : nondum aliquis sortitus triste profundi  
 Imperium, aut Siculâ torvus cum conjuge Pluton : 50  
 Nec rota, nec Furiæ, nec saxum, aut vulturis atri

to, cæteris deinde Immortalibus dulce nectar circumtulit, atque ministravit ipse, quod ridiculo admodum cum fecisset modo, non sine Deorum omnium *inextinguibili* risu exceptus est. Sic igitur Homerus, II. α, 597 :

Αὐτὰρ ὁ τοῖς ἄλλοισι θεοῖς ἐνδέξια  
 πᾶσιν

Ὠινοχόει, γλυκὺ νέκταρ ἀπὸ κρητῆ-  
 ρος ἀφύσσω.

Ἄσθετος δ' ἄρ' ἐνώρτο γέλωος μακά-  
 ρεσσι θεοῖσιν,

Ὡς ἴδον ἔφαιρον διὰ δώματα ποι-  
 πνύοντα.

Ad hæc, sine dubio, alludit Juvenalis, et non facete minus pingit Vulcanum tergentem brachia adhuc nigra fuligine suæ tabernæ Liparææ, et jam *siccato*, exhausto prius poculo nectaris pleno, *nectare recenti madentem*, γλυκὺ νέκταρ ἀπὸ κρητῆρος ἀφύσσω, *ad cyathos*, id est, ministrantem pocula et dulce nectar circumferentem. Ita : et cum nondum Vulcanus *tergens brachia nigra* (fuligine tabernæ), et jam *siccato nectare*, esset adhuc *ad cyathos*. Omnia in hoc sensu plana et facilia sunt. Quis autem hoc versu, et præcedentibus, et sequentibus Deos, insanamque Græcorum et Romano-

rum mythologiam non sine sale et vi satirica derideri non animadvertit? A.

45. *Liparæâ... tabernâ.*] In Liparæis insulis, Vulcani et Cyclopum taberna fuit.

46. *Prandebat sibi quisque Deus.*] Nondum enim luxuriosi erant. — *Nec turba Deorum.* Πολυθείας a poëtis effictæ irrisio.

48. *Miserum.*] Optime *miserum*, propter ponderis gravitatem. — *Atlanta.* Quem portasse humeris cælum poëtæ fabulantur. Vid. sat. XI, v. 24.

49. *Nondum aliquis sortitus.*] Hæc etiam pendent a superioribus, v. 38 et 39, scil. *hoc indigenæ more vivebant*, tunc cum aliquis adhuc poëta nondum finisset Saturni filios, Jovem, Neptunum et Plutonem de mundi imperio sortitos esse.

50. *Torvus... Pluton.*] Inexorabilis, sævus, durus.

...Ἄδης τοὶ ἀμιλιχος, ἡδ' ἀδάμαστος,  
 Τούνεκα καὶ τὰ βροτῶσι θεῶν ἔχθιστος  
 ἀπάντων.

Homer. II. IX, 158.

51. *Nec rota.*] Ixionis. — *Nec saxum.* Sisyphi. — *Aut vulturis atri.* Promethei.

Pœna, sed infernis hilares sine regibus umbræ.

Improbitas illo fuit admirabilis ævo.

Credebant quod grande nefas, et morte piandum,

Si juvenis vetulo non assurrexerat, et si 55

Barbato cuicumque puer, licet ipse videret

Plura domi fraga, et majores glandis acervos.

Tam venerabile erat præcedere quatuor annis!

Primaque par adeo sacræ lanugo senectæ!

Nunc, si depositum non inficietur amicus, 60

Si reddat veterem cum tota ærugine follem,

Prodigiosa fides, et Tuscis digna libellis,

52. *Sed infernis... sine regibus.*] Sine regibus iudicibusque Eaco, Minoë et Rhadamantho; adeo simplex religio erat, ut, ne ipsis, quæ tunc ignorarent, criminibus homines excogitaverint pœnas, nec iudices.

53. *Improbitas... admirabilis.*] Quippe inaudita et inusitata, hoc sæculo, scil. aureo.

55. *Si juvenis vetulo, etc.*] De antiqua reverentiâ juvenum erga senes, et veneratione erga majores natu, vid. Heyne ad Virg. eclog. VI, 66, et interpr. Gell. II, 15.

56. *Barbato.*] Non solum senibus, sed et juvenibus, quibus prima lanugo erat, honor ab inferioribus natu referendus.—*Licet ipse videret.* Licet ditior esset.

57. *Plura domi fraga.*] Fraga et glandes primæ fuerunt hominum divitiæ primique cibi.

59. *Primaque par, etc.*] Adeo venerabilis prima etiam lanugo, prope ut ipsa sacra et veneranda senectus.

60. *Non inficietur.*] Non deneget.

61. *Veterem... follem.*] Saccum, crumenam.—*Veterem.* Dudum sibi commissum.—*Cum tota ærugine.* Cum omni pecunia, quæ præ vetustate jam æruginem contraxit. *Aeris vitium ærugo, ferri rûbigo.*

62. *Prodigiosa fides.*] Prodigii instar nunc hæc fides habetur.—*Et Tuscis digna libellis.* Et digna quæ inscribatur libellis Tuscis, et ex eorum ritu expietur et lustretur *agnâ coronatâ* velut prodigium. Haruspicinæ originem

V. 54. *Quod.* Restitui ex omnibus codd. nostris, vet. schol. et duobus exceptis, qui habent *hoc*.

V. 57. *Fraga.* Codd. et edd. prisce. pars maxima habent *farra*: non male quoque; sed melius ad rem vox *fraga*, quia tunc solis fructibus atque herbis homines auræ ætate victitabant. Alexandr. cod. *fraga*.

V. 62. *Libellis.* XII codd. habent *tabellis*.

Quæque coronatâ lustrari debeat agnâ.  
 Egregium sanctumque virum si cerno, bimembri  
 Hoc monstrum puero, vel miranti sub aratro 65  
 Piscibus inventis, et fetæ comparo mulæ,  
 Sollicitus, tanquam lapides effuderit imber,  
 Examenque apium longâ consederit uvâ  
 Culmine delubri, tanquam in mare fluxerit amnis

Etruscis attributam, ejusque observationes egregie suggillat Cic. de Divinat. II.

64. *Bimembri... puero.*] Prodigioso, vel duplicia membra habenti, vel potius biformi; ut, si fuerit semibos, semiequus, quales Minotaurus et Centauri. Tit. Liv. lib. XXVII, cap. 2, de infante cum capite elephantino in lucem edito loquitur; ad quod forte respexit poëta.

65. *Vel miranti sub aratro.*] Sub aratro terram scindente, et tale prodigium *miranti*. More autem poëtarum sensus tribuitur rei inanimatæ.

66. *Piscibus inventis.*] Plin. lib. IX., cap. 57: *Piscium genera stiamnum a Theophrasto mira pro-*

*duntur; circa Babylonis rigua... effodi pisces gratissimos cibus, terrenos, altis scrobibus, in his locis ubi nullæ restagnant aquæ. — Et fetæ comparo mulæ.* Si mula peperisset, prodigium existimabant antiqui. At, id portentum non esse existimat Varro de R. R. cap. 2. Multoties mulas peperisse apud auctores invenimus, ut ap. Aristot. VI Anim. cap. 24. Herodot. in Thalia, etc.

67. *Lapides effuderit imber.*] Hujus prodigii crebra fit mentio ap. Livium.

68. *Examenque apium.*] In pendenti uvæ speciem, *examen apium* (βοτρυδιὸν ap. Hom. II. β, 89) considens in culmine delubri domusque, vel in arbore, foro,

V. 65. *Miranti sub aratro.* Ita codd. fere omnes. Quidam, præeunte vet. schol. *vel mirandis sub aratro*. Jam notavi nimiam interpretis Gallici *Dusaulx* levitatem in textu immutando, sæpe siue necessitate, et sæpius sine auctoritate. Hic, ut solet, ex fide *Gatakeri* (quem in suis notis ad Antonin. p. 253 novam lectionem invenisse ait), pro *vel miranti sub aratro*, aut *vel mirandis*, legit *vel liranti sub aratro*; idque, quia Varro de Re Rust. lib. I, cap. 29, ait: *tertio cum arant jacto semine, boves lirare dicuntur*; unde, idem conjicit nostram lectionem a librariis corruptam fuisse, ac deformatam: sed perperam hæc omnia; et in vanum abiit eruditio ejus: nam, omnes, ne uno quidem excepto, codd. habent *miranti*, aut *mirandis*; nullus *liranti*, quod certe non accidisset, si, ut aiunt, poëta *liranti* dixisset.

Gurgitibus miris , et lactis vortice torrens. 70  
 Intercepta decem quereris sestertia fraude  
 Sacrilegâ? Quid , si bis centum perdidit alter  
 Hoc arcana modo? majorem tertius ille  
 Summam , quam patulæ vix ceperat angulus arcæ?  
 Tam facile et pronum est superos contemnere testes , 75  
 Si mortalis idem nemo sciat! Aspice , quantâ  
 Voce neget? quæ sit ficti constantia vultûs?  
 Per Solis radios , Tarpeiaque fulmina jurat ,  
 Et Martis frameam , et Cirrhæi spicula vatis ,  
 Per calamos venatricis pharetramque puellæ , 80  
 Perque tuum , pater Aegæi Neptune , tridentem :

castris signisque militaribus , sæpius in dira referebatur omina.  
 — *Apium*. Pro *apum*.

70. *Gurgitibus miris*.] Portentosis, atris, sanguineis, lacteis, quod sine prodigio fit, cùm, intumescentes aquæ soli cretacei, aut argillacei, aut ferruginei contagione nigrescunt, albescunt, aut rubescunt.

71. *Decem.... sestertia*.] Supple millia 1959 fr. 876 c.

73. *Arcana*.] Hoc est, sestertia apud aliquem secreto deposita, ejusque fidei sine testibus commissa.

74. *Patulæ*.] *Amplæ*.

75. *Tam facile et pronum*.] *Apta* sui sæculi improbitatis imago, simul et veterum theologiæ, vel doctrinæ de Diis irrisio, quos parum metuendos ostendit. Lu-

cian. *Timon*. c. 2 et seqq. Θάπτον, inquit, τῶν ἐπιορκεῖν τις ἐπιχειρούτων ἔωλον θρυαλλίδα φοβηθεῖν ἂν, ἢ τὴν τοῦ πανδαμάτορος κεραυνῶ φλόγα, κ. τ. λ.

78. *Tarpeiaque fulmina*.] *Jovis* Capitolini.

79. *Frameam*.] *Hastam*: *framea* enim Germanicum nomen. Vid. Tac. de Mor. Germanorum. Male contra Isidorus et Augustin. epist. 120 cap. 16, gladium docent; nisi eorum temporibus hujus vocabuli significatio fuerit immutata. — *Cirrhæi....* Ut *Delii* vatis, id est, Apollinis.

80. *Calamos*.] *Sagittas*. — *Venatricis puellæ*. Ἀρτέμιδος ἀγροτέρας, *Dianæ*.

81. *Pater Aegæi Neptune*.] *Neptunus* docte dicitur pater *Aegæi* maris, quoniam in eo præcipua il-

V. 73. *Ille*. Revocavi ex codd. nostris. Vet. schol. et nonnullæ editiones, *illa*.

V. 81. *Aegæi*. Recte docuit Alex. Rup. scribendum esse *Aegæi*, non

Addit et Herculeos arcus, hastamque Minervæ,  
 Quidquid habent telorum armamentaria cœli.  
 Si vero et pater est: comedam, inquit, flebile nati  
 Sinciput elixi, Pharioque madentis aceto. 85  
 Sunt, qui in Fortunæ jam casibus omnia ponant,  
 Et nullo credant mundum rectore moveri,  
 Natura volvente vices et lucis, et anni;  
 Atque ideo intrepidi quæcumque altaria tangunt.  
 Est alius, metuens ne crimen pœna sequatur: 90

lius sedes est; unde et ipse *Aegæus* aliquando dicitur.

83. *Armamentaria Cœli.* ] Gall. *Le céleste arsenal.* Hoc facete satis dictum.

84. *Si vero et pater est.* ] Et habet natos, non tantum per eorum vitam, caput, jurabit; sed, quod horribilius est, inquiet se manducaturum eorum caput, etc. — *FleBILE.* Miserandum.

85. *Sinciput.* ] Hic totum caput, ut ap. Plaut. Men. III, 2, 41; etsi proprie dimidiam partem, *semicaput*, vel priorem partem capitis significet. — *Phario... aceto.* Conditum aceto Phario, Aegyptio. *Acetum* condimentum est capiti animalium proprium. *Acetum* autem Aegyptium veteribus laudatum.

86. *Sunt qui in fortunæ, etc.* ]

Varias impiorum percurrit sectas. Illi fortunæ omnia tribuunt, et negant esse Deos, ut Diagoras, et alii, etc.

87. *Et nullo credant.* ] Hi Deos esse quidem credunt; sed eos res humanas curare negant, ut Epicurus, etc.

88. *Natura volvente, etc.* ] Errabant nimirum alii naturam a Deo separantes: unde Senecam velut Stoicorum sapientissimum laudat Lactant. quod is intellexerit naturam aliud nihil esse quam Deum.

89. *Atque ideo, etc.* ] His imbuti opinionibus, *intrepidi altaria tangunt.* Qui jurabant, tangebant altaria. Virg. Aeneid. XII:

Tango aras, medios ignes, et numina testor.

90. *Est alius, etc.* ] Alii denique Deos vindices admittunt, eos-

*Aegæi*: nam, Neptunus, hoc loco, non pater *Aegæi* Thesei patris dicitur (a nemine, quod sciam, Aegæus Neptuni filius editur); sed pater maris *Aegæi*: porro, Græcis dicitur *Aegæus* Thesei pater Αἰγᾶς, unde *Aegæus*; et mare *Aegæum* dicitur Αἰγᾶϊον, unde recte scribi et legi debet *Aegæum*, non *Aegeum*.

V. 86. *Sunt, qui in fortunæ jam, etc.* XXX ex nostris codd. ita habent. Quidam: *sunt qui fortunæ jam casibus, etc.* Alii, *sunt in fortunæ qui casibus, etc.* Primam lectionem nostram fecimus, etsi aliter euphonia pos-

Hic putat esse Deos, et pejerat, atque ita secum :  
 Decernat, quodcumque volet, de corpore nostro  
 Isis, et irato feriat mea lumina sistro,  
 Dummodo vel cæcus teneam, quos abnego, nummos.  
 Et phthisis, et vomicæ putres, et dimidium crus 95  
 Sunt tanti? Pauper locupletem optare podagram  
 Ne dubitet Ladas, si non eget Anticyrâ, nec

que verentur; verum, corporales pœnas duntaxat intuentes, nihilominus pejerant; quippe quorum parvi referat, utrum manci, ac mutilati sint, dummodo aurum possideant.

93. *Isis.* ] Dea Aegyptiorum, cujus sacra tunc temporis maxime vigeant Romæ. Hanc opinabantur perjuris infestam, et præsentem pœnam irrogare cæcitatem. Ovid. de Ponto lib. I, eleg. 1 :

Vidi ego linigeræ numen violasse fatentem

Isidis, Isiacos ante sedere focos.

Alter ob huic similem privatus lumine culpam,

Clamabat mediâ se meruisse viâ.

— *Sistro.* Sistrum quo *Isis* sacerdotesque ejus utebantur, erat æreum crepitaculum, cujus per angustam laminam in modum baltei recurvatam, trajectæ mediæ paucæ

virgulæ, crispante brachio tergeminos jactus, reddebant argutum sonorem. Sic Apul. Met. XI, p. 258.

95. *Phthisis.* ] Macies, tabes lenta. — *Vomicæ putres.* Ulcera putrida, apostemata, abscessus maligni puris pleni.

96. *Sunt tanti?* ] « Melius est enim (eorum judicio) ægrotare cum divitiis, quàm esse sanum pauperem. » Vet. schol. — *Pauper Ladas.* Velox cursor sæpe victor in Olympicis, cujus meminit Pausan. in Corinth. — *Locupletem podagram.* Hoc est, quæ semper fere cum divitiis et luxuria conjuncta est. Podagram ne dubitet optare.

97. *Si non eget Anticyra.* ] Facete, pro si sanus est, si sapit, si non eget Helleboro, nec medico, ad insaniam suam sanandam: in Anticyra autem insula, nascebatur Helleborus insanix remedium.

tulat, propterea quod *tò jam* non inutile prorsus nobis visum est. Enimvero, a Lucretio Epicureorum doctrina, quâ omnis providentia Deorum tollitur, tantopere invaluerat, ut pars altera Romanorum ei sectæ fuerit addicta; altera sectæ Stoicorum, pauci Academicorum (hos notat v. 90 et seqq.). Bene igitur *tò jam* reposuit poëta, ut sit sensus: *sunt jam*, ea etiam ætate, *qui*, etc.

V. 97. *Ne.* Ex Al. Rup. et quibusdam e nostris codd. hanc lectionem restituimus, postulante sermonis ordine ac serie. Alii habent, *neo.*

Archigene : quid enim velocis gloria plantæ  
 Præstat, et esuriens Pisææ ramus olivæ?  
 Ut sit magna, tamen certe lenta ira Deorum est. 100  
 Si curant igitur cunctos punire nocentes,  
 Quando ad me venient? Sed et exorabile numen  
 Fortasse experiar : solet his ignoscere. Multi  
 Committunt eadem diverso crimina fato :  
 Ille crucem sceleris pretium tulit, hic diademâ. 105  
 Sic animum diræ trepidum formidine culpæ  
 Confirmant. Tunc te sacra ad delubra vocantem  
 Præcedit, trahere immo ultro, ac vexare paratus.  
 Nam, cùm magnæ malæ superest audacia causæ,  
 Creditur a multis fiducia. Mimium agit ille, 110  
 Urbani qualem fugitivus scurra Catulli.

90. *Archigene.* Pro quovis medico celebri. Vid. ad VI, v. 46 et 236.

99. *Præstat (quid enim), etc.* Quid Ladæ profuit in Olympico stadio vincere et esurire? — *Pisææ... olivæ?* In Pisa Elidis urbe in Peloponneso, ad Alpheum fl. Olympici agebantur ludi. Victores autem Ὀλυμπιονίκαι, non modo coronis oleagineis, sed etiam aliis muneribus, honoribusque fere divinis afficiebantur.

100. *Ut sit magna, etc.* Alia pejerantium effugia lepide notantur. Etsi gravis Numinum ultio, at profecto sera est. — *Lenta ira Deorum est.* Sententia notissima. Vid. Plut. de sera Num. vind. Plat. de Legg. X, Plin. II, 7, Horat. od. III, 2, et alios.

103. *Solet his ignoscere.* Eiusmodi delictis, quæ non tam ad contemptum Numinis, quàm ad

commodum pejerantis spectant.

105. *Ille crucem... tulit.* Sententia verissima, et multis in omni tempore populorum deprædatoribus aptissima. — *Crucem.* Servile supplicium. — *Diadema.* Insigne regium.

107. *Tunc te sacra, etc.* Perditorum horumce audacia egregie adumbratur. — *Te ad delubra vocantem.* Præcedit, ut juret : immo, te rapit ipse, ut calumniatorem et sycophantam.

109. *Nam cùm magna, etc.* Audacia criminis sæpe numero pro fiducia innocentiam sumitur.

110. *Mimum agit ille.* Auditoribus suis illudit, et te subsannat, ut servus ille comicus herum vexans improbe, in fabula Catulli mimographi. De hac vid. sup. ad VIII, 189.

111. *Urbani.* Epitheton, quod ad professionem Catulli spectat :



Tu miser exclamas, ut Stentora vincere possis,  
 Vel potius, quantum Gradivus Homericus : audis,  
 Jupiter, hæc, nec labra moves, cùm mittere vocem  
 Debueras, vel marmoreus, vel æneus? aut cur 115  
 In carbone tuo chartâ pia thura solutâ  
 Ponimus, et sectum vituli jecur, albaque porci  
 Omenta? Ut video, nullum discrimen habendum est  
 Effigies inter vestras, statuumque Bathylli.

quia, inquit Scalig. ad Catullum, scenatici homines, quos βιολόγους vocant Græci, dicteria funditabant ad risum spectatoribus tollendum; propterea factum est, ut *mimi, scurræ, urbani* vocarentur.

112. *Tu miser exclamas.*] Juvenalis ridet Homeri commenta.— *Stentora vincere possis.* Stentora χαλκείφωνον, ὅς τόνον αὐδήσασι, ὅσον ἄλλοι πεντήκοντα.

113. *Quantum gradivus Homericus.*] Mars, qualem Homerus effingit, Il. ε, 859 :

..... ὁ δ' ἔβραχε χάλκεος Ἄρης,  
 ὅσον τ' ἐννεάχιλοι ἐπίσχυον, ἢ δεκάχιλοι  
 Ἄνῆρες ἐν πολέμῳ, ἔριδα ξυνάγοντες Ἄρηος.

114. *Jupiter (audis) hæc.*] Exclamas, ut Stentora vincere possis, ὁ Jupiter! audis hæc, etc. Facete increpatur ipse Jupiter ὄρκιος, seu ὄρκων ταμίας, et perjurii

vindex, tanquam impotens, surdum, et cæcum Numen. Similis lepos et sarcasmus Luciani in Timone, cap. 1, quem vide, si placet.

115. *Marmoreus, vel æneus.*] In tuis statuis æneis, vel marmoreis.

116. *In carbone tuo.*] In ara, in qua carbones incensi ad comburendum thus, jecur, et omenta porci.— *Chartâ.... solutâ.* Chartâ, quâ thus involutum.— *Solutâ.* Aperta, ut thus effunderetur.— *Pia thura.* Quæ pietatem erga Deos testantur.

117. *Sectum.... jecur.*] Dissectum, et sectione resectum a cæteris extis : nam in sacrificiis jecur extorum pars erat præcipua.

118. *Omenta.*] Omentum, membrana tenuis ventriculo pulvinaris instar instrata, et intestina involvens; hic pro intestinis ipsis.

119. *Statuamque Bathylli.*] Vid. infr. var. lect.

V. 119. *Bathylli.* Alexander Ruperti ex vet. schol. Pithoei, et Norimbergensi I codice, quibus assentiuntur IV ex nostris codd. reposuit *Vagelli*; et ejus nota hæc est : « Vetus scholion est : *qui, ut vos, stultissimus statuam accepit.* Designatur forte idem *Vagellius Mutinensis* et *declamator*, cui mulinum cot tribuitur, infra XVI, 23. *Bacilli*, vel *Bathulli*, vel *Bathylli* habent cæteri codd. probb. Grang. Prat. et aliis, ut non sit

Accipe, quæ contra valeat solatia ferre, 120  
 Et qui nec Cynicos, nec Stoica dogmata legit  
 A Cynicis tunicâ distantia; non Epicurum  
 Suspicit exigui lætum plantaribus horti.  
 Curentur dubii medicis majoribus ægri;

120. *Accipe, quæ contra.*] Quandoquidem nullius philosophi sectæ addictus sum, accipe, quæ solatia possum afferre; et quidem e sensu communi desumpta.

121. *Cynicos, nec Stoica.*] Cynicorum et Stoicorum idem auctor erat Antisthenes Socratis discipulus, quanquam Stoici Zenonem acciperent magistrum.

122. *A Cynicis tunicâ distantia.*] Stoicis et Cynicis eadem erant dogmata, scil. morum asperitas, veritatis investigatio, et honorum omnium abnegatio, etc. habitu solo distabant: tunicam enim sub pallio gerebant Stoici; pallio autem levi solum utebantur Cynici. Diog. Laërt. in vit. Antisth. — *Non Epicurum suspicit.* Magni æstimat, admiratur.

123. *Lætum plantaribus horti.*] Lætus plantis, arboribus, oleribus sui horti. Is in animi tranquillitate et voluptate felicitatem collocabat: cæterum, sobrius, et paucis contentus horti victitabat olusculis. Diog. Laërt. in vit. Epic. id, Græce, horti foribus inscriptum fuisse ait:

HOSPES, HEIC BENE MANEBIS: HEIC,  
 SYMMVM BONVM VOLVPTAS EST

124. *Curentur dubii, etc.*] Sententia poëtæ præclare expressa. Scil. ægris gravi morbo laborantibus peritiores adhibendi sunt medici, levioribus autem morbis communes, vel tantum discipuli; ita in levibus jacturis, ut tua est, ò Calvine, minime philosopho celebri opus est; sed tantum ami-

« Bathyllus ille pantomimus, de quo vid. sup. ad VI, 63; sed adolescens  
 « Samius, cujus insigni pulchritudine Anacreon non magis quàm Poly-  
 « crates tyrannus Samius, captus dicitur, et de quo Apul. Florid. II, sub  
 « finem: *In Samo, quæ modica est insula in mari Icario, templum Junonis*  
 « *antiquitus famigeratum conspici, cujus ante aram STATUA erat Bathyllo*  
 « *a Polycrate tyranno dicata, quâ nihil unquam affectatius fuit.* Vid.  
 « Winckelm. A. z. G. d. K. p. 55. Sed hujus Bathylli mentio parum apta,  
 « hoc loco, cui maxima potius vis inest, si *Vagellii*, vel alius cujuscumque  
 « hominis stulti ac fatui nomen memoratur. Vid. sup. I, 129 et seqq. »  
 Nos vero, consentientibus omnibus fere nostris codd. prætulimus *Ba-*  
*thylli*; sive spectaverit poëta ad hunc *Bathillum* Anacreontis pusionem,  
 sive potius, ut videtur, ad ipsum *Bathillum* saltatorem celeberrimum,  
 de quo jam sat. VI, v. 63, cujus, hoc loco, *STATUA* privata certe, nec  
 in publico loco posita, non sine risu notatur.

Tu venam vel discipulo committe Philippi. 125  
 Si nullum in terris tam detestabile factum  
 Ostendis, taceo ; nec pugnâ cædere pectus  
 Te veto, nec planâ faciem contundere palmâ :  
 Quandoquidem accepto claudenda est janua damno,  
 Et majore domûs gemitu, majore tumultu 130  
 Planguntur nummi, quàm funera. Nemo dolorem  
 Fingit in hoc casu, vestem deducere summam  
 Contentus, vexare oculos humore coacto.  
 Ploratur lacrymis amissa pecunia veris.  
 Sed si cuncta vides simili fora plena querelâ ; 135  
 Si, decies lectis diversâ parte tabellis,

co, etc. — *Aegri dubii*. Quorum  
 salus dubia est.

125. *Tu venam.... committe.*] Se-  
 candam. — *Discipulo.... Philippi*.  
 Medici, et forte imperiti, cujus  
 discipulo se modeste comparat.

126. *Si nullum in terris.*] Imi-  
 tatio Horatiana, lib. II, sat. 3. :  
 . . . . . Hoc si erit in te  
 Solo, nil verbis, pereas quin fortiter,  
 addam.

127, 128. *Nec pugnâ cædere*  
*pectus, etc.*] Maximi doloris in-  
 dicia.

129. *Quandoquidem accepto, etc.*] In  
 damno, ut in funere propin-  
 quorum ; claudenda est domus.  
 Satirice.

130. *Et majore domûs gemitu.*] Nam,  
 cum majore etiam planctu

ac tumultu, ploratur pecunia  
 amissa, quàm funus parentis.

131. *Nemo dolorem fingit.*] Nulli  
 opus est fingere, simulare dolo-  
 rem.

132. *Vestem deducere summam.*] Phras  
 ordo et sensus : nemo,  
 in hoc casu, scil. in jactura pec-  
 unia, fingit dolorem, nemini  
 necesse est deducere, abstrahere  
 tantum ab humeris vestem, et  
 vexare oculos humore coacto, ut  
 ab iis eliciantur fictæ lacrymæ,  
 ut fit sæpe post obitum patris :  
 sed, hic, in hoc casu, nihil fictum,  
 nihil simulatum, dolor sincerus  
 et major, quin immo, maximus. A.

134. *Ploratur lacrymis.*] Repe-  
 titio prioris sententiæ.

136. *Si decies, etc.*] Si, ut sæpe

V. 131. *Nemo in hoc casu, etc.* Codd. fere omnes habent : *nemo dolorem*  
*fingit in occasu*, et glossæ vett. interpretantur, *in occasu*, scil. amici. In  
 hoc sensu, sic interpungi et explicari debet phras : *majori tumultu*  
*planguntur nummi, quàm funera ; nemo dolorem fingit : in occasu autem*  
*(amici) vestem deducere summam contentus, etc.* Id est, amissa pecunia ma-

Vana supervacui dicunt chirographa ligni,  
 Arguit ipsorum quos littera, gemmaque princeps  
 Sardonychus, loculis quæ custoditur eburnis:  
 Te nunc, delicias! extra communia censes  
 Ponendum? quia tu gallinæ filius albæ,

140

fit, tabellis, obligationibus, decies, non semel, et diversa in parte, multis locis, coram testibus, lectis a creditore, et ipsa debitorum manu scriptis.

137. Vana supervacui, etc.] Si tamen, lectis decies tabellis, chirographa hæc tigni supervacui, has ligneas tabellas inutiles debitoris mala fide futuras, atque inficiendas, vanas, confictas, adulterinas esse dicunt ii etiam debitores, quos arguit ipsorum littera, scriptura, manus et sardonyx, sigillum gemmæ insculptum.

139. Sardonychus.] Idem quod sardonyx, gemma pretiosa. Hoc loco, chirographorum forma apte describitur. Obligatio inscribebatur in tabellis ligneis, a manu

ipsa debitoris, et sigillo ipsius signabatur, deinde a creditore loculis servabatur, et coram testibus, vel sponsoribus, apud iudicem, semel atque iterum, presentibus partibus, legebatur. — Loculis. Thecis. A.

140. Te nunc, delicias!] O ridiculum hominem! — Extra communia, etc. Te a communi hominum fortuna eximendum censes?

141. Quia tu gallinæ filius albæ.] Proverbium, cujus origo est incerta. Hoc est, singulari felicitate natus. Alii hoc proverbium repetunt a gallina alba, quam aquila prætervolans in Liviæ Drusillæ gremium demisit: alii, a Leda duo ova pariente, e quibus immortales et mortales nati: sed

jori dolore lugetur quam funus parentis: tunc, scilicet cum pecunia amittitur, nemo, contentus vulgo in occasu amici fictas lacrymas effundere, nemo, inquam, fugit dolorem. Nostra lectio præstat. — Deducere. Ita codd. pars maxima. Alii diducere, pari fere sensu; nisi quod deducere convenientius dolori ficto videtur. Vid. sup. comment.

V. 139. Sardonychus. Hanc lectionem revocavi ex XXX codd. nostris. Cæterum Juvenalis solus videtur hanc gemmam ita vocavisse, quæ Plinio, et cæteris dicitur sardonyx, Græc. σαρδόνυξ, υγος. Quidam codd. habent sardonychum, male: nam sardonychum certe genitivus pluralis est vocis sardonyx, non nominativus ut in hac phrasi.

V. 140. Te nunc, delicias! Hanc lectionem servavi ex omnibus nostris codd. et edd. priscis. Al. Ruperti legit: ten', ó delicias! quod dixit adesse in quinque ex ejus codd. Omnes tamen codd. quos inspexi, habent, te nunc, delicias!

Nos viles pulli nati infelicibus ovis.  
 Rem pateris modicam, et mediocri bile ferendam,  
 Si flectas oculos majora ad crimina. Confer  
 Conductum latronem, incendia sulphure cœpta, 145  
 Atque dolo, primos cùm janua colligit ignes:  
 Confer et hos, veteris qui tollunt grandia templi  
 Pocula adorandæ rubiginis, et populorum  
 Dona, vel antiquo positas a rege coronas.

hæc meræ sunt conjecturæ. Galli contra quidam felicem credunt *gallinam nigram*.

142. *Nos viles pulli, etc.*] Altera proverbialis locutio æque incerta, pro communi hominum fortunæ obnoxio. — *Infelicibus ovis*. Avis inauspicatæ, aut cornicis, aut bubonis, aut potius corvi ovum per os reddentis. Britt.

143. *Bile*.] Ut supra, v. 159.

144. *Confer*.] Tuo damno, ea quæ alii patiuntur.

145. *Conductum latronem*.] Ad necem alicui inferendam mercede adductum latronem.

146. *Primos cùm janua colligit ignes*.] Appositâ facie cum materia sulphurata, ardet primum janua, atque inde exitus præcluditur iis qui in domo sunt.

147. *Confer*.] Varia scelerum

genera percurrit, quæ et venuste, et magna epithetorum vi adumbrat.

148. *Adorandæ rubiginis*.] Venerandæ antiquitatis: rubigo enim ferro (hic æri, vasis æneis), per vetustatem colligitur.

149. *Antiquo... rege*.] Non de Romæ regibus hic loquitur, ut recte observavit doctissimus *Dusaulx*, sed de regibus reipublicæ sociis, de Attalo, aliisque, vel ducibus Carthaginensium, Græcorum, Syrorum, Aegyptiorum, etc. qui sæpe coronas, aliæque dona Jovi Capitolino Romam mittebant. Cæterum, hoc loco, tecte Neronem tangi verisimile est, quem et incendiarium, et sacrilegum fuisse satis constat ex Suet. cap. 32, 38, et aliis, quique *ultimo, templis compluribus do-*

V. 142. *Nos viles pulli*. Ita vet. schol. et editores recentiores. Tamen, ut vera promam, codd. omnes nostri X, XI, et XII sæculi habent, *nos viles populi*, vel *nos vilis populus*; et vulgata lectio ab ingenio cujusdam scioli XV sæculi orta videtur. Et, certe, venustior est vulgata lectio, qua *viles pulli opponuntur gallinæ albæ*. At, hæc nulla alia auctoritate pollet.

V. 148. *Rubiginis*. Ita antiquissimi et optimi nostri codd. Al. Ruperti legit *robiginis*; et inquit: « in antiquissimis codicibus legitur ita. » Vid. Heins. ad Ovid. Fast. IV, 907, et Virg. Georg. I, 151.

Hæc ibi si non sunt, minor exstat sacrilegus, qui 150  
 Radat inaurati femur Herculis, et faciem ipsam  
 Neptuni, qui bracteolam de Castore ducat.  
 An dubitet, solitus totum conflare tonantem?  
 Confer et artifices, mercatoremque veneni,  
 Et deducendum corio bovis in mare, cum quo 155  
 Clauditur adversis innoxia simia fatis.  
 Hæc quota pars scelerum, quæ custos Gallicus Urbis  
 Usque a Lucifero, donec lux occidat, audit?  
 Humani generis mores tibi nosse volenti  
 Sufficit una domus. Paucos consume dies, et 160  
 Dicere te miserum, postquam illinc veneris, aude.

*na detrahit, simulacraque ex auro, vel argento fabricata conflavit.* Suet. *ibid.* A.

150. *Hæc ibi si non sunt.*] Si vero in templis desunt vasa pretiosa, pocula antiqua, regales coronæ, quæ subripere queat sacrilegus major, minor sacrilegus, saltem deradet, etc.

152. *Bracteolam.*] Tenuem auri laminam æri inductam, ramenta.

153. *An dubitet.*] Tam tenues laminas radere, qui solitus sit *totum conflare Tonantem, Jovem.*

154. *Et artifices, mercatoremque veneni.*] Veneficos: quo nomine comprehenduntur et qui venena mala parant, et qui iis ad maleficium utuntur. A.

155. *Et deducendum.*] Parricida designatur. Vid. similem locum *sat. VIII, 213.* — *Deducendum corio bovis in mare.* Culeo, cui consuitur.

156. *Innoxia simia.*] Quæ, quamvis parentes non occiderit, ad-

versante fato, simul cum parricida pœnam luit.

157. *Hæc quota pars scelerum, etc.*] Hæc est minima pars scelerum, quæ usque a Lucifero, donec lux occidat, a mane ad vesperam, audit ad se delata *custos Urbis*, præfectus Urbis. — *Gallicus.* Rutilius Gallicus, sub Domitiano Urbi præfectus, rerum capitalium cognitor et iudex. De eo *Stadius Silv. I, 4, v. 16*:

Quem penes intrepidæ mitis custodia Romæ.

Cave autem, ne inde colligas, hanc satiram sub Domitiano scriptam; at consule *sup. versus 16 et 17*, et ibi notam. Id unum te moneo, scilicet ex quatuor Fonteiis consulibus eo loco citatis, nullum huic epochæ posse aptari. A.

160. *Sufficit una domus.*] Scilicet, Rutilii Gallici, in quam confluunt ad jus omnes rei. — *Paucos consume dies.* In ista domo.

161. *Postquam illinc veneris.*]

Quis tumidum guttur miratur in Alpibus? aut quis  
 In Meroë crasso majorem infante mamillam?  
 Cærulea quis stupuit Germani lumina, flavam  
 Cæsariem, et madido torquentem cornua cirro? 165  
 Nempe quòd hæc illis natura est omnibus una.  
 Ad subitas Thracum volucres, nubemque sonoram  
 Pygmæus parvis currit bellator in armis:

Et comparaveris te aliis, qui multo graviora passi sunt.

162. *Quis tumidum guttur.*] Non magis mirum est Romæ tot videre sceleratos homines, quàm in Alpibus tot strumosos, etc. — *Tumidum guttur.* Plin. lib. II, cap. 37. *Guttur homini tantum et suis intumescit, aquarum quæ potantur plerumque vitio.* Quod præsertim evenit, auctore Vitruv. VIII, 3 extr. *Aquicolis in Italia, et Alpibus in natione Medullorum (Miolans, et la vallée de la Tarantaise), propter genus aquæ, quam qui bibunt, efficiuntur turgidis gutturibus.*

163. *In Meroë.*] De hac insula, vid. sup. ad VI, 528. — *Mamillam.* Feminarum. Minime autem certa est illa fabula quam plerique interpp. Pomp. Melæ tribuunt: nam, ut observat Alex. Rup. nondum adhuc in eo auctore reperta est.

164. *Cærulea... Germani lumina.*] Tacit. de Mor. Germ. *Habitus quoque corporum, quanquam in tanto hominum numero, idem: omnibus truces et cærulei oculi, rutilæ comæ, magna corpora, et tantum ad impetum valida.*

165. *Et madido torquentem cornua cirro.*] Tacit. ibid. *Insigne gentis (Suevorum) obliquare crinem,*

*nodoque substringere.* — *Horrentem capillum retro sequuntur, ac sæpe in ipso vertice religant.* — *In altitudinem quamdam et terrorem, adituri bella, ornantur.* — *Cirro.* Cirrus est crinis dependulus in cylindri formam contortus, Gall. *boucle de cheveux.* — *Madido.* Nam Germani capillos lavabant crebro et saponem rutilabant. Idem adhuc mos, ut ipsemet vidi, exstat apud Hungaros et Polonos; sed cum oleo potissimum, vel sebo, vel saliva, vel aqua pura. At, hodie recentiores Galli et Germani pulvere Cyprio, et suillo adipe medicato (*de la poudre et de la pomnade*) capillos dealbant suos. — *Torquentem cornua.* Quia cirri cornuum aliquando speciem præbent, quod Græci vocant *κέρατα*. A.

167. *Ad subitas Thracum volucres.*] Grues, quas Virgil. Georg. I, 120, vocat *Strymonias*, a Strymone, Thraciæ amne. — *Nubemque sonoram.* Ad adventum subitum gruum, quæ cum sint innumera-biles, *nubes* vocantur. — *Sonoram.* propter gruum stridorem.

168. *Pygmæus... bellator.*] Fabula de Pygmæorum statura, eorumque pugna cum gruibus notissima est; et forte efficta ex etymologia (nam *πυγμα* cubitus di-

Mox impar hosti, raptusque per aëra curvis  
 Unguibus a sæva fertur grue. Si videas hoc 170  
 Gentibus in nostris, risu quatere: sed illic,  
 Quanquam eadem assidue spectentur prælia, ridet  
 Nemo, ubi tota cohors pede non est altior uno.  
 Nullane perjuri capitis, fraudisque nefandæ  
 Pœna erit? Abreptum crede hunc graviore catena 175  
 Protinus, et nostro (quid plus velit ira?) necari

citur), vel iudice Strabone XVII, inde, quòd corpora summo solis, et calore, et frigore exigua fiunt, et contorta. Hos multi fabulosos credunt: at, quidam ex neotericis etiam exstare eos affirmant. Plinius, VII, 2, Pygmæos locat in India (at IV, 11, in Thracia); Homerus, Mela et Strabo in Aethiopia; alii in Scythia. Forsan omnes hæ fabulæ de nimia Pygmæorum brevitare debentur peregrinatorum quorundam hyperbolicis (ut sæpe sunt) narrationibus, qui in Scythia, Laponiæ contermina, visis uno, vel aliquot ex Laponibus, eos multo breviores quàm reipsa essent effinxerunt; inde crescente similibus testimoniis mendacio, ex quatuor pedibus (mensura Laponum), ad duos tantum, et minus fuerunt adacti Pygmæi. Similem fabulam, cum ingenua simplicitate, narrat *Præteus* in suo commentario, ex fide cujusdam peregrinatoris, cer-

te mendacissimi, cujus vid. relationem in Mercurio Gallice dicto, *le Mercure Galant*, mense aprili 1683. A.

171. *Risu quatere.*] Vet. schol. id est, « rideres, si hoc apud nos « possis videre. At quia omnes « tales sunt, nemo ibi de alio « ridere potest. »

173. *Tota cohors pede non est altior uno.*] Hæc fabulose et ridicule dicuntur, in consolationem Calvinii. Juvenalis, qui de Pygmæorum fabula idem ac nos sentiebat, auget facete mendacium, his verbis, *pede non altior uno*. A.

174. *Nullane perjuri, etc.*] Vet. schol. « anthypophora, quasi ob- « jectio: ergo, nulla pœna ma- « net eos qui pejerant. »

175. *Abreptum crede hunc, etc.*] Respondet poëta, et diluit objectionem argumentis misericordiæ, humanitatis, et sanæ philosophiæ plenis. A.

176. *Protinus et nostro.*] Finge eum tibi vinctum tradi, ac tuo

V. 172. *Quanquam eadem, etc.* Hunc versum interpolatum putabat Al. Rup. propter vocem *quanquam*, quæ ei aliena plane videtur (sensus poscit *quia, quoniam*): et, reipsa, eo deleto, nihilominus recte fluit oratio: at in omnibus exstat codd. ille versus.



Arbitrio : manet illa tamen jactura, nec unquam  
 Depositum tibi sospes erit. Sed corpore trunco  
 Invidiosa dabit minimus solatia sanguis,  
 Ac vindicta bonum est vitâ jucundius ipsâ. 180  
 Nempe hoc indocti, quorum præcordia nullis  
 Interdum, aut levibus videas flagrantia causis.  
 Quantulacumque adeo est occasio, sufficit iræ.  
 Chrysippus non dicit idem, nec mite Thaletis  
 Ingenium, dulcique senex vicinus Hymetto, 185  
 Qui partem acceptæ sæva inter vincla cicutæ  
 Accusatori nollet dare. Plurima felix  
 Paulatim vitia, atque errores exuit omnes,

arbitrio necari, nihil proficies, nec damnum quod passus es sarcietur.

178. *Sed corpore trunco.* ] Hæc Calvinus : sed vel minimus sanguis e corpore mutilato effluens mihi dabit solatia invidenda, amplissima, quæ mihi quis invidere queat.

180. *Ac vindicta bonum.* ] Homer. Il. σ, in persona Achillis : Ὅς τε πολὺ γλυκίων μέλιτος καταλείβομένοιο.

Ratio est, quia vindicta agrestis et naturalis quædam justitia est, ut Baco Verulam. Serm. Fidel. IV, subtiliter judicat.

181. *Nempe hoc indocti, etc.* ] Responsio poëtæ. Hoc indocti et rudes dicunt, et sentiunt. — *Quorum præcordia. . . . flagrantia.* Animum ira æstuantem, vel levissima de causa.

183. *Occasio.* ] Opportunitas temporis dicitur casu proveniens.

184. *Chrysippus.* ] Stoicus Philosophus. — *Nec mite Thaletis in-*

*genium.* Thales ( unus e septem sapientibus ) vir mitis ingenii. *Mite Thalet. ingenium, ut virtus Catonis,* Horat. od. lib. III, 21, 11, βίη ἤρα-κλῆστη, Hom. Odyss. λ. 600 et aliis.

185. *Senex vicinus Hymetto* ] Socrates Atheniensis, ideoque vicinus Hymetto monti. — *Dulci.* Propter mellis copiam. De Socratis patientia atque moderatione, vid. Plat. Apol. Socr. Senec. de Const. sap. c. 18, et de Ira I, 15, etc.

186. *Qui partem acceptæ, etc.* ] Qui in vincula conjectus sæva, injusta, nolisset cicutæ (cicutam hausisse venenum Socratem satis notum est) *acceptæ partem dare,* partiri cicutam cum accusatoribus : nam ii tres fuere Anytus, Melitus et Lycon.

187. *Felix. . . . sapientia.* ] Philosophia *felix,* id est, quæ homines meliores, adeoque beatiores efficit, *docens rectum bonum,* exuit omnes animi errores. *Egregia laus sapientiæ.*

Prima docens rectum sapientia : quippe minuti  
 Semper et infirmi est animi exiguique voluptas 190  
 Ultio. Continuo sic collige, quòd vindictâ  
 Nemo magis gaudet quàm femina. Cur tamen hos tu  
 Evasisse putes, quos diri conscia facti  
 Mens habet attonitos, et surdo verberare cædit  
 Occultum quatiente animo tortore flagellum? 195  
 Pœna autem vehemens, ac multo sævior illis  
 Quas et Cæditius gravis invenit, et Rhadamanthus,

189. *Quippe minuti, etc.*] Contra *magni*, ut ait Senec. de Ira 34, *animi est proprium placidum esse tranquillumque, et injurias atque offensiones superne despicere.*

191. *Continuo sic collige, etc.*] Inde concludit, vindictæ cupiditatem esse animi imbecilli, exemplo *feminarum*, quia, *vindictâ nemo magis gaudet quàm femina.*

192. *Cur tamen hos tu, etc.*] Pulcherrima malæ conscientiae tormentorumque ejus in animo sceleratorum adumbratio.

193. *Evasisse.*] Pœnas meritas. — *Quos diri conscia facti mens habet, etc.* Tribus in his versibus, semet vicit ipsum Juvenalis; quippe jam dixerat, sat. I, v. 166: .....rubes auditor, cui frigida mens est Criminibus, tacitâ sudant præcordia culpâ.

Hic autem, conscientiae malæ animum torquenti, ut symbolis ejus *Furiis*, quæ Græcis Ἐρινυῖες, Εὐμενίδες dicuntur, tribuit *flagellum*, et stimulum. Aesch. Eum. 150.

Ἐμοὶ δ' ὄνειδος ἔξ ὀνειράτων μολὼν

V. 189. *Prima docens rectum.* Vet. schol. et quidam alii legunt, *prima docet*, minus bene.

Ἐτυψεν δίκαν διφρηλάτου,  
 Μεσολαβεῖ κέντρῳ, ὑπὸ φρένας,  
 ὑπὸ λοβῶν.

Πάρεσι μασιχτορος  
 Δαίου δαμίου

Βαρύ τι, περιβαρὺ κρύος ἔχειν.

194. *Surdo verberare.*] Ut *mox occultum flagellum.*

195. *Animo tortore.*] Conscientia enim mala est *tortor*, carnifex, qui cædit, urit, torquet, lancinat. Cic. Tusc. Quæst. III, 13: *cum omnis perturbatio miseria est, tum carnificina est ægritudo.*

196. *Pœna autem vehemens.*] Multo gravius autem scelerato homini est tormentum animi, corporis cruciatibus, quos invenit Cæditius, etc.

197. *Cæditius.*] Cæditium aulicum Neronis crudelissimum fuisse monet vet. schol. De alio Cæditio loquitur Juvenalis, quem *causidicum facundum* vocat, sat. XVI, 46. Cæterum, non aliunde notus ille Cæditius. — *Rhadamanthus.* Unus ex inferorum iudicibus.

Nocte dieque suum gestare in pectore testem.  
 Spartano cuidam respondit Pythia vates,  
 Haud impunitum quondam fore, quod dubitaret 209  
 Depositum retinere, et fraudem jure tueri  
 Jurando. Quærebat enim quæ Numinis esset  
 Mens, et an hoc illi facinus suaderet Apollo.  
 Reddidit ergo metu, non moribus; et tamen omnem  
 Vocem adyti dignam templo, veramque probavit, 205  
 Exstinctus totâ pariter cum prole domoque,  
 Et, quamvis longâ deductis gente, propinquis.  
 Has patitur pœnas peccandi sola voluntas.  
 Nam scelus intra se tacitum qui cogitat ullum,  
 Facti crimen habet. Cedo, si conata peregit? 210

198. *Nocte dieque suum, etc.* ]  
 Præclare Ausonius :

Turpe quid ausurus, te sine teste  
 time.

199. *Spartano cuidam.* ] Glaucō  
 Epicydidis filio, qui dubitaverat  
 tantum, an redderet, necne,  
 pecuniam apud se depositam a  
 Milesio quodam, atque inde Del-  
 phicum oraculum consuluerat.  
 Cæterum, historia nota ex He-  
 rodotō, lib. VI, 86. — *Pythia.*  
 Sacerdos Apollinis, Pythii dicti,  
 a Pythone serpente sagittis in-  
 terfecto.

204. *Non moribus.* ] Non bona  
 indole, nec principiis honestatis,  
 vel probitate ductus. — *Omnem*  
*vocem adyti.* Responsum Pythiæ  
 verum esse probavit. — *Omnem.*  
 Pro, ab omni parte.

205. *Adyti.* ] Sacri penetræ,  
 vel speluncæ, ubi Pythiæ tripus  
 erat impositus, et unde vocem  
 emittebat, et responsa dabat.

206. *Exstinctus.* ] Γλαύκου ἐν  
 οὔτῃ τι ἀπόγονόν ἐστι οὐδὲν, οὐτ'  
 ἐστὶν οὐδεμίῃ νομιζομένη εἶναι Γλαύ-  
 κου· ἐκτέτριπται τε προσφύζας ἐν  
 Σπάρτης. Herodot. VI, 86.

207. *Longâ deductis gente pro-*  
*pinquis.* ] Ab antiqua gente ori-  
 ginem ducentibus: sic Alex. Rup.  
 hæc tamen, meo iudicio, non  
 tam ad antiquitatem gentis pro-  
 pinquorum spectant, quàm ad  
 eorum multitudinem. A.

208. *Has patitur pœnas, etc.* ]  
*Pari sorte scelus, et sceleris volun-*  
*tas.* l. I, ad Leg. Jul. de Ambitu  
 Cod. Theodos.

210. *Facti crimen habet.* ] Solè

V. 208. *Voluntas.* Codd. nostrorum pars dimidia habet *sæva voluptas*.  
 At, certe, nostra lectio præstat.

V. 210. *Cedo.* Sic omnes codd., duobus exceptis, qui ferunt *crede*.

Perpetua anxietas nec mensæ tempore cessat,  
 Faucibus ut morbo siccis, interque molares  
 Difficili crescente cibo : sed vina misellus  
 Exspuit : Albani veteris pretiosa senectus  
 Displicet. Ostendas melius, densissima ruga 215  
 Cogitur in frontem, velut acri ducta Falerno.  
 Nocte brevem si forte indulsit cura sœporem,  
 Et toto versata toro jam membra quiescunt ;  
 Continuo templum, et violati Numinis aras,

voluntas enim facti, pro facto habetur. — *Cedo.* Age? quid dices, si scelus suum peregit?

211. *Perpetua anxietas.* ] Egre-  
 gia hoc versu et seqq. imago ter-  
 rorum malæ conscientia. — *An-*  
*xietas* Gall. *anxiété*. Hoc verbum  
 ad pingendos conscientia morsus  
 aptissimum est, et forte unicum :  
 differt autem ab *angore*. A.

212. *Faucibus.... siccis.* ] Scele-  
 rato *siccæ* sunt *fauces*, et sic  
 uruntur, ut in æstu febrili. — *In-*  
*terque molares.* Maxillares dentes.

213. *Difficili crescente cibo.* ] Ci-  
 bos difficulter mandit, et deco-  
 quit. Ovid. Ep. Her. XVI, 226.

Crescit et invito lentus in ore cibus.  
 — *Sed vina Misellus exspuit.* Etsi  
 ei fauces siti ardeant, tamen ei  
 vina displicent, et insipida sunt.

214. *Albani veteris.* ] Albanum  
 vinum, cujus pretium auget se-

*nectus.* — *Albani senectus.* Ut supra,  
*mite Thaletis ingenium.*

215. *Densissima ruga.* ] Frons  
 caperatur, ob mœrorem, et ani-  
 mi æstus quos patitur.

216. *Velut acri ducta Falerno.* ]  
 Duo vini Falerni genera : unum  
*austum*, alterum dulce. *Auste-*  
*rum* ( hoc loco acre ) melle,  
 aliove dulciori vino mitigare so-  
 lebant, ex eoque mulsum con-  
 ficere, quod nec tam apte tamen  
 misceri poterat, quin aliquid  
 austeritatis remaneret, ut testatur  
 Athen.

218. *Et toto versata toro.* ] Se-  
 nec. de Tranq. c. 2. *Adjice illos,*  
*qui non aliter, quàm quibus diffi-*  
*lis somnus est, versant se, et hoc*  
*atque illo modo componunt, donec*  
*quietem lassitudine invenient.*

219. *Continuo templum.* ] In quo  
 pejeravit. Præclare et graphice

*Dusaulx* legit quod; et illius hæc est nota : *on lit dans toutes les éditions*  
*(il aurait pu ajouter, et dans tous les mss. mais il ne les a jamais consultés),*  
*cedo, si conata peregit? Marckland, au lieu de cedo, écrit quod si, ce qui*  
*vaut beaucoup mieux.* Sic ex fide *Marcklandi*, et aliorum criticorum, re-  
 pugnantibus codd. et sine necessitate, auctorem emendat noster, homo  
 cæteroguin doctus, et *Juvenalis* interpretis, etsi aliquando parum fidus,  
 semper tamen elegans, et legi dignus.

Et, quod præcipuis mentem sudoribus urget, 220  
 Te videt in somnis : tua sacra et major imago  
 Humanâ turbat pavidum, cogitque fateri.  
 Hi sunt qui trepidant, et ad omnia fulgura pallent,  
 Cùm tonat, exanimés primo quoque murmure cœli;  
 Non quasi fortuitus, nec ventorum rabie, sed 225  
 Iratus cadat in terras, et judicet ignis.  
 Illa nihil nocuit? cura graviore timetur  
 Proxima tempestas, velut hoc dilata sereno.  
 Præterea, lateris vigili cum febre dolorem

de homine scelerum sibi conscio, in quo reviviscit sensus religionis, quem frustra opprimere conatur.

220. *Præcipuis sudoribus urget.* ]

Aestuantis animi præcipuum sudor indicium. Virg. Aen. V.

Tum gelidus toto manabat corpore sudor.

221. *Tua sacra.* ] Tua venerabilis, adeoque illi terribilis imago in somnis redit, terrorem ei religionemque incutiens. — *Major... humanâ.* Qualis Deorum esse solet. Hi sunt effectus phantasiæ turbatæ formas augentis, et staturas, maxime in solitudine, nocte et somno.

222. *Cogitque fateri.* ] Suum perjurium, suamque fraudem.

223. *Et ad omnia fulgura pallent.* ] Qui sereno tempore Deos contemnunt, eos inter fulgura

et tonitrua reformidant. Suet. in Calig. cap. 51. *Nam qui Deos tantopere contemneret, ad minima tonitrua et fulgura connivere, caput obvolvere, ad vero majora proripere se e strato, sub lectumque condere solebat.*

225. *Fortuitus.* ] Ex opinione physicorum. — *Ventorum rabie.* Ex conflictu ventorum nubiumque.

226. *Iratus... ignis.* ] Ignis ab Jove irato missus. — *Et judicet.* Sit quasi iudex, etc.

227. *Illâ nihil nocuit, etc.* ] Si prima tempestas nihil nocuit, proxima, altera gravius timetur.

228. *Velut hoc dilata sereno.* ] Veluti hoc tantum sereni temporis momento differatur, ut acrior redeat.

229. *Lateris... dolorem.* ] Pleuritida, seu lateralem morbum cum febre adimentem somnum.

V. 225. *Fortuitus.* Quidam codd. habent *fortuitu*. Nostra lectio doctior est.

V. 226. *Judicet.* Ita codd. pars fere dimidia, et quidem optima: altera *vindicet*. Quæ varietas forte oritur ex compendio scripturæ *udicet*, cum linea (-) male superposita. *Judicet*, exquisitius nobis et Al. Rnp. videtur, ut ignis cœlestis sit quasi iudex, qui eorum perfidiam puniat.

Si cœpere pati, missum ad sua corpora morbum 230  
 Infesto credunt a Numine : saxa Deorum  
 Hæc, et tela putant. Pecudem spondere sacello  
 Balantem, et Laribus cristam præmittere galli  
 Non audent : quid enim sperare nocentibus ægris  
 Concessum ? vel quæ non dignior hostia vitâ ? 235  
 Mobilis et varia est ferme natura malorum.  
 Cùm scelus admittunt, superest constantia : quid fas  
 Atque nefas, tandem incipiunt sentire, peractis  
 Criminibus ; tamen ad mores natura recurrit  
 Damnatos, fixa et mutari nescia : nam quis 240  
 Peccandi finem posuit sibi ? quando recepit

231. *Saxa Deorum.* ] Quippe, hos morbos et febres esse saxa et tela Numinis irati iudicant, quibus petunt improbos, ac mulcant Dii. Morbi quoque acutiores sagittis Apollinis et Dianæ immitti credebantur.

232. *Pecudem spondere sacello.* ] Ovem non audent pro salute sua vovere Diis, quibus se invisos norunt.

233. *Et Laribus cristam.* ] Id est, cristatum gallum, quem Laribus, et Aesculapio solebant macrare convalescentes. Unde Socrates ait se huic Deo gallum debere. Wernsdorf in Poët. Lat. min. T. I. p. 249 : « ab gallis, inquit, multa « remedia morborum petiit vetus « superstitio. Exta gallorum et fi- « bras, ut opimas victimas, Diis « acceptissimas esse tradit Plin. « X, 21.... et cristam galli contri- « tam efficaciter imponi cani mor-

« so ab alio rabioso scribit idem, « lib. XXIX, 5, sect. 32. »

235. *Vel quæ non dignior hostia.* ] Quæ hostia quæcumque, vel minima, vitâ non est dignior scelerato, pro cuius salute vovetur ?

236. *Mobilis et varia, etc.* ] Hæc ad conclusionem spectant : scilicet varia et mobilis malorum natura ; constantia iis est solummodo ad peccandum : mox, peracto scelere, sua cognoscunt facinora ; sed tamen, impellente brevi natura eorum perversa, ad pristina vitia redire coguntur : unde concludit, improbum hominem toties peccaturum, ut aliquando deprehendatur, atque pœnas solvat. Egregia autem, et vera, hoc loco, hominum improborum naturæ adumbratio.

239. *Tamen ad mores natura recurrit.* ] Natura jam fixa, et constans in vitio, mutari nescia, ob-

V. 237. *Quid fas.* Quidam codd. habent, *quod fas.*

Ejectum semel attritâ de fronte ruborem ?  
 Quisnam hominum est, quem tu contentum videris uno  
 Flagitio ? Dabit in laqueum vestigia noster  
 Perfidus, et nigri patietur carceris uncum, 245  
 Aut maris Aegæi rupem, scopulosque frequentes  
 Exulibus magnis. Pœna gaudebis amara  
 Nominis invisî, tandemque fatebere lætus,  
 Nec surdum, nec Tiresiam quemquàm esse Deorum.

firmata consuetudine mali. Vid. sup. sat. VII, v. 50.

242. *Attrita de fronte.* ] Dura et inverecunda de fronte, ut *perfricata fronte*, vel *ore*. Ad illa respondent apud nos *impudent*, qui *a du front*, ou *un front d'airain*.

244. *In laqueum.* ] Quem ei vitia tendunt. — *Vestigia.* Pedes.

245. *Nigri patietur carceris uncum.* ] Obscuri carceris vincula. Hic, *uncus* est catena, vel potius orbes, quibus catenæ alli-

gantur. Differt ab alio *unco*, de quo vid. sup. sat. X, 66.

246. *Aut maris Aegæi rupem.* ] Vid. sup. sat. I, 73.

248. *Nominis invisî.* ] Amici tui perjuri.

249. *Nec surdum.* ] Qui nec preces, nec injurias, nec vota, nec perjuriam audiat. — *Nec Tiresiam.* Hoc est, cæcum. Omnibus notus Tiresias Thebanus vates, ejusque cæcitas, quam diversis causis tribuunt poëtæ.

---

# SATIRAE DECIMAE QUARTAE

## ARGUMENTUM.

HIS DOCET EXEMPLIS NATOS MALA VITA PARENTUM.

In præcedentibus satiris poëta noster ostendit, quàm pessima fierint commercia (sat. II, v. 166),

Aspice quid faciant commercia! . . . .

quantum nocerent reipublicæ Imperatorum, regum ac populi primorum corrupti mores (sat. VI, v. 617),

. . . . . Quæ non faciet, quod principis uxor?

Eâ autem gravissimâ, demonstrat, quanti sint ponderis exempla domestica, quæ, reipsa, morum publicorum sunt certissima fundamenta. Adolescentis mores ab exemplo paterno pendent (1 — 3): si igitur patrem juvat alea, et ipse filius aleator erit; si gulosus ille, hic quoque helluo et polyphagus. Iracundus pater, et immitis in servos pejorem habebit natum; mater adultera filiam adulteram pariet, prodigus prodigum, superstitiosus superstitiosum gignet; quod vel ex animalibus exempla desumpta probant: nam ciconiarum et vulturum pulli eodem, quo a parentibus in nido nutriti fuerunt cibo, serpentibus scilicet et cadaverum frustis, grandiores facti utuntur: aquilæ contra generosæ Jovis ministræ lepores capreasque insequuntur, quod leporibus et capreis a matribus instructæ fuerunt. Quæ cum ita sint, plurimum interest, quibus moribus puerorum animos informes. Cave igitur imprimis, ne quid inhonesti aut obscœni facias vel dicas coram liberis: unde illa aurea sententia parentum domibus passim inscribenda:

Maxima debetur puero reverentia: si quid

Turpe paras, ne tu pueri contempseris annos.

(4 — 106). Ad avaritiam hoc modo transit: sponte suâ juvenes imitantur cætera; solam avaritiam inviti jubentur exercere: attamen exercent, quoniam pater, quæ avaritia est, parcimo-



niam appellat, tenerasque eorum mentes paulatim hujus vitii elementis imbuit (107—134). Aptissima deinde usque ad finem avaritiæ adumbratio. Avarus misere ac duriter vivit, ut locuples moriatur: avarus, quo plura possidet, eo plura cupit: injustus præterea, nihil sancti habet (135—178), atque longe dispar priscis Marsis, Hernicis, et Vestinis, qui frugalitatem, agrique culturam liberos a teneris edocebant, suos ipse artibus etiam vilissimis instruit, e quibus lucrum possint facere, et diligenter illis inculcat sententiam istam:

VNDE HABEAS QVAERIT NEMO, SED OPORTET HABERE.

(179—209). Cur autem tantopere natos suos urgeat? Minime enim dubitandum, quin juvenes isti tam sapienter edocti parentes suos brevi infamiâ superent; et, falsis testimoniis, quorum ipse minimas fraudes insinuans auctor fuerit, perjuriis, cæde uxoris, patris fortasse ipsius morte cruenta divitias quarant. Inde concludit, mensuram censûs eam sufficere, in quantum sitis, fames et frigora poscunt, quibus si non contenti simus, Cræsi, Narcissi, Persarumque regum gazas animo nusquam satisfacturas.

Illud idem argumentum tractaverunt Senecæ. de Ira II, 21, et epist. 97. Plut. de Institut. liber. et Quintilianus Institut. Orat. I, 3. At noster auctor fusius, gravius, et forte elegantius. Hæc sunt Quintiliani verba: « Utinam liberorum nostrorum  
« mores non ipsi perderemus! Infantiam statim deliciis solvimus:  
« mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus, nervos  
« omnes et mentis et corporis frangit. Quid non adultus concu-  
« piscet, qui in purpuris repit? Nondum prima verba exprimit,  
« et jam coccum intelligit, jam conchylium poscit. Gaudemus,  
« si quid licentius dixerint: verba, ne Alexandrinis quidem per-  
« mittenda deliciis, risu et osculo excipimus. Nec mirum: nos  
« docuimus, ex nobis audierunt: nostras amicas, nostros con-  
« cubinos vident: omne convivium obscœnis canticis strepit:  
« pudenda dictu spectantur: fit ex his consuetudo, deinde na-

« tura. Discunt hæc miseri, antequam sciant vitia esse. Inde  
 « soluti ac fluentes, non accipiunt e scholis mala ista, sed in  
 « scholas afferunt. »

Egregia certe est ea satira, ad cuius laudem nihil possum amplius addere, quàm illa quæ Gallicus interpres *Dusaulx* dedit in notis suis, dicens: *Les exemples domestiques sont les mobiles secrets des mœurs d'une nation. Que deviennent en effet les bonnes races chez un peuple dont les parents eux-mêmes corrompent les enfants dès le berceau? C'est alors que c'en est fait, sans retour, de la chose publique. Comment régénérer ce peuple vicié jusque dans les premiers principes de son existence morale? Je n'y sache d'autres remèdes, affreux sans doute, mais nécessaires, que le malheur, la servitude ou l'anarchie. Triste condition des sociétés humaines, parcourant toujours le même cercle en dépit de nos vaines institutions! ne cessant, après bien des vicissitudes, de revenir au même point, c'est-à-dire, à leur primitive barbarie, et cela, sans avoir pu trouver ce qu'elles cherchaient depuis l'origine des choses, des mœurs fixes et un bon gouvernement!* Idem interpres nostro poëtæ objicit; quòd abrupta nimis transitione ad aliud argumentum, scilicet, ad avaritiam transierit: male, nostro iudicio: nam et id suo themati conveniebat. Ex omnibus enim vitiis ad eversionem imperiorum aptissimis, nullum optimus ille vir iudicabat pejus et vitandum magis quàm avaritiam, scil. cupiditatem habendi, per fas et nefas, quam qui in animos puerorum insinuat, is merito patriæ hostis debet haberi. Ea enim plebem turbulentam efficit, cives inquietos et novarum rerum avidos, mercatores rapaces, iudices corruptos, milites infidos, duces perjuros, et, ei qui plus pollicetur, vitam suam addicentes, imperatores ambiciosos, spoliatores, deprædatores, tribunos denique ad populi tutelam institutos venales, perturbatores, patriæ defectores, et rempublicam tyranno vendentes, dignos denique, quibus gravissimi duo illi Virgilio versus applicentur, quos olim poëta

492 SATIRAE DECIMAE QUARTAE ARGUM.

Mantuanus, ob Curionem tribunum plebis Cæsarisque fauorem ardentissimum, in Aeneidos libro VI inseruisse dicitur :

Vendidit hic auro patriam, dominumque potentem  
Imposuit ; fixit leges pretio atque refixit.

Recte igitur, a versu 106 usque ad finem satiræ, Juvenalis acriter invehitur in avaritiam ; quippe quod vitium, cum sint alia quodammodo condonanda, nullam habet excusationem. Ne tamen permisceas avaritiam cum frugalitate, et ista prudenti rerum familiarium, aut publicarum administratione, quæ est privatarum domuum et imperiorum felicitatis firmissimum fundamentum. De sola avaritia in sensu latissimo, quæ, fateor, est virtutibus supra memoratis proxima, etsi tamen ab iis distincta, locutus est poëta ; et adversus eam merito omnium odium et indignationem concitavit.



---

## SATIRA XIV.

### EXEMPLUM.

**P**LURIMA sunt, Fuscine, et famâ digna sinistrâ,  
Et nitidis maculam ac rugam figentia rebus,  
Quæ monstrant ipsi pueris traduntque parentes.  
Si damnosa senem juvat alea, ludit et heres  
Bullatus, parvoque eadem movet arma fritillo. 5  
Nec melius de se cuiquam sperare propinquo

1. *Et famâ digna sinistrâ.* ] Id est, turpi infamiâ, digna quæ vituperentur.

2. *Maculam ac rugam.* ] Et pulchris præclarisque rebus labem inurentia. *Macula* et *ruga* eadem ac Græcis σπιλος καὶ ῥυτίς.

4. *Damnosa.... alea.* ] Vid. sup. sat. I, v. 89, 90. — *Heres bullatus.* Infans adhuc, qui nondum bullam prætextamque deposuit. De *bullâ* vid. sup. ad V, 164, et XIII, v. 33. Hunc vers. et seq. sic egregie expressit Dryden:

... If gaming does aged sire entice,  
Then my young master swiftly learns  
the vice,

And shakes in hanging sleeves the little  
box and dice.

5. *Movet arma.* ] Hoc est, ludi instrumenta, talos, tesseras, etc. in eodem sensu, quo *armiger* dicitur ille, qui præbet talos et instrumenta ludi. Sup. sat. I, 92. — *Fritillo.* Fritillus idem ac *pyrgus* Horatio, *turricula* Martioli, *orca* Persio, et *pyxis* et *phimus*, *pyxis* cornea, in qua tali concutiuntur, et inde in alveolum, abacum, tabulam lusoriam conjiciuntur: gallice, *le cornet*.

6. *Nec melius, etc.* ] Ordo est: nec cognatis suis et propinquis meliorem dabit de se spem ille

V. 2. *Maculam ac rugam, etc.* Apud omnes fere nostros codd. ante hunc versum, alius legitur sic:

Et quod majorum vitio sequiturque minores.

At, Calderinus primus hunc versum esse argumentum satiræ suspicatus est, quod incuria librariorum forte, huc, irrepserit. Et, reipsa, in nostris codd. memoriæ juvandæ causâ, versus, quo satiræ argumentum contineatur, præfigi solet, quod nos ipsi fecimus (vid. cujusque satiræ argumenti initium). Post Calderinum, Grangæus, Lipsius, Quæst. IV, 15, et alii critici eundem versum spurium, ineptum, quo tota loci hujus turbetur sententia, unanimiter judicârunt; unde nos quoque eum retinere non sumus ausi. Eundem tamen retineri posse putabat Pithoeus, dummodo post tertium reponeretur.

*Ibid. Maculam ac rugam.* Vetus schol. solus, quod sciam, legit *maculam hæsuram*, non male, certe, et forte melius, sed sine alia auctoritate.

Concedit juvenis, qui radere tubera terræ,  
 Boletum condire, et eodem jure natantes  
 Mergere ficedulas didicit, nebulone parente,  
 Et canâ monstrante gulâ. Cùm septimus annus 10  
 Transierit puero, nondum omni dente renato,  
 Barbatos licet admoveas mille inde magistros,  
 Hinc totidem, cupiet lauto cœnare paratu  
 Semper, et a magna non degenerare culina.  
 Mitem animum, et mores modicis erroribus æquos 15

puer, qui didicit a patre nebulone, et monstrante cana gula, radere, etc. quod ad hoc certe delabitur: qui patrem habet aleatorem, et ipse aleator erit; qui gulosum, ipse gulosus. A.

7. *Radere tubera.*] Tubera terræ, Gall. *des truffes*. Vid. sat. V, v. 116.—*Radere.* Corticem eorum cultello abradere, et ea ad cibum parare.

8. *Boletum condire.*] De boleto, vid. sup. V, 147, et VI, 621.

9. *Ficedulas.*] Ficedula, seu motacilla, avis, Gall. *becfigue*, Græc. *μελαγχόρυφος*.—*Mergere.* Devorare totas.

10. *Et canâ monstrante gulâ.*] Vetulo pridem gulæ addicto, seneguloso. — *Monstrante.* Viam, iter.

11. *Nondum omni dente renato.*] Pueris ad septimum annum pro-

vectis primos dentes excidere, et paulo post novos nasci omnibus notum est.

12. *Barbatos.*] Sapientes, philosophos, qui barbam alebant.

14. *Et a magna non degenerare culina.*] Sceptice, pro, non degenerem esse a patris moribus, nec a luxu paterno deflectere.

15. *Mitem animum.*] Is est, a versu isto, usque ad 22, phrasis ordo et sensus: num Rutilus, ille Antiphates trepidi Laris, et Polyphemus, qui gaudet acerbo plagarum sonitu, et nullam Sirena flagellis comparat, tum felix quoties aliquis, etc., præcipit filio suo mitem animum, etc., an potius eum sævire docet, etc?—*Mores modicis erroribus æquos.*

Nam vitis nemo sine nascitur; optimus ille est,

Qui minimis urgetur. . . . .

Horat. lib. I, sat. 3. A.

V. 7. *Concedit.* Hanc lectionem revocavi ex omnibus fere nostris codd. Vet. schol. et duo alii habent *concedet*. At, meo judicio, præsens melius cum præcedentibus aptatur. Scil. si senex ludit, ludit et ipse filius ejus: nec *concedit*, dat de se spem meliorem juvenis ille, qui didicit, etc.

V. 11. *Puero.* Vet. schol. et V alii codd. legunt *puerum*.

Præcipit, atque animas servorum et corpora nostra  
 Materiâ constare putat paribusque elementis ;  
 An sævire docet Rutilus, qui gaudet acerbo  
 Plagarum strepitu, et nullam Sirena flagellis  
 Comparat, Antiphates trepidi laris, ac Polyphemus ; 20  
 Tum felix, quoties aliquis tortore vocato  
 Uritur ardenti propter duo lintea ferro ?  
 Quid suadet juveni lætus stridore catenæ,  
 Quem mire afficiunt inscripta ergastula, carcer

16. *Atque animas servorum, etc.*] Fere similiter Seneca, epistolâ XLVII. *Vis tu cogitare istum, quem servum tuum vocas, ex iisdem seminibus ortum, eodem frui cælo, æque spirare, æque vivere, æque mori?* Eadem fere Macrob. Saturn. I, 11, et Arrian. in Epict. Dissert. XIII.

18. *Rutilus.*] Forte idem, de quo sat. XI, v. 2.

19. *Et nullam Sirena, etc.*] Qui Sirenium cantum non æque dulcem, et auditu jucundum putat, ac sonum flagellorum. De *Sirenibus* autem lege Macrob. lib. II, Servium in V Aeneid., Hygin. fab. CXXV, Ovid. et alios.

20. *Antiphates.*] Rex Læstrygonum notissimus ex Homero Odyss. x, v. 114, ut Polyphemus Cyclops ex Odyss. x, 68, Virgil. Aeneid. III, 618.

21. *Tum felix.*] Sibi videtur, gaudet. Hi duo versus jungendi præcedentibus mihi visi sunt. Alii autem eosdem sequentibus aptant; ut totius phrasid ordo sit et sensus: an Rutilus ille qui

gaudet acerbo strepitu plagarum, et nullam Sirenem comparat flagellis, Rutilus ille Antiphates et Polyphemus domûs suæ, præcipit filio servos suos iisdem quibus ipse, constare elementis, et esse æque ac nos homines; an potius docebit eum in servos crudeliter desævire? Ille Rutilus, tunc felix, quoties aliquis servorum uritur ardenti ferro, propter duo lintea amissa aut subrepta, quid suadebit filio suo? quid, lætus tantum stridore catenæ et carceribus, innuet juveni? Recta quoque hæc explicatio. A.

22. *Ardenti... ferro.*] Laminis ardentibus, candentibus, quæstionum cruciatûsque instrumentis. — *Propter duo lintea.* Propter res viles amissas et desideratas.

24. *Inscripta ergastula.*] Ergastula proprie dicuntur carceres servorum, loci in quibus rure inclusi erant. Hoc loco, metonymia est, pro servis in ergastulo compeditis: sic, ergastula sunt ipsa mancipia, ut alibi *servitia*, *stabula*, *naufragia*, pro servis,

V. 16. *Animas.* Multi codd. habent *animos*: minus bene.

Rusticus? Exspectas, ut non sit adultera Largæ 25  
 Filia, quæ nunquam maternos dicere mœchos  
 Tam cito, nec tanto poterit contexere cursu,  
 Ut non ter decies respiret? Conscia matri  
 Virgo fuit: ceras nunc hâc dictante pusillas  
 Implet, et ad mœchos dat eisdem ferre cinædis. 30  
 Sic natura jubet: velocius, et citius nos  
 Corrumpunt vitiorum exempla domestica, magnis  
 Cùm subeunt animos auctoribus. Unus et alter

pecoribus, naufragis.— *Inscripta.* In fronte candenti ferro, seu cauterio, litteris, vel signo notata. — *Carcer rusticus.* In villis, ergastula erant, cellæ subterraneæ angustis illustratæ fenestris, in quas detrudebantur servi, sive fugitivi ac mali, sive captivi, barbari ac viles.

25. *Exspectas, ut non sit adultera.*] Similis fere locus sat. VI, v. 232. — *Exspectas.* Sperasne? — *Larga.* Famosa his temporibus adultera, cæterum non aliunde nota.

27. *Contexere.*] Ordine recensere. — *Tanto cursu.* Tam rapide.

28. *Ut non ter decies, etc.*] Faceta hyperbole. — *Conscia matri.* Fuit conscia adulteriorum, et amorum matris suæ.

29. *Virgo.*] Dum virgo esset. — *Ceras.... pusillas.* Litteras amatorias, *des billets doux.* — *Hâc dictante.* Nunc matre suâ dictante, ut eas scribere discat. De his infamibus matribus, quæ filias

suas corrumpunt, vid. sat. VI, 239 et seqq.

30. *Dat... ferre.*] Hellenismus, pro dat ferendas, ut ap. Homer. δῶκε φορῆναι, φέρειν, ἄγειν. — *Eisdem.... Cinædis.* Iisdem ministris turpissimis et mœchis, quibus utebatur mater sua, quique jam senes facti, lenones sunt filiæ. In sensu latiori, hoc loco, *cinædi* accipiendi sunt; nec ut supra, pro pathicis. A.

32. *Corrumpunt exempla domestica.*] Senec. de Ira lib. II. cap. 22: *proximis applicatur omne quod tenerum est, et in eorum similitudinem crescit. Nutricum et pædagogorum retulere mox in adolescentiam mores. Apud Platonem educatus puer, cum ad parentes relatus vociferantem videret patrem: nunquam, inquit, hoc apud Platonem vidi. Non dubito, quin citius patrem imitatus sit, quàm Platonem.*

33. *Cùm subeunt.*] Intranat. — *Magnis auctoribus.* Patrum apud

V. 30. *Mæchos.* Codd. nostrorum permulti habent *mæchum*. At, id parvi interest.

V. 33. *Subeunt.* Codd. fere omnes habent *subeant*. Sermonis legibus aptior nostra lectio.

Forsitan hæc spernant juvenes, quibus arte benignâ  
 Et meliore luto finxit præcordia Titan : 35  
 Sed reliquos fugienda patrum vestigia ducunt,  
 Et monstrata diu veteris trahit orbita culpæ.  
 Abstineas igitur damnis : hujusce etenim vel  
 Una potens ratio est, ne crimina nostra sequantur  
 Ex nobis geniti : quoniam dociles imitandis 40  
 Turpibus ac pravis omnes sumus ; et Catilinam  
 Quocumque in populo videas, quocumque sub axe :  
 Sed nec Brutus erit, Bruti nec avunculus usquam.

liberos magna est auctoritas, præsertim exemplorum respectu.

34. *Forsitan hæc spernant, etc.* ] Pauci quos Titan, etc. *spernant*, abhorrent ab exemplis patrum : at reliquos *ducunt vestigia*, præcipites trahunt exempla eorum.

35. *Et meliore luto.* ] Quibus benignior natura, vel ingenium ad virtutem propensius. — *Titan*. Prometheus Titanis nepos. Vid. sat. IV, 133.

36. *Fugienda... vestigia.* ] Mala exempla, immo pessima, quæ deberent fugere.

37. *Veteris... orbita culpæ.* ] Majorum parentum via. — *Orbita*. Proprie currentis rotæ vestigium, hic, consuetus agendi mos, et quotidiana exempla pueris monstrata.

38. *Damnis.* ] Turpibus inhonestisque factis.

V. 38. *Abstineas igitur damnis.* Hanc lectionem revocavi ex omnibus codd. et edd. præcis : non quòd mihi videatur præstare elegantiam ; sed quòd majori firmetur auctoritate. Vet. schol.

Abstineas igitur dampnandis : hujus enim vel.

39. *Una potens ratio est.* ] Etsi aliæ non desunt rationes ; at hæc una debet a vitiis nos avocare ; ne, scilicet, filii nostri, aut servi exemplo corrumpantur.

41. *Et Catilinam, etc.* ] Sententia veritatis plena. Non rari proditores ac libertatis patriæ suæ evertores, nec tyranni ; sed boni cives, et fideles, legibus patriæque obedientes, rarissimi ; omnes fere aut servi et adulatores, aut fures, aut commodo suo, nedum publicæ utilitati, turpiter servientes. Similiter Seneca epist. 97. *Omne tempus Clodios, non omne Catones feret. A.*

42. *Quocumque sub axe.* ] Ubique, in quâcumque regione.

43. *Brutus.* ] M. Junius Brutus Cæsaris percussor. — *Bruti*. . . . *avunculus*. M. Porcius Cato Uticensis frater Serviliæ matris Bruti.



Nil dictu foedum visuque hæc limina tangat  
 Intra quæ puer est. Procul hinc, procul inde puellæ 45  
 Lenonum, et cantus pernoctantis parasiti.  
 Maxima debetur puero reverentia. Si quid  
 Turpe paras, ne tu pueri contempseris annos;  
 Sed peccaturo obsistat tibi filius infans.  
 Nam si quid dignum Censoris fecerit irâ 50  
 (Quandoquidem et similem tibi se non corpore tantum,

44. Nil dictu foedum visuque.] Turpe verbum factumve.

45. Procul hinc, procul inde.] Formula in sacris usitata, ἐκάς, ἐκάς ἔσε βέβηλοι. Sancta quasi limina sunt illa, in quibus pueri sunt. — Puellæ.... lenonum. Meretrices.

46. Et cantus.] Obscœnæ cantilenæ. — Pernoctantis parasiti. Et sæpius ebrii.

47. Maxima debetur, etc.] Plut. in vit. Catonis refert, eum, præsentem puero filio, sic a verborum

turpitudine temperasse, veluti apud Vestales locutus sit; neque unquam cum filio lavisse, quod et tunc Romanis usitatum erat.

50. Nam si, etc.] Si se tibi similem non vultu tantum, sed et moribus dederit; si, secutus tuæ vestigia, se talem præstiterit, qui peccet deterius quàm tu; corripies scilicet, et castigabis, etc? — Censoris.... irâ. Notâ censoris, quæ est ignominia, et pœna.

51. Quandoquidem.] Vid. infr. var. lect.

V. 45. Intra quæ puer est. Vet. schol. et tres alii habent, *intra quæ pater est*, probante Schurzfleischio.

*Ibid. Procul inde puellæ.* Duo codd. *procul ite puellæ*, rectius forte: *nam*, ea erat formula in sacris usitata: præterea, vox *inde* glossam redolet.

V. 49. *Obsistat.* Revocavi ex codd. permultis, et edd. priscis. Quidam habent *obstat*, vel *obstet*: male, propter metrum.

V. 51. *Quandoquidem et similem.* Hanc lectionem revocavi ex omnibus nostris codd. et edd. priscis. Vet. schol. fere solus legit, *quandoque et similem*; quam lectionem secuti sunt editores omnes recentiores, et ita explicant: *si, quandoque, filius tuus aliquid fecerit dignum irâ censoris, et se dederit similem tibi, non solum vultu; sed, etc.* Nos vero: *si quid fecerit dignum censoris ira (quandoquidem, cum se dederit tibi similem, non vultu tantum; sed et moribus, etc.); nimirum, corripies eum, etc?* Cùm uterque sensus latini sermonis legibus æque conveniens esset, auctoritatem codicum secuti sumus.

Nec vultu dederit, morum quoque filius, et cum  
 Omnia deterius tua per vestigia peccet);  
 Corripies nimirum, et castigabis acerbo  
 Clamore, ac post hæc tabulas mutare parabis. 55  
 Unde tibi frontem libertatemque parentis,  
 Cum facias pejora senex, vacuumque cerebro  
 Jampridem caput hoc ventosa cucurbita quærat?  
 Hospite venturo, cessabit nemo tuorum:  
 Verre pavimentum, nitidas ostende columnas, 60  
 Arida cum tota descendat aranea tela;

52. *Morum quoque filius.*] Heres et æmulus paternæ improbitatis, qui se tibi similem præstet non vultu tantum, sed moribus.

53. *Per vestigia.*] Tua secutus exempla.

54. *Acerbo clamore.*] Increpationibus.

55. *Tabulas.*] Testamenti. Hunc exheredare parabis.

56. *Unde tibi frontem, etc.*] Frontem, hic, pro gravitate, libertatem, pro severitate paterna.

57. *Vacuumque cerebro.*] Carens mente et sapientia: nam, inquit Macrobius lib. VII, cap. 5: cerebrum consilii sedes est; et cap. 9: animæ habitatio est in cerebro, indeque sensus ingeruntur et gubernantur.

58. *Ventosa cucurbita.*] Quem admodum, qui parum sanæ mentis, est eget *Anticyra et Archigene*, sup. XIII, 97; sic eidem morbo remedium esse potest *ventosa cucurbita*; sive, per cucurbitam in-

telligas *κολοκύνθην*, quæ, sumpto humore cerebri actionem impediende, curationem affert: Plin. lib. XX, cap. 3. Athen. lib. II, cap. 18; sive τὴν σικύαν instrumentum, vasculum (sic dictum a cucurbitæ similitudine, Gallice *ventouse*) occipitio inciso admotum, quo utuntur chirurgi, ad sanguinem eliciendum phrenesimque sanandam. Cels. II, 11.

59. *Hospite venturo, etc.*] Curas, ut nitida et splendens hospiti tuo videatur venturo domus tua; non ut eam filio castam exhibeas. Sall. orat. I, de Rep. ord. *Nam domum aut villam exstruere, eamque signis, aulæis, aliisque operibus exornare, et omnia potius quam semet visendum efficere, id est non divitias decori habere, sed ipsum illis flagitio esse.*

60. *Verre pavimentum.*] Verba domini instantis; vel forte Juvenalis ipsius ad dominum. F. D.

61. *Arida.*] Macra, tenuis.

V. 52. *Et cum.* Simili ratione, quâ sup. v. 51, qui legunt *quandoquidem*, habent, et *cum*. Vet. schol. contra, et editores recentiores, et qui

Hic lavet argentum , vasa aspera tergeat alter.  
 Vox domini fremit instantis , virgamque tenentis.  
 Ergo miser trepidas , ne stercore foeda canino  
 Atria displiceant oculis venientis amici , 65  
 Ne perfusa luto sit porticus ; et tamen uno  
 Semodio scobis hæc emendat servulus unus :  
 Illud non agitas , ut sanctam filius omni  
 Aspiciat sine labe domum , vitioque carentem ?  
 Gratum est , quod patriæ civem populoque dedisti , 70  
 Si facis , ut patriæ sit idoneus , utilis agris ,  
 Utilis et bellorum et pacis rebus agendis.  
 Plurimum enim intererit , quibus artibus , et quibus  
 hunc tu  
 Moribus instituas. Serpente ciconia pullos

62. *Vasa aspera.* ] Sculpturis et  
 cælaturis , vel signis exstantibus ,  
 ἀνάγλυφα.

66. *Et tamen uno, etc.* ] Quasi  
 dicat : de his adeo sollicita-  
 ris , quæ tamen ita facile pos-  
 sunt emendari , ut servus unus  
 singula tergens ac deradens vix  
 inde *scobis* ( pulveris , ramentor-  
 um ) auferat *semodium* , modium  
 dimidium. Alii aliter explicant :  
 ergo miser trepidas , ne , etc. . . .  
 cum tamen servus unus huic malo

facile possit mederi , scil. injecto  
 semodio scobis.

67. *Scobis.* ] Scobs non solum  
 quod e ligno deteritur ; verum  
 etiam quod e ferro deraditur.

68. *Illud non agitas.* ] Mente  
 non curas.

74. *Serpente ciconia pullos, etc.* ]  
 Exemplis ab animalibus sumptis  
 probat, mentibus hæere, quæ ab  
 ineunte ætate, et a parentibus dis-  
 cuntur. — *Ciconia.* Plin. lib. X,  
 cap. 23. *Honos ciconiis serpentium*

V. 62. *Lavet argentum.* Codd. quidam habent *leve argentum* , quam lec-  
 tionem recepit Al. Rup. Omnes nostri codd. *lavet*.

V. 63. *Fremit.* Restitui ex omnibus fere codd. nostris et edd. priscis  
 Vet. schol. et recentiores *furit* , vividius forte , sed minori fultum aucto-  
 ritate. Quidam codd. *fremat* , minus bene.

V. 67. *Scobis.* XX. codd. *scrobis* , male propter sensum.

V. 70. *Quod patriæ civem populoque dedisti.* Repetitio vocis *patriæ* , et  
 ejusdem cum voce *populo* conjunctio Bentleium offendit ( Horat. *od.* 6,  
 lib. III , v. 20 ) ; itaque emendat , sine auctoritate , *patribus civem populo-*

Nutrit, et inventâ per devia rura lacertâ : 75  
 Illi eadem sumptis quærun animalia pennis.  
 Vultur, jumento, et canibus, crucibusque relictis,  
 Ad fetus properat, partemque cadaveris affert :  
 Hic est ergo cibus magni quoque vulturis, et se  
 Pascentis, propriâ cùm jam facit arbore nidos. 80  
 Sed leporem, aut capream, famulæ Jovis, et generosæ  
 In saltu venantur aves : hinc præda cubili  
 Ponitur : inde autem, cùm se matura levabit  
 Progenies, stimulante fame, festinat ad illam

*exitio tantus, ut in Thessaliâ capitale fuerit occidisse, eademque est pœna legibus, quæ in homicidam. De ciconiâ, vid. Plutarch. Quæst. Conviv. lib. VIII, cap. 7, et alios.*

75. *Devia rura.* ] A via turbæ que hominum remota.

76. *Sumptis.... pennis.* ] Vix penati, ut passim.

77. *Crucibus.* ] Cadaveribus affixis ad *cruces*, quibus non modo servi, sed et sicarii et homicidæ plectebantur.

79. *Cibus magni.... vulturis.* ] Vultur ubi adolevit, eodem, cui assueverat, cibo vescitur.

80. *Cùm jam facit arbore nidos.* ] Plin. lib. X, cap. 6, contra affirmat, non in arboribus; sed in excelsis rupibus vutres nidificare. Attamen vutres in arbore nidificantes videre non sine exemplo est.

81. *Famulæ Jovis.* ] Aves, aquilæ, quas armigeras fingi Jovis, ex poëtis et monumentis vet. notissimum est. Varia sunt aquilarum genera. Hoc loco, de aquila sermo est, quæ græcis dicitur χρυσάετος, et γνήσιος, Latinis *stellaris*, vel *Jovis aquila*, Gallis *l'aigle royal*. — *Et generosæ..... aves.* Ut accipitres, falcones, etc.

*que dedisti.* At, cum dignitate repetitur vox *patriæ*: præterea, magnum videmus discrimen inter *patriam* et *populum*. Patria plerumque est respublica ipsa cum partibus suis, majestate, securitate, et salute publica; *populus* vero hominum congregatio quæcunque. Sub tyranno *populus* exstat, non *patria*: in republica autem, aut etiam sub principe justo, moderato, et legibus obsequenti *populus* est, *cives* sunt, et *patria*; nec ea debent permisceri, nec eorum oblivisci debuisset Bentleius Anglus et civis.

V. 82. *Hinc præda.* Codd. nostrorum pars dimidia habet, *tunc præda*.

V. 83. *Levabit.* Restitui ex XXX codd. tum nostris, tum Rupertianis, pro *levárit* quod habent vet. schol. et editores recentiores: namque displicet illud *levárit*, ante præsens tempus *festinat*, et infra *gustaverat*.

Quam primum prædam rupto gustaverat ovo. 85  
 Aedificator erat Centronius, et modo curvo  
 Littore Caietæ, summâ nunc Tiburis arce,  
 Nunc Prænестinis in montibus, alta parabat  
 Culmina villarum, Græcis longeque petitis  
 Marmoribus, vincens Fortunæ atque Herculis ædem; 90  
 Ut spado vincebat Capitolia nostra Posides.  
 Dum sic ergo habitat Centronius, imminuit rem,  
 Fregit opes: nec parva tamen mensura relictæ

85. *Rupto ovo.* ] Cùm pullus excluditur.

86. *Aedificator erat.* ] Cupidus ædificandi. — *Centronius.* Non aliunde notus.

87. *Caietæ.* ] Caieta, hodie Gaëte, Urbs et portus in finibus Latii et Campaniæ, nunc *terre de Labour au royaume de Naples.* Sic dicta hæc urbs, a *Caieta* Aeneæ nutrice:

Tu quoque littoribus nostris Aeneia nutrix  
 Aeternam moriens famam Caieta dedisti.

Cæterum, hic locus amænissimus, ac consuetus Romanorum secessus erat, ut *Tibur* et *Præneste*, urbes Latii, non procul Roma, et in locis editis sitæ.

89. *Culina (alta) villarum.* ] Magnificentia Romanorum in villis exstruendis omnibus nota est. — *Græcis... marmoribus.* Spartanorum marmorum præstantiam laudat Plin. lib. XXXVI, 7. — *Longeque petitis.* Ex Aegypto, Armenia, Numidia, etc.

90. *Vincens Fortunæ atque Herculis ædem.* ] *Prænesti* templum

erat Fortunæ ab Augusto dicatum et exstructum, ubi oracula et sortes Prænestinæ edebantur; unde *Fortuna* dicebatur *Dea Prænestina*: *Tiburi* autem æque templum erat *Herculi* dicatum, et a *Martio* quodam *Philippo* Augusti vitrico exstructum eodem loco, ubi fuit *Herculis* ædes: unde *Tibur* aliquando dicitur *Herculeium*, Ἡράκλειον.

91. *Ut spado. . . Posides.* ] Is erat libertus *Claudii* Imperatoris. Suet. *Claud.* cap. 28. *Libertorum præcipue suspexit Posiden spadonem, quem etiam Britannico triumpho inter militares viros hastâ purâ donavit.* Ab illo autem *Poside* exstructæ sunt maximis sumptibus thermæ magnificæ *Posidianæ aquæ* dictæ, in littore *Baiano*. Vid. Plin. XXXI, 2. — *Vincebat.* Magnitudine et magnificentia. — *Capitolia nostra.* Vetus et novum: illud in octava, hoc in sexta regione. — *Nostra.* Romana: nam in aliis urbibus erant quoque *Capitolia*, ut *Capuæ*, *Pompeiis*, *Beneventi*, etc., sed minora, et minus magnifica.

92. *Dum sic... habitat.* ] Tam

Partis erat : totam hanc turbavit filius amens,  
 Dum meliore novas attollit marmore villas. 95  
 Quidam sortiti metuentem sabbata patrem,  
 Nil præter nubes, et cæli numen adorant ;  
 Nec distare putant humanâ carne suillam,

splendidas exstruit ædes, in quibus habitet.

94. *Turbavit.*] Absumpsit. Vid. sup. ad VII, 129.

96. *Quidam sortiti, etc.*] Judæorum exemplo, docet superstitionem etiam pueros doceri a parentibus. Verum tamen parum apte hoc exemplum sumitur : nam de bonis moribus hæc satirâ agitur, qui in quacumque religione, et in omni ritu possunt vigere, et in honore versari : sed Juvenalis Judæos notandi, quos oderat, occasionem qualemcumque nactus, arripuit. — *Metuentem sabbata.* Hoc est, patrem Judæum sabbata observantem, qui ob hoc, *sabbatarius* dicitur Martiali, lib. IV, epig. 4. A.

97. *Nil præter nubes, etc.*] Cùm Judæi sub cælo, vel potius sub *Dio* (nam templo non erat culmen), et illud suspicientes, precarentur ; Romani putabant ipsum ab iis cælum adorari : unde Petron. pag. 683, edit. Burman. per jocum dixit :

Et cæli summas advocat auriculas.  
 Sed forsân ad hæc alludit, quæ leguntur Exod 13, v. 21 : *Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam, per diem, in columna nubis ; ut dux esset itineris utroque tempore.* — *Et cæli numen adorant.* Tacit. Hist. V, 5 : *Judæi mente sola unumque numen intelli-*

*gunt.... Summum illud et æternum, nec mutabile, nec interiturum : igitur nulla simulacra urbibus suis, nec dum templis sunt.* En ratio, cur Juvenalis eos *nubes* adorare dicit. Simili ratione, Socratem velut *nubes* adorantem sugillabat Aristophanes. Cæterum locus ex Tacito supra citatus est optima ad sarcasum Juvenalis responsio, contra gentem hoc cultu æstimatione dignam, et venerandam. A.

98. *Nec distare putant, etc.*] Salse dicit poëta Judæos non minus abhorre ab edenda carne suilla, quàm ab humana, nec minoris æstimasse sues, quàm homines. — *Humanâ carne suillam.* Mandatum Judæis, ut a carne suilla abstinerent. Levit. XI : *Omne quod habet divisam ungulam, et ruminat in pecoribus, comedetis : quidquid autem ruminat, et habet ungulam, sed non dividit eam, non comedetis.* Cujus interdictionis causam hanc dedit Tacit. Hist. V : *sive abstinent memoria cladis, quod ipsos scabies quondam turpaverat, cui id animal obnoxium.* Lactant. autem, de Vera Sapient. lib. IV, *ut a peccatis et immunditiis abstinerent.* Sapientem ego hanc interdictionem et politicam, et præsertim salubrem fuisse opinor : nam in Oriente plerumque crudæ et difficilis decoctionis animalium istorum carnes habentur. A.

Quâ pater abstinuit; mox et præputia ponunt.  
 Romanas autem soliti contemnere leges,  
 Judaicum ediscunt, et servant, ac metuunt jus,  
 Tradidit arcano quodcumque volumine Moses:  
 Non monstrare vias, eadem nisi sacra colenti:  
 Quæsitum ad fontem solos deducere verpos.

100

99. *Mox et præputia ponunt.*] *Judæi genitalia circumcidunt, ut diversitate noscantur. Transgressi in morem eorum idem usurpant.* Tacit. Hist. V, 5, hanc legem, munditiei et valetudinis causâ, ut superiorem, latam fuisse volunt recentiores. A.

100. *Romanas soliti contemnere leges.*] Tacit. Hist. V, 4: *Moses, inquit, quo sibi in posterum gentem firmaret, novos ritus contrariosque cæteris mortalibus indidit: profana illic omnia, quæ apud nos sacra; rursus concessa apud illos, quæ nobis incesta; et cap. 5: nec quidquam prius inbuuntur, quàm contemnere Deos, exuere patriam, parentes, liberos, fratres, vilia habere.* Hoc loco, Tacit. designare videtur Christianos, quos sæpe Romani cum Judæis primum promiscue habebant. A.

102. *Arcano.... volumine.*] *Pentateucho. — Moses.* Hunc Plin. lib. XXX, cap. 1, ut artis magicæ antesignanum celebrat. Quidam eundem accensent Jamni aliisque Magis Pharaonis. Vid. Cœl. Rodig. lib. X, cap. 1.

103. *Non monstrare vias.*] Hoc loco, *monstrare*, et infra *deducere*, infinitivi narrativi. Subauditur, *nolunt*, et *solent*: sic, nolunt monstrare viam, nisi alteri Ju-

dæo *eadem sacra colenti*; et, solent solos verpos deducere ad fontem, etc. vel potius, ut opinor, hæc reguntur ἀπὸ τοῦ *soliti*, quod legitur sup. vers. 100: sic, *quidam... soliti contemnere, etc. nec monstrare vias; et deducere solos verpos.* A.

104. *Verpos.*] *Verpi* dicebantur Judæi, ut *apellæ* Horat. lib. I, sat. 5, et *recutiti*, ob renudatam verendorum glandem. Turneb. XXVIII, 31. Hæc autem *monstrare viam*, et *deducere ad fontem*, recipiunt in sensu figurato Grangæus, et vet. schol. quasi poëta dixisset, Judæos nullum alium, nisi ex suis, ad *vias*, mysteria religionis suæmittere, nec deducere ad *fontes aquarum*, ad *fontem vitæ*, ubi baptizantur: quæ ratio etsi longe petita, non tam inepta est, quàm innuit Alex. Rup., quippe quæ satis concordat cum figuris bibliorum sacrorum: in his enim legimus ea verba sæpe sæpius repetita, *doce me, Domine, vias tuas*, et, *docebo vias tuas*: et in psalm. *Quemadmodum cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Domine.* Vide quoque in Evangelio colloquium Christi cum muliere Samaritana, et alibi passim. Horum autem

Sed pater in causa, cui septima quæque fuit lux 105  
 Ignava, et partem vitæ non attigit ullam.  
 Sponte tamen juvenes imitantur cætera : solam  
 Inviti quoque avaritiam exercere jubentur.  
 Fallit enim vitium specie virtutis et umbrâ,  
 Cùm sit triste habitu, vultuque et veste severum : 110  
 Nec dubie : tanquam frugi, laudatur avarus,  
 Tanquam parcus homo, et rerum tutela suarum  
 Certa magis, quàm si fortunas servet easdem

notionem habere aliquam potuit, Juvenalis. A.

105. *Sed pater in causa.* ] Minime probandam affert causam poëta noster : nam, quòd septimo quoque die ex lege sua feriantur ; non ideo inter exempla corruptelæ ac turpitudinis adnumeranda erat illa religio ; sed ethnicus et Romanus est auctor noster, nec philosophus. — *Septima quæque lux.* Sabbata. Tacit. *Septimo die otium placuisse ferunt, quia is finem laborum tulerit : dein, blandiente inertia, septimum quoque annum ignavie datum.* Hæc lex de sabbato eo aptior Judæorum moribus erat, quòd apud eos mensis esset lunaris, et non solaris ; constans 28, aut 29 diebus : quo fiebat, ut divideretur in quatuor partes æquales, quarum septima quæque lux Deo dicata erat, et otio religioso consecrata. Legem eandem legislatores fere omnes veluti commodam et sapientem receperunt. A.

106. *Et partem vitæ non attigit ullam.* ] Nulla vitæ negotia curat. — *Attigit.* Hoc verbum expresse pingit ( si tamen ea mens poëtæ

fuit ), diligentiam, quam in observandis sabbatis adhibebant ; abstinentes ab omnium rerum contactu et tractatione. A.

107. *Cætera.* ] Vitia parentum.

108. *Inviti.* ] Nam vulgo juvenis est

Utilium tardus provisor, prodigus æris.

109. *Fallit enim vitium.* ] Avaritiæ. — *Specie virtutis et umbra.* Sic Ovid. Remed. Am. v. 323 :

Et mala sunt vicina bonis, errore sub illo

Pro vitio virtus crimina sæpe tulit.

110. *Cùm sit, etc.* ] Hæc a superioribus pendent : id est, vitium enim avaritiæ fallit eos ( juvenes ) specie virtutis ; cùm cæteroquin vitium istud sit triste et vultu severum : *nec dubie,* nec id aliter fieri potest : avarus laudatur tanquam frugi, etc. — *Triste habitu.* Venusta avari imago.

111. *Tanquam frugi laudatur avarus.* ] Horat. lib. I, sat. 3, 49. *Parcius hic vivit ? frugi dicatur. . . .*

112. *Tutela suarum certa magis.* ] Bonorum suorum custos assiduus, et quidem ea servans majoribus



Hesperidum serpens, aut Ponticus. Adde quod hunc, de  
 Quo loquor, egregium populus putat atque verendum  
 Artificem, quippe his crescunt patrimonia fabris: 116  
 Sed crescunt quocumque modo, majoraque fiunt  
 Incude assiduâ semperque ardente camino;  
 Et pater ergo animi felices credit avaros.  
 Qui mirantur opes, qui nulla exempla beati 120  
 Pauperis esse putant; juvenes hortantur, ut illam  
 Ire viam pergant, et eidem incumbere sectæ.

etiam curis quàm serpens Hesperidum, etc.

114. *Hesperidum serpens.* ] De Hesperidum hortis ac pomis, eorumque custode dracone Typhonis et Echidnæ filio, vid. Heyne ad Apollod. p. 406. — *Aut Ponticus.* Velleris aurei custos.

115. *Atque verendum.* ] Honorandum hunc putat populus artificem, et venerandum, qui tot ac tantas opes coacervare potuerit.

116. *His Crescunt patrimonia fabris.* ] *Fabris*, artificibus: metaphora petita ab arte fabrili et exquisitissima.

117. *Sed crescunt quocumque modo.* ] Per fas et nefas.

118. *Incude assidua.* ] Pertinaci labore et opera. Metaphora a fabris petita producitur.

120. *Nulla exempla beati pauperis.* ] Cave, ne paupertatem cum egestate permisceas. Per paupertatem intelligimus fortunam mediocrem, quæ nec lauta, nec tenuis, nec despecta est: vitam sæpe sæpius simplicem, et paucis contentam, qualis fuit apud Græcos in Aristide justa, in Phocione benigna, in Epaminonda strenua, in Socrate sapiens, in Homero diserta, in populo Romano maximi imperii fundamentum et causa. In hoc igitur sensu, errat iste pater insanus, qui nulla exempla beati pauperis esse putat; cum ea paupertas multo felicior sit, quàm quæstiosa ea, cui opponitur, conditio. A.

122. *Eidem incumbere sectæ.* ] Feneratorum et avarorum.

V. 115. *Putat atque verendum artificem.* Ita habent codd. tantum non omnes. Vet. schol. *putat acquirendi artificem.* Alii permulti, *putat atque verendi*, quod Pulmannus exponit, *verecundæ actionis.*

V. 119. *Animi felices.* Subauditur *esse.* Ita vet. schol. et duo alii; omnes alii, *animi felicitis*, non male quoque; sed nostra lectio doctior est: dicitur enim Græce, μακάριος τῆς τύχης, εὐτυχῆς τῆς ὀμιλίας.

V. 120. *Mirantur.* Codices omnes nostri habent, *qui mirantur opes... qui*, vel *hi nulla*, etc. et infra, *putant, juvenes hortantur, ut sit consequentia*

Sunt quædam vitiorum elementa : his protinus illos  
 Imbuit, et cogit minimas ediscere sordes :  
 Mox acquirendi docet insatiabile votum. 125  
 Servorum ventres modio castigat iniquo,

123. *His protinus.*] His elementis statim imbuuntur a parentibus puerorum teneræ mentes.

124. *Minimas.... sordes.*] Pater filium primo erudit circa minima.

125. *Mox acquirendi, etc.*] Mox ad majora transit, eique insinuat votum insatiabile acquirendi, per fas et nefas.

126. *Servorum ventres, etc.*] A versu isto, usque ad 140, referuntur minimæ sordes : mox, a 141, usque ad finem, infamiam recenset et crimina, quorum avaritia semper origo atque causa fuit. — *Modio. . . iniquo.* Φειδωνίω μέτρῳ τὸν πύνδαχα ἐγκεκρουσμένῳ μεστρεῖν αὐτὸς τοῖς ἐνδόν τὰ ἐπιτήδεια, σφόδρα ἀποψῶν. Theophr. char. XI, extr. — *Castigat.... ventres.* Famem eorum et edendi cupiditatem coercet.

N. B. Promisimus, nos daturos hoc loco notitiam aliquam de mensuris et ponderibus Romanorum ad nostras nuperas accommodatis. Jam de monetis locuti sumus (vid. sat. IV, v. 26). At

breve corporis hujus notarum spatium nos vetat ea omnia commode hic inserere. Quamobrem tabulas calculatorias de mensuris et ponderibus ad calcem voluminis rejecimus, quæ ab amico nostro domino Johanne Francisco Grangæo (*Desgranges*), mathematicarum professore; inter notitiæ temporum ratiocinatores uno, item, ex Academia Celtica, ex systemate doctissimi Pauctonii, fuerunt concinnatæ, et in recentiore ordinem redactæ : has vide si placet. Id solum animadvertendum est, scil. in omni computatione, *assem* esse unitatem : ita, in mensuris linearibus *as* vocatur *pes*, nostræ veteris mensuræ 11 *pouces* 415, nuperæ, 0 *metre*, 309. 0018 : idem de mensuris itinerariis : in mensuris gromaticis, *as* vocatur *jugerum*, nostræ veteris mens. 0 *arpent*, 538, nuperæ, 27 *ares*, 476 : in mensuris capacitatis ad solida pertinentibus, *as* vocatur *sextarius*, nostræ vet. mens. 0 *pinte*, 6453, nuperæ, 0 *litre*, 6009. 7950 : idem de li-

præcedentis propositionis, et sic oratio fluat : *pater ergo solos felices avaros credit*. Porro, *qui mirantur opes*, hi juvenes hortantur, etc. repetens deinde sermonem auctor, v. 123, ait : *sunt quædam elementa vitiorum : his protinus illos pater imbuit, etc.* et hæc ratio interpretandi non adeo nobis dura videtur. Vet. schol. et recentiores editores : *qui miratur opes. . . putat. . . hortatur*; ut sit sensus : *pater ergo solos felices credit avaros, qui, pater, miratur opes, juvenes hortatur, etc.* non male quoque, et forte congruentius; sed lectionem codicum nostrorum retinimus.

Ipse quoque esuriens : neque enim omnia sustinet unquam

Mucida cærulei panis consumere frusta ,

Hesternum solitus medio servare minuta

Septembri, nec non differre in tempora cœnæ 130

Alterius conchem æstivam cum parte lacerti

Signatam, vel dimidio putrique siluro,

quidis : in ponderibus vero, *as* vocatur *libra*, *pondo*, *medimnus Italicus*, vet. mens. o *livre*, 6312, nuperæ, 333 *grammes*, 503. Hoc autem loco, *modius* mensura capacitatis ad solida pertinens, continet *sextarios XVI*, nostræ vet. mens. o *boisseau*, 7744, nuperæ, 9 *litres*, 6156. De cæteris, vid. ut jam diximus, ad calcem vol. A.

127. *Neque enim . . . sustinet.* ] Non sibi satis imperare potest, ut consumet frusta mucida panis cærulei, quæ in alium diem servavit.

128. *Mucida.* ] Quæ per vetustatem mucorem contraxere.

129. *Minuta.* ] Condimentum e variis cibis minutatim concisis (ap. Isidor. ex pisce, oleo, ficis et oleribus); unde *varium* dicitur Martial. XI, 32, 11.

130. *Septembri.* ] Quo mense Romæ flagrantissimus æstus pestilensque sævit, adeoque opsonia citius corrumpuntur.

131. *Conchem.* ] Est *fabæ cum cortice elixa*, ad discrimen *fabæ fressæ*, quæ sine cortice coquitur. — *Æstivam*, et propterea duriorrem quàm quæ primo veris tempore nascitur. De *conche*, vide sup. sat. III, 293. — *Signatam*. Inclusam et sigillo munitam adversus fraudem et gulam servorum. — *Cum parte lacerti*. Lacerti meminit quoque Mart. lib. VII, ep. 77, eumque cum *conche* conjunxit :

Cum saxetani ponatur cauda lacerti,  
Et bene si cœnas, conchis inuncta  
tibi est.

Hic, lacertus est piscis, qui Gallis dicitur *maquereau*. Ille piscis non adeo vilis est apud nos. A.

132. *Silurus.* ] Piscis Nili nullius pretii, de quo sup. sat. IV, 33. *Silurum* eundem esse ac *sturgeonem* suspicabatur Harduinus ex Plin. lib. IX, 15. At Salmasius recte judicat, hoc loco, ubi

V. 127. *Neque enim omnia sustinet unquam.* Ex vet. schol. nota, « id est, « omnia sustinet: duò negativa confirmativum faciunt », videtur eum prius legisse :

. . . . . neque enim non sustinet unquam  
\*Omnia cærulei panis consumere frusta ;

quæ lectio reipsa sermonis legibus aptior esset.

V. 131. *Conchem æstivam.* Permulti codd. *concham æstivi*.

Filaeque sectivi numerata includere porri.  
 Invitatus ad hæc aliquis de ponte negabit.  
 Sed quo divitias hæc per tormenta coactas, 135  
 Cùm furor haud dubius, cùm sit manifesta phrenesis,  
 Ut locuples moriaris, egenti vivere fato?  
 Interea pleno cùm turget sacculus ore,  
 Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit;  
 Et minus hanc optat, qui non habet. Ergo paratur 140  
 Altera villa tibi, cùm rus non sufficit unum;  
 Et proferre libet fines, majorque videtur,

avaritiæ singulis fere verbis vivida imago adumbratur, non agi de tam magnis piscibus; cùm illud minime mirandum esset, si de ingenti pisce pars dimidia in alteram cœnam servaretur; sed potius de exiguo et vili, nobis forsitan ignoto, unde vis satirica et avaritiæ deformitas augetur. A.

133. *Filaeque... numerata.* ] Facete, ne quis servorum vel unum subripere possit. — *Sectivi... porri.* Sectivum porrum, Gallis *de la ciboule*. Idem fit capitatum, *κεφαλωτὸν πρᾶσον*, ubi translatum est.

134. *Aliquis de ponte.* ] Mendiculus, qui in pontibus stipem colligere solet. Vid. sup. IV, 116, V, 8. — *Negabit.* Recusabit ire. — *Ad hæc.* Ferula, opsonia.

135. *Hæc per tormenta coactas.* ] Per tot labores et sudores congestas.

136. *Cùm sit manifesta phrenesis.* ] Horat. sat. I, 1, 70 :  
 Danda est ellebori multo pars maxima  
 avaris.

137. *Egenti vivere fato.* ] Fatali egestate temetipsum excruciare. Querolus Plauti :

Omnem ætatem exosus agito, funus ut  
 lautum pares.

139. *Crescit amor nummi.* ] Horat. od. II, 2, comparat avarum hydrophi :

Crescit indulgens sibi dirus hydrops,  
 Nec sitim pellit, nisi causa morbi  
 Fugerit venis, et aquosus albo  
 Corpore langor.

140. *Ergo paratur.* ] Confer Horat. lib. II, od. 18, 23, et sat. I, 120, II, 8, 9. Ovid. Art. Am. I. 349 :

Creverunt et opes, et opum furiosa  
 cupido :

Et cùm possideant plurima, plura  
 petunt.

142. *Majorque videtur.* ] Horat. lib. I, sat. 1 :

Quòdque aliena capella gerat distentius  
 uber,  
 Tabescat. . . . .

V. 137. *Egenti vivere fato.* Vet. schol. et tres codd. *egentis vivere fato*, eodem sensu.

Et melior vicina seges. Mercaris et hanc, et  
Arbusta, et densâ montem qui canet olivâ.

Quorum si pretio dominus non vincitur ullo, 145

Nocte boves macri, lassoque famelica collo  
Jumenta ad virides hujus mittuntur aristas;  
Nec prius inde domum, quàm tota novalia sævos  
In ventres abeant, ut credas falcibus actum.

Dicere vix possis, quàm multi talia plorent, 150

Et quot venales injuria fecerit agros.

Sed qui sermones? quàm fœdæ buccina famæ!

144. *Canet olivâ.*] Floribus olivarum albescit: exquisite, pro iis consitus est.

145. *Quorum si pretio dominus, etc.*] Si nullo pretio potest adduci, ut agrum suum vendat, fraude et injuria cogetur.

146. *Nocte boves macri.*] Epithetorum vi augetur avari imago. Quidquid enim ejus est, eamdem maciem tabemque præ se fert. *Boves macri, famelica jumenta, lasso collo*, præ nimio labore, et infra sævos ventres. A.

147. *Jumenta ad virides hujus, etc.*] Immissa noctu a vicino potente et avido segetem depascuntur et devastant: unde illius dominus redactus ad paupertatem, et injuriis continuis lacesitus agrum suum vendere cogatur.

148. *Novalia.*] *Novale*, proprie

solum quod alternis annis seritur; hoc loco, quivis ager, ut Virg. eclog. I, 71. — *Sævos in ventres abeant.* Nempe devorata a jumentis et pecoribus famelicis, quos fames exasperat. Similiter Horat. sat. II, 8, 5, *iratum ventrem.*

149. *Actum.*] Non aliter ac si ager falcibus succisus fuisset.

150. *Dicere vix possis, etc.*] Quàm multi possessores injuriis talibus lacesiti suos agros vili pretio concedere fuerint coacti, ut talia vitarent. Cæterum, ex hoc loco, suspicari possis minimam, vel potius nullam fuisse civilem disciplinam, agrorum respectu: nam in urbibus *politiam* viguisse quamdam sub prætoribus et ædilibus minime dubium est. A.

152. *Sed qui sermones?*] Quàm mala fama est avari. Objectio poëtæ, cui respondet avarus v. seq.

V. 147. *Mittuntur.* Lectionem codd. nostrorum revocavi. Quidam habent, *mittentur.*

V. 152. *Quàm fœdæ.* Quidam inter nostros codd. habent, *quæ fœdæ*, eodem sensu.

Quid nocet hoc? inquit. Tunicam mihi malo lupini,  
 Quàm si me toto laudet vicinia pago  
 Exigui ruris paucissima farra secantem. 155  
 Scilicet et morbis et debilitate carebis,  
 Et luctum et curam effugies, et tempora vitæ  
 Longa tibi post hæc fato meliore dabuntur,  
 Si tantum culti solus possederis agri,  
 Quantum sub Tatio populus Romanus arabat. 160  
 Mox etiam fractis ætate, ac Punica passis  
 Prælia, vel Pyrrhum immanem, gladiosque Molossos,  
 Tandem pro multis vix jugera bina dabantur

153. *Quid nocet hoc.*] Avari responsio: Horat. sat. I, 1, 66.

...populus me sibilat; at mihi plaudo  
 Ipse domi, simul ac nummos contem-  
 plor in arca.

— *Tunicam.* Ego pluris facio, vel vilissimi leguminis putamen, quàm laudes totius viciniæ, si pauper esse cogar. — *Tunicam lupini.* Folliculum fabæ. Hoc loco, pro re vilissima.

154. *Laudet vicinia.*] Ordo est: Quàm si vicinia laudet toto pago me secantem, etc. — *Pago.* A πηγών, Dorice παγών dicitur, quòd prope fontes, ut adaquatio esset facilius, extrui villæ solebant. Turneb. lib. II, cap. 3.

156. *Scilicet et morbis.*] Amara irrisio poëtæ. Scilicet, inquit, cum pecunia abundaveris, et te fugient curæ morbi que: post hæc, fueris et beatioris vitæ, et longioris, atque mortem arcebis.

160. *Sub Tatio.* Tatius dux Sa-

binorum cum Romulo icto fœdere receptus in urbem imperium consociavit.

161. *Mox etiam fractis ætate.*] Egregia priscae simplicitatis atque frugalitatis imago. Vid. sup. ad. XI, 77, seqq. — *Mox.* Post tempora Tatii et Romuli. — *Fractis ætate.* Militibus Romanis ætate fractis et militiâ consumptis, et Annibalem, Pyrrhum, eorumque prælia passis.

162. *Pyrrhum immanem.*] Regem illum bellicosum adeo indomitumque, ut ne victus quidem posset quiescere. — *Gladiosque Molossos.* Epiroticos, pro bellis cum Pyrrho gestis.

163. *Vix jugera bina dabantur.*] *Bina jugera a Romulo primum divisa viritim.* Varro. R. Rust. I, 10. *Bina tunc jugera populo Romano satis erant, nullique majorem modum attribuit (Romulus) quo servos paulò ante principis Neronis,*

V. 153. *Hoc.* Restitui ex nostris codd. Vet. schol. hæc. — *Item. Lupini,* pro *lupinæ*, quæ est lectio vet. schol.

Vulneribus : merces ea sanguinis atque laboris  
 Nullis visa unquam meritis minor , aut ingratae 165  
 Curta fides patriæ. Saturabat glebula talis  
 Patrem ipsum , turbamque casæ , quâ feta jacebat  
 Uxor , et infantes ludebant quatuor , unus  
 Vernula , tres domini : sed magnis fratribus horum  
 A scrobe , vel sulco redeuntibus altera cœna 170  
 Amplior , et grandes fumabant pultibus ollæ.  
 Nunc modus hic agri nostro non sufficit horto.  
 Inde fere scelerum causæ : nec plura venena  
 Miscuit , aut ferro grassatur sæpius ullum  
 Humanæ mentis vitium , quàm sæva cupido 175  
 Indomiti censûs : nam dives qui fieri vult ,

*contemptis hujus spatii viridarius , piscinas juvat habere majores ; gratumque , si non aliquem et culinas.* Plin. XVIII , 2.

166. *Curta fides patriæ.*] Nemini ingrata et nimis parca videbatur patria , quæ hanc mercedem tantis constituebat meritis. — *Saturabat glebula talis.* Talis agellus saturabat patrem familias , et eos qui in ejus casâ erant — *Glebula.* Ad indicandam agelli exiguitatem.

167. *Casæ.*] Romanorum ædes priscis temporibus nonnisi casæ erant.

169. *Vernula.*] Ex ancilla natus. — *Tres domini.* Filii familias , heri minores , vel olim domini futuri.

170. *A scrobe , vel sulco.*] A fodiendo , vel arando. — *Altera cœna amplior.* Quippe quæ paratur et apponitur fratribus adultis , et a rustico opere redeuntibus.

171. *Et grandes fumabant pultibus ollæ.*] Similiter Pers. III , 55.  
 . . . . . Detonsa juventus  
 Invigilat siliquis , et grandi pasta polenta.

— *Pultibus.* Vid. sat. VII , 185.

172. *Nunc modus hic agri , etc.*] Nunc horti sunt ampliores quàm olim agri. Vid. Plin. loco sup. citato , ad v. 163.

173. *Inde fere scelerum causæ.*] D. Paulus ad Timoth. cap. ult. ἐπιλαργυρία ῥίζα παντῶν τῶν κακῶν , et

V. 164. *Merces ea.* Sic omnes nostri codd. Quidam hæc. Sed parum distat.

V. 165. *Aut ingratae.* Codd. XX , *haud ingratae* : minus bene.

V. 176. *Indomiti censûs.* Codd. X habent , *immodici censûs* , cæteri omnes *indomiti* : quæ lectio doctior est , et certe non glossam redolet : in eo enim sensu , dixit Plin. XVII , 10 , *indomita prela* .

Et cito vult fieri : sed quæ reverentia legum ,  
 Quis metus , aut pudor est unquam properantis avari ?  
 Vivite contenti casulis et collibus istis ,  
 O pueri ! Marsus dicebat et Hernicus olim , 180  
 Vestinusque senex ; panem quæramus aratro ,  
 Qui satis est mensis : laudant hoc numina ruris ,  
 Quorum ope et auxilio , gratæ post munus aristæ ,  
 Contingunt homini veteris fastidia quercûs .  
 Nil vetitum fecisse volet , quem non pudet alto 185

Claudian. de laudibus Stilicon. lib. II, v. 111 :

Ac primam scelerum matrem , quæ semper habendo

Plus sitiens , patulis rimatur faucibus aurum .

178. *Properantis avari.* ] Qui vult cito dives fieri .

179. *Vivite contenti casulis , etc.* ] Egregius ille sermo , qui sequitur , cum delectu Marso , Hernico ac Vestino patri tribuitur : nam illæ gentes laboribus bellisque semper asperæ ; immo morum suorum sanctitate celebres fuere . Vid. sup. sat. III , 169 , VI , 164 , et Heyn. ad Virg. Georg. II , 167. seqq.

180. *Marsus . . . et Hernicus . . . Vestinusque.* ] Antiqui populi Italiæ . — *Marsus.* Marsi Italiæ populi sub Samnitibus ; hodie , *il ducato de Marsi.* — *Hernicus.* Latii populus , vetus colonia Pelasgorum , ab Hernico duce nuncupatus .

181. *Vestinusque.* ] Ea gens Sam-

nitibus proxima , quorum urbs hodie *Aquila.*

182. *Qui satis est mensis.* ] Qui victui tolerando sufficit. — *Laudant hoc numina ruris.* Liber et Ceres , quorum

. . . . . munere tellus Chaoniam pingui glandem mutavit aristâ .

Virg. Georg. I , 7 et 8 .

183. *Quorum ope.* ] Ovid. Fast. I , 675 , de Cerere et Terra :

Consortes operum , per quas correcta vetustas

Quænaque glans victa est utiliore cibo .

184. *Contingunt homini , etc.* ] Quorum ope homines jam meliore usi alimento , e quercuglandes , quibus antea vescebantur , fastidire cœperunt .

185. *Nil vetitum fecisse volet.* ] Hoc est , homo frugalis , qui in vestitu non ornatûs , sed usûs , quem præstat , rationem habet , nihil faciet quod nefas sit .

V. 182. *Qui satis est , etc.* Male codd. quidam , *quis satis est , etc.*

V. 184. *Contingunt homini.* Codd. XXX habent , *contingunt homines* , non male quoque , ut verbi *contingunt* significatio sit activa .



Per glaciem perone tegi, qui submovet Euros  
 Pellibus inversis. Peregrina ignotaque nobis  
 Ad scelus atque nefas, quæcunque est, purpura ducit.  
 Hæc illi veteres præcepta minoribus : at nunc  
 Post finem autumnî mediâ de nocte supinum 190  
 Clamosus juvenem pater excitat : Accipe ceras,  
 Scribe, puer, vigila, causas age, perlege rubras  
 Majorum leges, aut vitem posce libello.  
 Sed caput intactum buxo, naresque pilosas

186. *Perone.*] Calceo e corio crudo. Vett. gloss. *Calceamentum pilosum, cujus erat usus tempore hyberno.* Vid. ad Pers. Sat. V, v. 90. — *Qui submovet Euros.* Vim ventorum arcet, aërisque injuriam.

187. *Pellibus inversis.*] Quæ introrsum pilos habent. Villosis vestibus uti, quæ æstate pilos extrorsum, hyeme introrsum habeant, et primus et antiquissimus mos est, quiquidem hodie etiam apud recentiores viget populos, scilicet, Polonos, Hungaros, Turcas, etc. A.

188. *Quæcunque est.*] Bene *Quæcunque* : nam ipse Marsus quæ sit purpura ignorat. — *Purpura.* Et cum ea luxum et scelerum omne genus. Tibull. lib. II, eleg. 6 :

O pereat! quicumque legit viridesque smaragdos,

Et niveam Tyrio murice tingit ovem.  
 Hic dat avaritiæ causas, et Coa puellis  
 Vestis, et a rubro lucida concha mari.

190. *Post finem autumnî.*] Hoc tempore, antelucanam lucubrationem incipiebant Romani. — *Supinum.* In lecto dormientem.

191. *Rubras.... leges.*] Nam Romani leges integras reliquorumque librorum titulos *rubrica* (hinc plerumque *rubrica*, pro legibus ipsis),  $\mu\lambda\tau\omega$ , minio, vel  $\kappa\eta\rho\delta\ \mu\epsilon\text{-}\mu\lambda\tau\omega\mu\acute{\epsilon}\nu\omega$ , cerâ miniatâ pingebant: qui mos etiam usque ad initium typographiæ stetit, ut videre est in veteribus MSS. necnon *principibus* editionibus, quorum tituli et majusculæ litteræ minio, cerussâ, aliove colore, sed præcipuè rubro, cum figuris auro depictis scripti fuerunt. In libris autem legum, textus legis erat rubro colore exaratus, commentarius et glossæ nigro; unde, hoc loco, *leges rubras.* A.

193. *Vitem posce.*] Centuriatum: nam, *vitis* erat centurionum insigne, qui milites eâ castigabant. Spartian. in Hadriano: *Nulli vitem, nisi robusto et bonæ famæ dedit.* — *Posce libello.* Supplice, Gall. *par un placet*; non ut antea per virtutem. Honores militares ab Imperatoribus *peti*, et per gratiam dari solebant; quod queritur Vegetius lib. II, 3.

194. *Sed caput intactum buxo.*] Exhibe te incultum et negligens-

Adnotet, et grandes miretur Lælius alas.

195

Dirue Maurorum attegias, castella Brigantum,

Ut locupletem aquilam tibi sexagesimus annus

Afferat: aut longos castrorum ferre labores

tem, circa cultum corporis, ac pilosum, ut strenuus idoneusque militiæ habearis. Theophr. Char. XIX, περι δυσχερείας, §. 2: τὰς μασχάλας θηριώδεις και δασείας (hoc loco *alas grandes*) ἔχειν ἄχρις ἐπὶ πολὺ τῶν πλεονῶν, ubi Casaubon. « multi, inquit, Athenienses, « quo magis viri fortes viderentur, et ab omni mollitie alieni, studuerunt hirsuti esse « sub axillis: nam cum in concionem venerant, in suffragiis ferendis, partem illam denudabant, ut posset ab omnibus, « postquam manum vel brachium « sustulerant, conspici, etc. » Item apud Romanos, qui centurionatum, tribunatum, etc., ambiebant, et cultus neglecto, et externo habitu gloriam virorum militarium affectabant. — *Buxo*. Pectine huxeo. — *Naresque pilosas*. Quæ mollibus depilantur. Ovid. Am. II:

Inque cava nullus stet tibi nare pilus.  
Contra qui naribus pilosi erant,  
fortes habebantur.

195. *Et grandes... alas*.] Grandibus pilis hirsutas, quod est virilitatis indicium.—*Lælius*. Pro quovis duce.

196. *Attegias*.] Casas, vel mappalia, quæ sunt tuguria Nomadum plaustis imposita. Vetus inscriptio erat in monte Vogeso:

DEO. MERCVRIO. ATTEGIAM  
TECVLITIAM. COMPOSITAM. SEVERINVS

SATVLLINVS. C. P. EX. VOTO  
POSVIT. L. L. M.

—*Castella Brigantum*. *Brigantes* populi Albionis insulæ numerosissimi, quorum regina fuit Cartimandua olim clarissima. (Tacit. Ann. XII, 32. Hist. III, 45, et in vit. Agric. c. 17.) — *Castella Brig.* Caput gentis, Eboracum, hodie *Yorck*. Cave ne, ex auctoritate vet. schol. eos permisceas cum Brigantiis populis Galliæ in Viennensi IV, quorum oppidum erat Brigantium (*Briançon*): nam, Juvenalis temporibus, et multo ante, provincia erat omnis Gallia; nec ulla fuit tunc causa, cur Romani in eam arma ferrent. A.

197. *Locupletem aquilam*.] *Primpilatam*, qui absolute dicitur *aquila*. Apud Plin. lib. XIV, cap. 1. *Centurionum in manu vitis, et opimo præmio tardos ordines ad lentas perducit aquilas*. Quare autem *primpilatus aquila* dicatur, ea ratio est, quod pili primi Centurio aquilam servaret. — *Locupletem*. Nam hujus Centurionis dignitas admodum quæstiosa erat, eumque ad censum equestrem provehabat: quod recte probat Just. Lips. de Milit. II, dialog. 8. — *Sexagesimus annus*. Hyperbolice hæc (nam, post quinquagesimum annum nemo arma ferre cogebatur); sed ad notandam præmiorum tarditatem.

Si piget, et trepido solvunt tibi cornua ventrem  
 Cum lituis audita, pares, quod vendere possis 200  
 Pluris dimidio, nec te fastidia mercis  
 Ullius subeant ablegandæ Tiberim ultra :  
 Neu credas ponendum aliquid discriminis inter  
 Unguenta et corium. Lucri bonus est odor ex re  
 Qualibet. Illa tuo sententia semper in ore 205  
 Versetur, Dis atque ipso Jove digna, poëtæ :  
 Unde habeas, quærit nemo; sed oportet habere.  
 Hoc monstrant vetulæ pueris poscentibus assem :

199. *Solvunt tibi cornua ventrem.*] Aut si bellorum horror, ac periculi metus tibi laxat ventrem, id est, adeo deterret; mercaturam exerce. Cur autem metu venter solvatur, vid. Macrobi. VII, 11 et A Gell. XIX, 4.

200. *Cum lituis cornua.*] Instrumenta bellica, quibus viri ad bellum accenduntur. — *Pares.* Eme, quod plus dimidio vendere possis.

201. *Nec te fastidia mercis.*] Neque ullum mercis genus fastidias; et, modo fructuosæ sint ac quæstuosæ merces, nil cura, an sint fœtidæ, necne.

202. *Ablegandæ Tiberim ultra.*] Scilicet, in transtiberina regione exercebantur opera sordida, ut excoriationes, sulphurata, etc.

204. *Lucri bonus est odor.*] Omnibus notum illud Vespasiani dicerium Tito filio suo vituperanti, quod etiam urinæ vectigal com-

mentus esset. Ad id, sine dubio, alludit poëta, et principis avaritiam obiter tangit.

205. *Illa tuo sententia, etc.*] Dicitur εἰρωνικῶς illa sententia Diis atque Jove ipso digna.

206. *Poëtæ.*] Ennii scilicet, sumpta a Bellerophonte Euripidis, qui hoc pariter ironice dixit.

207. *Unde habeas.*] Opes, divitias. Habere, ut τὸ ἔχειν absolute, pro divitem esse.

208. *Vetulæ poscentibus assem.*] Hoc est, pravum hoc avaritiæ studium vetulæ monstrant pueris, jam tum, cum crepundia duntaxat amant, et ad ea emenda assem rogant. Hæc explicatio optime venit ad ea, quæ jam vidimus, sat. V, v. 144, *assemque rogatus.* At, quidam, præeunte vet. schol. legunt:

Hæc monstrant vetulæ pueris repenti-  
 bus assæ,

et per *vetulas assas* intelligunt

V. 199. *Trepido.* Hanc lectionem revocavi ex omnibus codd. et edd. priscis, utpote quæ doctior est. Vet. schol. *trepidum... ventrem.*

V. 208. *Vetulæ poscentibus assem.* Vid. sup. comment.

Hoc discunt omnes ante alpha et bêta puellæ.  
 Talibus instantem monitis quemcumque parentem 210  
 Sic possum affari : Dic, ô vanissime ! quis te  
 Festinare jubet ? meliorem præsto magistro  
 Discipulum. Securus abi : vinceris, ut Ajax  
 Præteriit Telamonem, ut Pelea vicit Achilles.  
 Parcendum est teneris : nondum implevêre medullas  
 Naturæ mala nequitia. Cùm pectere barbam 216  
 Cœperit, et longi mucronem admittere cultri,

quidam, ut Carrio emendat. II, 9, nutrices, quæ semper *assunt*, vel *adsunt* pueris repentibus. At melius, nostro iudicio, vetus schol. « *assa* dicitur meretrix sicca et vestusta, quæ lac non præbet infantibus, sed solum diligentiam et munditiam adhibet. » Nihilominus primæ lectioni et interpretationi arrisimus; utpote quæ codicum plerorumque auctoritate firmarentur; quæque nobis simpliciores viderentur, et iis supra memoratis accommodatiores. A.

209. *Ante alpha et bêta.* ] Priusquam litterarum elementa prima discant.

211. *Quis te festinare jubet ?* ] Filium ad avaritiam urgere et instigare ?

212. *Præsto.* ] Spondeo, promitto eum brevi futurum doctiorem, quàm te ipsum magistrum : nam, ut ait ignotus poëta, ap. Cic. lib. IX, epist. 7,

Πολλοὶ μαθηταὶ κρείττους διδασκάλων.

213. *Vinceris.* ] Improbitate et avaritia superabit te filius tuus, ut virtute bellica Ajax Telamonem, et Peleum Achilles vice-runt. — *Ajax.* De eo sup. sat. VII, 115.

214. *Achilles.* ] Satis famâ super æthera notus.

215. *Parcendum est teneris.* ] Salse hæc poëta. Exspecta, dum puer adoleverit; videbis cum ætate crevisse nequitiam. — *Nondum implevere medullas.* Penitus in teneros, simplices et adhuc *naturæ* deditos penetraverunt eorum animos; nondum venis medullisque infixa hærent *mala nequitia*, scelerum omnium principia, semina.

216. *Cum pectere barbam.* ] Curare.

217. *Et longi mucronem admittere cultri.* ] Et novaculam ton-

V. 216. *Naturæ mala nequitia.* Antiquissimi et optimi codd. habent ita; quod non improbabat Schurzfleischius, ut *medulla naturæ*, maxima dicatur *κακότης*. Eandem lectionem *naturæ* quidam editores mutant in *nativæ*: sed, inquit Henninius, legendum *maturæ* sensus commonstrat; et eum secuti sunt recentiores editores, sine alia auctoritate. Vet. schol. legit, *naturæ mala, nequitia est*; quod minus commode etiam potest explicari.

Falsus erit testis, vendet perjuriam summam  
 Exiguam, Cereris tangens aramque pedemque.  
 Elatam jam crede nurum, si limina vestra 220  
 Mortifera cum dote subit. Quibus illa premetur  
 Per somnum digitis! Nam quæ terræque marique  
 Acquirenda putas, brevior via conferet illi:  
 Nullus enim magni sceleris labor. Hæc ego nunquam  
 Mandavi, dices olim, nec talia suasi. 225  
 Mentis causa malæ tamen est, et origo penes te:

dendi causam admittere, hoc dictum, pro *adolescere*.

218. *Vendet perjuriam.*] Pro exiguo pretio pejerabit.

219. *Cereris.*] Pro quocumque numine, et quidem sanctissimo. — *Tangens aramque pedemque.* Jurantes et precantes tangebant aram, vid. III, 145, XIII, 89, vel pedes, vel genua Deorum, ut apud Suet. Tib. 27, et Ovid. Metam. XIII, 585.

220. *Elatam.*] Mortuam et sepultam. — *Efferre.* Verbum funebre. Vid. sup. I, 72. — *Si limina vestra... subit.* Domum tuam ingreditur; ita, ut vix limen tangat: qui mos novis nuptis erat, cum sponsi ædes ingrederentur. Brisson. de ritu nuptiarum.

221. *Mortifera.*] Magna dote, quæ est causa mortis. — *Quibus... digitis.* Quam scelestis manibus illam suffocabit! Hæc cum indignatione dicta. Quidam eadem cum interrogationis signo ita explicant: quibusnam aliis digitis, quam mariti sui, qui tuus est filius, *premetur*, suffocabitur? Nec mihi arripet interpretatio eorum, qui hæc intelligunt de

digitis, aconito infectis, de quibus Plin. lib. XXVII, 2: *constat omnium venenorum ocysimum esse aconitum, et tactis quoque genitalibus feminini sexus animalium eodem die inferre mortem. Hoc fuit venenum, quo interemptas dormientes a Calpurnio Bestia uxores M. Cæcilius accusator objecit: hinc illa atrox peroratio ejus in digitum. A.*

222. *Nam quæ, etc.*] Sibi facilius actu divitias parabit; nec illi opus erit maria et terras exantlare.

224. *Nullus enim magni sceleris labor.*] Facinus ingens, ubi questuosum, facile perpetratur. — *Hæc ego nunquam.* Excusatio patris, quam statim refellit poeta.

225. *Talia.*] Veneficia, cædem, parricidium.

226. *Mentis causa malæ.*] Hanc phrasim, a versu isto, usque ad vers. 230, nullus, quod sciam, interpretum penitus intellexit; et propter vers. 229, *et qui per fraudes, etc.*, alii finxerunt ambages; versum eundem, alii veluti nothum, ex suis exemplaribus sustulerunt. Atqui, nec inelegans, nec præcedentibus,

Nam quisquis magni censûs præcepit amorem ,  
 Et lævo monitu pueros producit avaros ,  
 Et qui per fraudes patrimonia conduplicare  
 Dat libertatem , totas effundit habenas 230  
 Curriculo ; quem si revoces , subsistere nescit ,  
 Et , te contempto , rapitur , metisque relictis .  
 Nemo satis credit tantum delinquere , quantum  
 Permittas : adeo indulgent sibi latius ipsi !  
 Cùm dicis juveni , stultum , qui donet amico , 235

*modio castigat iniquo*, 126 et seqq. inconueniens est versus ille: præterea, apud omnes fere legitur codd. nec tantum obstat sensui percipiendo, quantum sibi, nobisque volunt persuadere. Sed ad interpretationem veniamus. Pater ait: *hæc ego nunquam mandavi, nec talia suasi*. Ad quæ graviter respondet poëta: *mentis causa malæ est, et origo penes te*, tui nati scelerum causa sola es. Quod hoc probat argumento: *nam quisquis magni censûs præcepit amorem*, quisquis lævo monitu, pueros producit avaros, quisquis, per fraudes (hic non de perjurio, cæde, parricidio; sed de levioribus fraudibus supra v. 126, et seqq. memoratis, quæ etsi leves videntur, nihilominus gradatim ad majora ducunt facinora), quisquis, inquit, per fraudes patrimonia conduplicare dat libertatem, sinit, permittit, non vetat, is ductor imprudens, totas effundit habenas curriculo, filium suum temere in omne nefas dat præcipitem; quem postea, si revo-

care velit, ille (filius) subsistere nescit, etc.: ergo, pater est tantorum causarum malorum. Nullus, existimo ex lectoribus, qui argumenti et gravitatem, et seriem, et gradationem egregiam non percipiat. A.

231. *Quem.*] Docte et Græce, pro quod: nam, sub *curriculi* metaphora ad filium respicit. — *Revoces*. Post sententiam generalem *quisquis*, etc. ad patrem subito, sine ullo transitu, sermonem convertit; quæ figura magnis affectibus est propria. A.

232. *Te.*] Patre, ductore, magistro. — *Metisque relictis*. Equis indomitæ adeo ruentibus, ut metas cursu prætereant, nec circum eas flecti se patiantur. Simili ratione, animus in avaritiam præceps fines et modum transit.

233. *Nemo satis credit, etc.*] Duobus his versibus egregie natura hominis adumbratur. Homo, inquit, (adeo latius sibi indulgent homines!) nunquam concessis contentus ultra metas semper tendit.

235. *Cùm dicis juveni, etc.*] Cùm

Qui paupertatem levet, attollatque propinqui;  
 Et spoliare doces, et circumscribere, et omni  
 Crimine divitias acquirere, quarum amor in te,  
 Quantus erat patriæ Deciorum in pectore, quantum  
 Dilexit Thebas, si Græcia vera, Menæceus; 240  
 In quorum sulcis legiones dentibus anguis  
 Cum clypeis nascuntur, et horrida bella capessunt  
 Continuo, tanquam et tubicen surrexerit una.  
 Ergo ignem, cujus scintillas ipse dedisti,  
 Flagramentem et late, et rapientem cuncta videbis. 245

stultum esse dicis eum, qui aliis bene faciat; doces filium etiam male facere, sibi que divitias quoquo modo parare.

236. *Levet, attollatque.*] Paupertatem *levare, attollere*, ut contra *paupertate premi, urgeri, gravari*. Metaph. ab onere petita.

237. *Circumscribere.*] Decipere, fraudare. Vid. sup. ad X, 222.

239. *Deciorum.*] Sat. VIII, 254.

240. *Si Græcia vera.*] Si Græci scriptores vera nobis tradidere; nec potius hoc commenti sunt, ut ea quæ finxerunt de fabulosâ origine Thebarum. — *Menæceus*. Creontis Thebani principis filius, ultimus e Cadmæa gente se Marti devovit, ut, secundum Tiresiæ vaticinium, patriam liberaret ab Argivis Thebas obsidentibus. Vid. Euripid. Phœniss. v. 841. Stat. Theb. X, 589., et alios.

241. *In quorum sulcis.*] Poëta, qui Græcos oderat, ridens et satirice versus 241 — 243 adjun-

xit cæteris; ut innueret, se non majorem Menæcei devotioni habuisse fidem, quàm cæteris eorum commentis de origine urbis: Cæterum, hæc parum faciunt ad caput rei illustrandum. — *Quorum*. Græce et docte dicitur, pro *quarum*, scil. Thebarum. Respicit ad incolas urbis, et nobilius genus accipit, ut *quem* sup. v. 231. — *Legiones*. Ex hac voce manifestum est poëtam Græcorum mendacia ridere voluisse. Historia autem de origine Thebarum vel tironibus nota ex Ovid. *Metam.* III, 1—130. Al. Rup.

243. *Tanquam et tubicen surrexerit una.*] Tam horrido modo tantoque impetu, ut putares unacum iis natos esse tubicines, qui eos ad arma cierent.

244. *Ignem.*] Insatiabilem avaritiam, quæ etiam *ardens* dicitur. Secunda metaphora, qua designatur avaritia. — *Scintillas*. Semina et originem.

V. 241. *In quorum*. Multi codd. *quarum*, scil. Thebarum. Sed antiquissimi et optimi Putean. Fauchet. Senator. Thuan. Alexandr. habent *quorum*. Doctior est nostra lectio.

Nec tibi parcetur misero, trepidumque magistrum  
 In cavea magno fremitu leo tollet alumnus.  
 Nota mathematicis genesis tua : sed grave tardas  
 Exspectare colus : morieris stamine nondum  
 Abrupto. Jam nunc obstas, et vota moraris ; 250  
 Jam torquet juvenem longa et cervina senectus.  
 Ocius Archigenem quære, atque eme, quod Mithridates  
 Composuit, si vis aliam decerpere ficum,  
 Atque alias tractare rosas : medicamen habendum est,  
 Sorbere ante cibum quod debeat aut pater, aut rex. 255

246. *Nec tibi parcetur misero.* ] Filius te ipsum patrem et magistrum interficiet, ut leo nonnunquam magistrum suum. Alludit ad historiam sui temporis, quam refert Mart. de Spect. epig. 12.

247. *In cavea.* ] In theatris et Circo, locus erat tectus receptaculum ferarum, quod dicebatur *cavea*.

248. *Mathematicis.* ] Dicebantur *Mathematici*, qui cujusque fatum prædicebant ; sic : etsi ex mathematicis notus sit vitæ tuæ terminus ; tamen filius tuus non exspectabit adeo tardans fatum. — *Sed grave.* Est filio tuo.

249. *Exspectare (tardas) colus.* ] Mortem tardius ad te venientem. — *Colus.* Stamina, quæ fuis suis Parcæ ducunt.

251. *Cervina senectus.* ] De longa cervorum vitâ, vid. Arist. Hist. An. IX, 6, et Plin. VIII, 32.

252. *Archigenem.* ] Hoc loco, medicum. Vid. Sup. VI, 46, et de Archigene ibid. 236. — *Quod*

*Mithridates composuit.* De antidoto Mithridatis hæc refert Plin. lib. XXIII, cap. 8 : *in sanctariis Mithridatis maximi regis devicti, Cn. Pompeius invenit in peculiari commentario ipsius manu compositionem antidoti, e duabus nucibus siccis ; item, ficis totidem, et rutæ foliis XX simul tritis ; addito salis grano : et qui hoc jejunosumat, nullum venenum nociturum illo die.* Eandem sic describit compositionem *Serenus*, cap. *de venenis* : Bis denum rutæ folium, salis et breve granum Juglandesque duas, totidem cum corpore ficus, Hæc oriente die parco conspersa lyæo Sumebat, metuens dederat quæ pocula tutor.

553. *Si vis aliam decerpere ficum.* ] Alium autumnum videre.

254. *Alias tractare rosas.* ] Aliud ver aspicere, hoc est, annum videre totum. — *Medicamen.* Mithridaticum, antidotum, alexipharmacum.

255. *Aut pater, aut rex.* ] Uter-

V. 255. *Aut pater, aut rex.* Hanc lectionem revocavi ex omnibus codd. et edd. priscis, quibusdam exceptis, apud quos legitur, *et pater et rex.*



Monstro voluptatem egregiam, cui nulla theatra,  
 Nulla æquare queas Prætoris pulpita lauti,  
 Si spectes, quanto capitis discrimine constant  
 Incrementa domûs, ærata multus in arca  
 Fiscus, et ad vigilem ponendi Castora nummi, 260  
 Ex quo Mars Ultor galeam quoque perdidit, et res  
 Non potuit servare suas. Ergo omnia Floræ  
 Et Cereris licet, et Cybeles aulæa relinquo :

que his temporibus sibi metuens esse debet : pater a filiis, rex a subditis perfidis.

256. *Monstro voluptatem.* ] Si vis mecum attendere quantos labores et curas suscipiat avarus ; voluptatem ex hoc spectaculo majorem percipies, quàm quæ ex ludis scenicis capitur.

257. *Prætoris pulpita.* ] Ludi scenici a prætore dati. — *Pulpitum.* Ἀρχαῖον, cathedra, suggestus in proscenio, ubi histriones recitabant. — *Lauti.* Elegantis, divitis. Vid. sup. X, 36, XI, 192.

259. *Incrementa domûs.* ] Locupletatio.

260. *Fiscus.* ] Corbis spartea, vel viminea, in qua pecunia condebatur, vel ipsa pecunia. — *Et ad vigilem ponendi Castora nummi :* Nam non modo fœdera, pactiones et testamenta, sed pecuniæ etiam deponerentur in templis, quæ tuta erant religione Deorum, et potissimum excubiis militum ; unde vigil Castor hoc loco dicitur.

261. *Ex quo Mars Ultor galeam.... perdidit.* ] Antea Romani solebant thesauros condere in foro Martis Ultoris ; sed, ex quo

illi a furibus expilati sunt, et ipsa Dei galea subrepta furto fuit, in æde Castoris eos posuere, et excubias addidere. Poëta respicit ad historiam sui temporis nobis ignotam, e qua occasionem rapit infirmam Deorum suorum potentiam irridendi, et præsertim Martis, quem videtur ironice appellare *Ultorem*, qui ne res quidem suas servare potuit : præterea, in monumentis et nummis passim inscriptum legas,

MARS ULTOR, ET MARTI ULTORI.

A.

262. *Ergo omnia Floræ.* ] Id est, omnia poteris relinquere, spernere *aulæa Floræ*, etc. hoc est, omnia ludorum genera, ex quibus non tantum percipies voluptatis, quantum ex avari laboribus. — *Aulæa Floræ.* Ludi, Florealia sacra, de quib. vid. Ovid. Fast. V, 183.

263. *Et Cereris.* ] Ludos Cereales. Tacit. ann. XV, ad finem, scribit decretum esse, ut Circensium Cerealium ludicrum pluribus equorum cursibus celebraretur. Ovid. Fast. IV, 39 seqq.

Circus erit pompâ celeberrimus Deorum,

Tanto majores humana negotia ludi !  
 An magis oblectant animum jactata petauro . 265  
 Corpora, quique solent rectum descendere funem,  
 Quàm tu Coryciâ semper qui puppe moraris  
 Atque habitas, Coro semper tollendus et Austro,  
 Perditus, a Siculis sacci mercator olentis;

Primaque ventosis palma petetur  
 equis.

Hinc Cereris ludi. — *Cybeles*. Megalesia, diversa a ludis magnis. Ovid. Fast. IV, 179 seqq.

264. *Tanto majores, etc.* ] Adeo negotia et sollicitudines hominum lucri cupidorum sunt majora ludicra, quàm Circus et Circenses !

265. *Jactata petauro corpora.* ] Quàm vecors sit avarorum audacia, docet poëta comparatione eorum cum aliis hominibus, qui non minus quidem audaces sunt, sed ut quærant victum, non ut opibus affluent: unde temeritas illorum justiore habet excusationem. — *Petauro*. De hoc ludi genere non satis constat apud interpretes. Ita Alex. ab Alexandro, lib. III, cap. 21: *fuit quoque petauri ludus admirationis præcipuæ, cum per circulos quispiam veloci cursu transvolat, corpore ita librato, ut circulum non offendat: unde petauristæ ludiones dicti*. Alii dicunt *petaurum* fuisse ligneam machinam, per quam rotarum impulsu corpora jactabantur in aëra. Mart.

Quam rota transmisso toties impacta  
 petauro.

Aliter paulo Manilius rem videtur explicare, lib. V, 438:

Ad numeros etiam ille ciet cognata per  
 artem

Corpora, quæ valido saliunt excussa  
 petauro:

Alternosque cient motus, elatus et ipse  
 Nunc jacet, atque hujus casu suspenditur ille.

Et, ex eo loco, Joseph. Scaliger ait, rotam fuisse quam duo versantes, alter superne, alter infra nitens, vicissim dejecti nunc penderent, nunc erecti sederent. Ex his, apparet hunc ludum accedere ad eum, quem nostri dicunt *bahançoire*. A.

266. *Quique solent... descendere funem.* ] Innuitur funambulus.

267. *Corycia puppe.* ] Cretensi: epitheton ornatûs a mercatura petitum, quam olim Cretenses potissimum faciebant. — *Corycus*, seu Corycum, urbs et mons Cretæ.

268. *Coro.* ] Ventus hic flat ab occasu solstitiali. Hunc Zephyrum et Argestem Græci vocant. Plin. lib. II, cap. 49.

269. *Perditus.* ] Miserrimus. —

V. 269. *Perditus, a Siculis*. Hanc lectionem revocavi ex nostris codd. et edd. prisvis permultis; ea scil. ratione, quòd *saccus olens* sit crocum, quod plurimum in Sicilia, unde et *Sicanium* dicatur, Stat. Sylv. V, 3, 41. Alii legunt: *ac vilis sacci mercator olentis*. Non male quoque.

Qui gaudes pingue antiquæ de littore Cretæ 270  
 Passum, et municipes Jovis advexisse lagenas?  
 Hic tamen ancipiti figens vestigia plantâ  
 Victum illâ mercede parat, brumamque famemque  
 Illâ reste cavet: tu propter mille talenta,  
 Et centum villas temerarius. Aspice portus, 275  
 Et plenum magnis trabibus mare: plus hominum est jam  
 In pelago. Veniet classis, quocumque vocârît  
 Spes lucri, nec Carpathium Gætulaque tantum  
 Aequora transiliet: sed longe Calpe relictâ,  
 Audiet Herculeo stridentem gurgite solem. 280  
 Grande operæ pretium est, ut tenso folle reverti

*Sacci mercator olentis. Aromatibus atque odoribus pleni. Vid. supra var. lect.*

270. *Antiquæ Cretæ.*] Post hominum memoriam habitatæ. — *Creta. Hodie Candie*, magna insula maris mediterranei.

271. *Passum.*] Vinum quod ex uvis *passis* et arefactis conficiebant Cretenses, de quo vid. Plin. XIV, 9, et Mart. XIII, 103. Hoc vinum hodie etiam celebratur et vocatur, *vin de Malvoisie*. — *Municipes Jovis... lagenas.* Creticas, ejusdem patriæ cum Jove, qui in Creta nutritus dicitur: sic *municipes siluros*. sat. IV, 33, et *testa municeps Sibyllæ*, hoc est, *Cumana* ap. Mart XIV, 112. — *Lagenas.* Vino passo repletas.

272. *Hic.*] Scil. funambulus, petaurista. — *Figens vestigia plantæ.* Incerto gradu per funem ambulans.

273. *Brumamque famemque....*

*cavet.*] Sibi parat, quo frigus et famem arceat.

275. *Temerarius.*] Tu, contra, temere te periculis maris et ventorum objicis, propter *mille talenta*, propter avaritiam.

276. *Plus hominum est jam.*] Qui naufragium pertulerunt, quàm qui evaserunt.

278. *Carpathium... æquor.*] Sic dictum ab insula Carpatho (hod. *Scarpanto*) inter Rhodum et Cretam sita. — *Gætula. Libyca.* Libya et Africa horreum pop. Rom.

279. *Calpe.*] Hispaniæ Bæticæ promontorium, hodie *Gibraltar*.

280. *Herculeo... gurgite.*] Gæditanum fretum sic nominat, ultra quod solem se undis mergentem, instar candentis ferri aqua tincti, *stridorem* sonitumque edentem poëtæ passim fingunt.

281. *Tenso folle.*] Marsupio nummis distento, crumenâ plenâ, ut solet follis vento plenus turgere.

Inde domum possis , tumidâque superbus alutâ ,  
 Oceani monstra , et juvenes vidisse marinos.  
 Non unus mentes agitat furor : ille sororis  
 In manibus vultu Eumenidum terretur et igni ; 285  
 Hic , bove percusso , mugire Agamemnona credit ,

282. *Tumidâque superbus alutâ.* ] Hoc sarcastice dictum. Βαλαντίω, sacco argenti pleno.

283. *Oceani monstra.* ] *Ut quis e longinquo revererat,* (navigatores Romani) *miracula narrabant, vim turbinum, et inauditas volucres, monstra maris, ambiguas hominum et belluarum formas.* Tacit. Ann. lib. II, §. 24. — *Juvenes marinos.* Tritonas et Nereïdas. Cæterum de Tritonibus eo magis dubitandum est, quòd, ex innumeris navigantium recentiorum relationibus, unum vix horum monstrorum adhuc vestigium repertum fuit. Attamen, de illis certe existentibus, affirmabant antiqui : unde suspicari possis similitudinem quamdam in aliquibus Oceani piscibus e longinquo visis cum homine, errori multorum ortum dedisse : nam non longe Tritonum descriptio, e Pausania lib. IX, abest a forma Phocarum, *des Phoques ou lions marins*, quales describit Buffon. Hinc, apud populos miraculorum amatores, ut erant Græci Romanique, balenæ, phocæ, aliæque marina animantia pro Sirenibus, Nereidibus et Tritonibus, forsân, ut Lapones aliique Scythiæ parvæ staturæ populi, pro Pygmæis habitæ sunt. A.

284. *Non unus mentes agitat furor.* ] Varia sunt insanix genera, inter quæ avaritia potissimum referenda. Vid. Horat. sat. II, 3, 77. — *Ille.* Orestes a Furiis vultu terribili et igni, facibus, terretur in manibus ipsius sororis. Hunc autem Euripidis locum, Orest. v. 260, in animo habuisse, videtur poëta :

## O R E S T E S.

Ω Φοῖβε' ἀποκτενοῦσί μ' αἱ κυνώπι-  
 δες  
 Γοργῶπες, ἐνέρων ἰέραι, δειναὶ  
 θεαί.

## E L E C T R A.

Οὐ τοι μεθήσω, χεῖρα δ' ἐμπλέξασ'  
 ἐμὴν,  
 Σχήσω σε πηδᾶν δυσυχῆ πηδήματα.

## O R E S T E S.

Μέθεις, μί' οὔσα τῶν ἐμῶν Ἐρινύων,  
 Μέσον μ' ὀχμαῖεις, ὡς βάλτης εἰς Τάρ-  
 ταρον.

286. *Hic.* ] Ajax in furorem versus, ob negata sibi Achillis arma et Ulyssi adjudicata, cum flagris sæviit in boves et pecudes. Duos autem cum rapuisset arietes eximios, atque mactavisset, Atridas et Ulysem a se percussos et occisos exclamabat. Vid. Sophoclis Ajacem flagelliferum. — *Agamemnona.* Vid. sat. VI, v. 660.

Aut Ithacum. Parcat tunicis licet atque lacernis,  
 Curatoris eget, qui navem mercibus implet  
 Ad summum latus, et tabulâ distinguitur udâ:  
 Cùm sit causa mali tanti, et discriminis hujus 290  
 Concisum argentum in titulos faciesque minutas.  
 Occurrunt nubes et fulgura: solvite funem,  
 Frumenti dominus clamat piperisque coëemptor:  
 Nil color hîc cœli, nil fascia nigra minatur;  
 Aestivum tonat. Infelix at forsitan ipsâ 295  
 Nocte cadet, fractis trabibus, fluctuque premetur  
 Obrutus, et zonam lævâ morsuque tenebit.  
 Sed cujus votis modo non suffecerat aurum,

287. *Aut Ithacum.* ] Ulyssem. —  
*Parcat tunicis licet.* Quanquam avarus mercator *tunicis parcat et lacernis*, non, ut furiosi solent, vestes suas laceret; tamen insanit, et nihilominus curatoris eget.

288. *Curatoris eget.* ] Ut ap. Horat. epist. I, 1, 102.

Nec medici credis, nec curatoris egere  
 A Prætoris dati. . . . .

289. *Et tabulâ distinguitur udâ.* ]  
 Vid. sup. sat. XII, 57.

291. *Concisum argentum in titulos.* ] Periphrasis nummorum. — *Titulos.* Cæsarum et Imperatorum, Familiarum aut Urbium. — *Facies.* Deorum, Augustorum, Regum, Principum, Jani gemini, Victoriæ, bigarum, quadrigarum, etc. Vid. numismata varia a Gesnero, Morellio, Banguri, Vaillant et ab Occone descripta.

292. *Occurrunt nubes.* ] Mercator lucri cupiditate percitus, nihil tempestatem curat.

294. *Fascia nigra.* ] Nubes atra, quæ longo per cœlum tractu fertur tempestatis nuntia.

295. *Aestivum tonat.* ] Ut æstate sæpe fit, ob calorem.

297. *Et zonam lævâ morsuque tenebit.* ] Paucissimis verbis graphica avaritiæ descriptio. Ad hæc Henninius: « Mirificâ acrimoniâ exagitat Juvenalis vesanam avari cupidinem, qui, vel fluctibus obrutus zonam (in qua Romanam vel peregrinantes, vel negotiantes pecuniam habebant) lævâ manu et morsu teneat, quasi perditurus eam naufragio, si corpori maneret circumdata; malitque suffocari, perplexa scilicet manu lævâ, et hiante ore per

V. 287. *Lacernis.* XII codd. inter quos Puteanus et Fauchet. *lacertis.* Male!

V. 289. *Udâ.* Vetus schol. et VII alii codd. habent *unda*; tres vero *una*.

V. 295. *At.* Restitui pro *hâc*, quod quidam codd. habent. Alii *aut*.

Quod Tagus, et rutilâ volvit Pactolus arenâ,  
 Frigida sufficient velantes inguina panni, 300  
 Exiguusque cibus, mersâ rate, naufragus assem  
 Dum rogat, et pictâ se tempestate tuetur.  
 Tantis partâ malis, curâ majore metuque  
 Servantur. Misera est magni custodia censûs.  
 Dispositis prædives hamis vigilare cohortem 305  
 Servorum noctu Licinus jubet, attonitus pro

« morsum, quàm ut expeditâ jac-  
 turâ redimeret vitam natando. »

299. *Tagus... et Pactolus.* ] Flu-  
 vii auriferi Hispaniæ et Lydiæ.

300. *Frigida.* ] Sufficient post  
 naufragium illi viles panni, qui-  
 bus tegere possit et abscondere  
*inguina* uda et *frigida*, ex aquâ  
 marinâ.

302. *Et pictâ se tempestate tue-  
 tur.* ] Qui naufragio olim, vel alio  
 insigni periculo evaserant, fu-  
 nestos, quos tulerant casus, ne  
 toties eos, stipem colligentes nar-  
 rare cogerentur, et quia mentem  
 magis afficiunt, quæ oculis, quàm  
 quæ auribus percipiuntur, pin-  
 gere aut scribere solebant in ta-  
 bellis, quas humeris primum fe-  
 rebant, et deinde una cùm ves-  
 timentis, quæ servaverant, tan-  
 quam ἀναθήματα in templo Neptu-  
 ni aut Isidis et Aesculapii suspen-  
 debant. Vid. sup. ad XII, 27,  
 28. Al. Rup.

303. *Tantis parta malis.* ] Vid.  
 Horat. sat. I, 1, 76 et supra,  
 v. 135.

305. *Dispositis prædives hamis.* ]  
 Sic Turneb. lib. II, cap. 29, lo-  
 cum hunc Juvenalis interpreta-  
 tur, quasi de homine incendia  
 metuente, vasaque multa aquaria

ad id præparante. Idem, lib XIX,  
 cap. 23, *hamam* interpretatur *vas  
 aquarium rotundioris formæ, globo-  
 sique ventris*; affertque ad rem  
 Columellam, lib. XVII de cu-  
 curbita dicentem :

... sive globosi  
 Corporis, atque utero nimium quæ vasta  
 tumescit,

Ventre leges medio: sobolem dabit  
 illa capacem

Naryciæ picis, aut Actæi mellis Hy-  
 metti,

Aut habilem lymphis hamulam. . . .

Cui favet vetus schol. Plutarchus  
*hamam* recenset, in haustoriis. Ap.  
 Hesych. ἄμην idem est ac σκάφη.  
 Item fere interpp. Plin. lib. X,  
 epist. 42. Ego vero, non solum va-  
 sa, vascula aquaria, sed et *cupas*  
 intelligo, prægrandia vasa, ad eum-  
 dem fere modum, quo instru-  
 menta, quæ Galli vocant *pompes à  
 incendie*, e quibus aqua longis si-  
 phonibus per medium mittebatur  
 incendium. Ita, male quidam: un-  
 cos ferreos, seu ad diruenda ædi-  
 ficia, seu ad capiendos fures. Pes-  
 sime, qui *hamos* piscium cum his  
 hamis permiscet: nam illis me-  
 trum et sensus adversantur. A.

306. *Licinus.* ] Forte idem,  
 ad quem respexit sup. sat. I, 109.

Electro, signisque suis, Phrygiâque columnâ,  
 Atque ebore, et latâ testudine. Dolia nudi  
 Non ardent Cynici: si fregeris, altera fiet  
 Cras domus, aut eadem plumbo commissa manebit.  
 Sensit Alexander, testa cùm vidit in illa 311  
 Magnum habitatorem, quanto felicior hic, qui  
 Nil cuperet, quàm qui totum sibi posceret orbem,  
 Passurus gestis æquanda pericula rebus.  
 Nullum numen habes, si sit prudentia: nos te, 315  
 Nos facimus, Fortuna, Deam. Mensura tamen quæ  
 Sufficiat censûs, si quis me consulat, edam.  
 In quantum sitis, atque fames, et frigora poscunt,

— *Attonitus.* Δεινῶς, pro metu  
 anxius, sollicitus.

307. *Electro.*] Poculis, vasis ex  
 electro. Vid. ad V, 38. — *Signis.*  
 Statuis et simulacris. — *Phry-*  
*giâque columnâ.* Ex marmore  
 Phrygio.

308. *Atque ebore, et latâ testu-*  
*dine.*] Supellectili iis facta. Vid.  
 ad XI, 94, et 123.

309. *Non ardent (dolia) Cynici.*  
 Quippe fictilia, seu testacea ple-  
 rumque fuerunt olim dolia, teste  
 Plin. lib. XXXV, cap. 12. Dolio  
 fictili usum fuisse pro domo Dio-  
 genem omnibus notum.—*Nudi...*  
*Cynici.* Nam Cynicorum humerus  
 alter nudus erat, pallio in alte-  
 rum rejecto, — *Altera fiet cras*  
*domus.* Ex eadem materia.

310. *Aut eadem plumbo, etc.*]

V. 310. *Aut eadem.* Codd. quidam legunt, *atque eadem*, male: nam,  
 quomodo altera fiet domus, et simul manebit *eadem*? Id jam animadvertit  
 Lips. Epist. Quæst. IV, 25.

V. 315. *Nullum numen habes.* Vid. sat. X, 365, ubi iidem versus leguntur.

Conglutinabitur ferruminatione,  
 plumbatura, μελωδῶσαι, Gall.  
*avec de la soudure.*

311. *Sensit Alexander.*] Hoc  
 dictum Alexandri omnes nōrunt:  
 εἰ μὴ Ἀλέξανδρος ἤμην, Διογένης αὐ-  
 τῆμην. Plut. in vit. Alexand. Diog.  
 Laërt. lib. VI.

313. *Totum sibi posceret orbem.*  
 Vid. sat. X, v. 168.

314. *Passurus gestis æquanda pe-*  
*ricula.*] Si enim magna gessit  
 Alexander, magna quoque est  
 perpessus.

315 et 316. *Nullum numen ha-*  
*bes.*] Duo hi versus a sat. X, 365,  
 366, repetuntur.

316. *Edam.*] Dicam.

318. *In quantum.*] Dicitio a Græ-  
 cis petita καθ' ὅσον, εἰς ὅσον, ἐφ'  
 ὅσον, ut ἐς τί.

Quantum, Epicure, tibi parvis suffecit in hortis,  
 Quantum Socratici ceperunt ante penates. 320  
 Nunquam aliud natura, aliud sapientia dicit.  
 Acribus exemplis videor te claudere: misce  
 Ergo aliquid nostris de moribus: effice summam,  
 Bis septem ordinibus quam lex dignatur Othonis.  
 Hæc quoque si rugam trahit, extenditque labellum;  
 Sume duos equites, fac tertia quadringenta. 326  
 Si nondum implevi gremium, si panditur ultra,

319. *Quantum, Epicure, etc.*] Vid. sup. XIII, 123.

320. *Socratici.... penates.*] Frugalitas domus Socratis, quem Laërtius scribit, Athenis peste laborantibus, unum a morbo fuisse immunem, ob cibi temperantiam. — *Ante.* Nam Socrates vixit ante Epicurum.

321. *Nunquam aliud, etc.*] Immo, naturæ consentanea est vera philosophia; eadem dicit ac præcipit. Senec. Epist. 50, *Virtus*, inquit, *secundum naturam est, vitia inimica et infesta sunt.*

322. *Acribus videor, etc.*] Tibi videor avaritiam et cupiditates tuas nimis angustis frugalitatis terminis circumscribere.

323. *Ergo aliquid, de moribus.*] *Misce*, adijunge illi austeritati aliquid, non multum, ita ut modicis opibus contentus sis. — *Effice summam quam lex.... Othonis.* Para tibi censum equestrem, quadringenta sestertia, etc. Vid. sup. I, 106, II, 117, III, 154, V, 132.

324. *Bis septem ordinibus.*] In quatuordecim ordinibus, seu gradibus proximis orchestræ (quæ

senatoribus reservata erat) sedebant equites, vel ii qui censum equestrem habebant: unde, hoc loco, *effice summam, quam lex Othonis dignam judicet bis septem ordinibus.* — *Dignatur.* Εἰρωνικῶς lex dicitur dignari summam bis septem ordinibus, hoc est, equestri ordine: nam lege illâ proprie quidem non summa, sed qui eam possidet, hoc honore dignus censebatur: at dignitas illa magis ex pecunia pendebat, quàm ex homine ejusque moribus virtutibusque: quo etiam spectat sarcasmus supra III, 154 et seqq. A.

325. *Hæc quoque si rugam trahit.*] Si angustiores etiam hi divitiarum termini, quos præscribo, te tristem faciunt: proprie, si hæc quoque summa rugas in fronte tua contrahit. — *Extenditque labellum.* Quo non minus ægritudo et mens parum contenta adumbratur: uno verbo, si hæc summa te cogit, ut Galli dicunt, à *faire la moue.*

326. *Sume duos equites.*] Hanc duplicem, vel triplicem effice.

327. *Si nondum implevi gremium.*]



Nec Cræsi fortuna unquam , nec Persica regna  
 Sufficiens animo , nec divitiæ Narcissi ,  
 Indulsit Cæsar cui Claudius omnia , cujus 330  
 Paruit imperiis uxorem occidere jussus.

Si tibi necdum satisfacio ; si fortunis ejusmodi , quas habere tibi concedo , non es contentus. — *Si panditur ultra. Si plura appetis.*

328. *Cræsi.*] Lydorum regis , cuius ingentes divitiæ in proverbium abierunt. Vid. sat. X , 274. — *Persicæ regna.* Reges Persarum ac deinceps Parthorum olim et tunc potentissimi erant ac ditissimi.

329. *Narcissi.*] Unus ex libertis Claudii Imper. quibus stultâ et nefandâ indulgentiâ permisit omnia. *Suspexit ante omnes* , inquit Suet. in vit. Claud. cap. 28. *Narcissum ab epistolis , et Pallantem a rationibus , quos decreto Senatûs* ,

*non præmiis modo ingentibus , sed et Quæstorii Prætorisque ornamentis ornari libenter passus est : tantum præterea acquirere et rapere , ut querente eo (Claudio) quondam de fisci exiguitate , non absurde sit dictum , abundaturum , si a duobus libertis in consortium reciperetur.*

331. *Uxorem occidere jussus.*] Messalinam , propter adulterium et nuptias cum Silio. Vid. sat. X , 330. — *Jussus. Nec enim , pergit idem Suet. Claudius Messalinam uxorem , quæ nupsit Silio , interfecisset , nisi properasset index , delator adulterii , et quodam modo imperator cædis Narcissus.*

---

## SATIRAE DECIMAE QUINTAE

### ARGUMENTUM.

OBTINET AEGYPTUS PERVERSOS IMPIA RITUS.

Hâc satirâ, Juvenalis gravissime invehitur in religiosam Aegyptiorum dementiam, quorum alii crocodilum, alii ibides, cercopithecus, canes et olera, quæ nascuntur in hortis suis pro numinibus habent; quique, cùm a lanatis animalibus abstinent, se tanto invicem prosequuntur odio, ut cæco furore instincti eos qui aliis utantur sacris, devorare aliquando non dubitent (1—13). Quæ, ne quis similia iis, quæ Alcinoò, inter cœnandum, narrabat Ulysses de Læstrygonum et Cyclo-pum immanitate, arbitretur, prælium eâ, quâ vixit, tempestate commissum narrat inter finitimos populos Coptitas et Tentyritas, in quo, fugatis Coptitis, qui primum Tentyritas diem festum agentes laccessiverant, unus ex Coptitis, nimiâ formidine præcipitans cursum cùm cecidisset, a Tentyritis captus, in frusta et particulas sectus, ut pluribus sufficeret, devoratus est (14—92). Tantæ immanitatis non olim fuisse affines ait Calaguritanos, qui ad diram famem longâ obsidione redacti, et Stoicorum præceptis ignari nefando isto alimento ad vitam sustentandam usi sunt (93—114), non Tauros, qui homines Dianæ immolabant, sed non comedebant (115—118), non Cimbros, nec Britannos, aut Sauromatas et Agathyrsos (119—128). Inde, post præclaram miserationis hominum mentibus a natura insitæ versibus egregiis depictam adumbrationem, acerbe increpat inimicitiam et odium, quod feræ non nisi in dispar genus, homines autem in se ipsos exercent (129—174).

In ea autem satira, imprimis a v. 129 usque ad finem, magna vis est orationis et gravitas rei convenientissima. Inferius tamen illud opus cæteris ejusdem auctoris videtur; quod non mirum est: nam et senex admodum erat, et rem Romanis inauditam narrabat. Non ea bella infanda noverat, quæ furor

532 SATIRAE DECIMAE QUINTAE ARGUM.

religiosus sequentibus ævis produxit. Quid si Mahumeti fanaticum ardorem vidisset; eundemque manu dextra gladium gestantem, Alcoranum altera? Quid si Christianorum sancta bella sub crucis vexillo suscepta (*les croisades*)? Quid si Albigensibus rogos accensos? Lutheri et Calvini sectatorum, et Catholicorum furores sacros? non juste minus exclamasset:

Aspicimus populos, quorum non sufficit iræ  
Occidisse aliquem. . . . .

Sed cur ea commemorem? Jam non sub crucis vexillo bella et strages sunt inchoandæ. Humanitatis ipsius et philosophiæ nomine (quod non minus sævum; at ridiculum magis, et multo minus excusandum), arma capessuntur, regna et imperia corruunt, urbes diruuntur, agri vastantur, hominesque trucidantur. Sic, omni tempore, inde principum ambitio prava, aulicorum aviditas et Δημαγωγῶν insania, hinc populorum socordia et imbecillitas miseris mortalibus excidii causæ fuerunt, terramque hanc miseram stragis sedem desolationisque fecere.

De tempore autem, quo scripserit satiram suam Juvenalis, vid. comment. v. 27. Ex verbis *quantum ipse notavi*, v. 45, liquet eum vidisse Aegyptum, ante quàm Tentyritarum facinus describeret; et quoniam dicitur eum in exilio a vivis decessisse, inde conjicere licet satiram XV et fortasse XVI, per hunc temporis tractum, quo fuit exul, scriptam fuisse; nisi tamen Aegyptum juvenis adhuc alia de causa perlustraverit.



## SATIRA XV.

### SUPERSTITIO.

Quis nescit, Volusi Bithynice, qualia demens  
Aegyptus portenta colat? Crocodilon adorat  
Pars hæc: illa pavet saturam serpentibus ibin.

1. *Volusi Bithynice.*] Is erat amicus Juvenalis, Bithynia oriundus, non aliunde notus. — *Qualia demens Aegyptus, etc.* Eadem, sed minus acerbe Cic. Tusc. Quæst. V., 27. *Aegyptiorum morem quis ignorat? quorum imbutæ mentes pravitatis erroribus, quamvis carnificinam prius subierint, quàm ibim, aut aspidem, aut felem, aut canem, aut crocodilum violent; quorum etiam, si imprudentes quidpiam fecerint, pœnam nullam recusent.*

2. *Portenta.*] Quæ monstra Deum dixit Virg. Aeneid. VIII, 698, *portentificas animalium figuras* Lactant. de Orig. erroris II, 14, et Prudent. contra. Symmac. I, . . . Horrificos quos prodigialia cogunt Credere monstra Deos. . . . .

Item Lucian. de Sacrif. cap. 14: ἦν δ' ἐς τὴν Αἴγυπτον ἔλθεις, τότε δὴ τότε ὄψει πολλὰ τὰ σεμνὰ, καὶ ὡς ἀληθῶς ἄξια τοῦ οὐρανοῦ· κρισπρόσωπον μὲν τὸν Δία, κυνοπρόσωπον δὲ τὸν βέλτερον Ἑρμῆν, καὶ τὸν Πᾶνα ὄλον τράγον, καὶ ἴβιν τινά, καὶ κροκόδειλον ἕτερον, καὶ πίθηκον, κ. τ. λ. — *Crocodilos adorat.* Quia, et Aegyptum præstant securum ab Arabiæ Libyæque latronibus, qui metu horum animalium perterriti Nilum trajicere non conantur, et Menam regem ab impetu

et furore canum defendisse dicuntur: quâs rationes affert Diodorus Sic. II, 4. Al. Rup.

3. *Pars hæc.*] Scil. præfectura Arsinoitarum, et maxime illi qui sunt circa Thebas, ut *Coptitæ, Ombitæ, etc.* At illi prope Elephantinam, et præsertim *Tentyritæ*, de quibus infra, eos veluti hostes exagitant: cum enim crocodili sint erga timidos audaces, in audaces pavidi, Tentyritæ strenue assiliunt, voce terrent, fugientes injecto laqueo trahunt, dorso inequant, quovis agunt, devorata recens corpora evomere cogunt ad sepulturam: inde odium et furor, inter νόμους, seu provincias religioso cultu tantopere distantes. Οἱ δὲ περὶ Θήβας οἰκούντες, τοὺς κροκοδείλους καὶ κάρτα ἤγνουντα ἱρούς εἶναι· οἱ δὲ περὶ Ἐλεφαντίνην πόλιν οἰκούντες, καὶ ἐσθίουσιν αὐτούς, οὐκ ἠγεόμενοι ἱρούς εἶναι. Herodotus II, 69. — *Illæ.* Alia pars Aegypti: namque, non omnis Aegyptus, ut quidam volunt, ibin colebat. — *Pavet.* Religiose colit: religio enim sæpe dicitur *pavor, metus, timor, formido, δεισιδαιμονία*: unde apud nos sæpe dicitur *superstitio*, quotiescumque in homine a metu muliebri magis, quàm ab amore divino

Effigies sacri nitet aurea cercopithecī,  
 Dimidio magicæ resonant ubi Memnone chordæ, 5  
 Atque vetus Thebe centum jacet obruta portis.

pendet legis observantia. — *Saturam serpentibus ibin.* Fœda hæc avis ab Ovidio decantata, apud Nil ripas frequens est, ciconiæ non absimilis, ideo colebatur ab Aegyptiis, quòd esset infesta serpentibus, ranis, bruchis, locustis, aliisque insectis et amphibiiis, a quibus ipsi infestantur, quòdque ea animalia deleat et devoret: unde, hoc loco, *satura serpentibus* dicitur. *Ibes maximam vim serpentium conficiunt, cum sint aves excelsæ, cruribus rigidis, corneo proceroque rostro: avertunt pestem ab Aegypto, cum volucres, angues ex vastitate Libyæ vento Africo invectas interficiunt atque consumunt; ex quo fit, ut illæ nec morsu vivæ noceant, nec odore mortuæ.* Cic. N. Deor. I, 36.

4. *Cercopithecus.*] Simia caudata quam colebant Aegyptii, κέρκος, cauda, πίθηκος, simia. Plin. lib. VIII, cap. 54: *Simiæ caudis inter se distinguuntur.*

5. *Dimidio magicæ, etc.*] Periphrasis Thebarum Aegyptiarum, ubi in templo Serapidis videbatur Memnonis effigies, e nigro marmore, et formâ hominis sedentis, quæ Solis orientis percussa radiis sonum edebat citharæ similem. — *Magicæ... chordæ.* Statua, quæ magicâ arte sonum vocalem, instar chordarum citharæ, edere crededatur. Τὸ ἄγαλμα κάθηται τε καὶ ἀνὰ πᾶσαν ἡμέραν ἀνίσχοντος ἡλίου βοᾷ, καὶ τὸν ἦχον μάλις αἰ-

κάσει τις κιθάρας ἢ λύρας βραγείας χορδῆς. Pausan. in Atticis. — *Dimidio... Memnone.* Hoc est, in statua Memnonis, quæ non est integra, sed dimidiata; quod terræ motui tribuit Strabo, lib. XVII. At vet. schol. cui assentitur Pausan. l. c. sic: « Hanc Cambyses rex jus-  
 « sit aperiri, existimans mecha-  
 « nicum aliquod esse, quòd in-  
 « tra statuam lateret: nihilomi-  
 « nus tamen aperta statua, quæ  
 « erat magice consecrata, sonum  
 « horis statutis reddidit. Ideo di-  
 « midio, id est, aperto et diviso. » Cæterum ea adhuc exstat statua, qualem antiqui viserant, hoc est, inferiore parte stante supra basim, et superiore humi prostratâ; quam Pocock. in suis Itiner. T. I, p. 102. delineavit, sicuti et inscriptiones cælatas cruribus et basi. Per chalcographiam, hujus statuæ partes in unum fuerunt restitutæ. Sic, statuæ integræ effigies potest inspicere in libro, cui titulus; *Paul. Ernest. Jablonski, de Memnone Græcorum et Aegyptiorum, hujusque statuæ, etc. Francof. 1753, in-4<sup>o</sup>. A.*

6. *Thebe.*] Θήβη, Διὸς πόλις, Θῆβαι Αἰγύπτιοι, ἑκατόμυλοι. Hom. Il. IX, 383, vulgo Thebæ, non Bœotix, sed Aegyptix. Thebaidis olim regionis caput fuit illa urbs, inter Memphim et Syenem ad Austrum sita, cujus, per centum quasque portas, decem millia armatorum egredi potuisse aiunt.—

Illic cæruleos, hîc piscem fluminis, illic  
Oppida tota canem venerantur, nemo Dianam.  
Porrum et cepe nefas violare, ac frangere morsu.

*Jacet obruta.* Ruderibus, ruinis, diruta a Cambyse. Diodor. II, 1.

7. *Illic cæruleos.* ] Pisces maris cærulei. — *Piscem fluminis.* Nili, τὸν λεπιδωτὸν, τὴν ἔγγελλον, τὸν ὄζυρρυγγον, τὸν λάτον, et al. vide Herodotum II, 72, Strab. XVII, p. 812. Jablonski Panth. Aegypt. T. II, p. 87.

8. *Canem.* ] Canis, in Aegypto, animal sacrosanctum, imprimis Cynopolitis, dedicatum Anubidi perpetuo Isidis et Osiridis, hoc est, Lunæ et Solis comiti ac custodi, qui symbolice horizontem, sive ortum et occasum Solis designabat, et quasi janitor cæli et ostiarius erat, qui Soli in hemisphærium nostrum ingredienti januam aperiret, eundemque abeuntem in hemisphærium inferius emitteret: unde etiam canino capite effingebatur, quia canis olim ædium januis tanquam ostiarius et custos vigil addebatur, hujusque symbolum erat. Sup. VI, 534. Herodot. II, 66.

Diodor. II, 4. Plut. de Is. et Osir. et al. Cæterum in tanto apud Aegyptios honore canes fuisse dicuntur, ut tota domus in quâ canis exstingueretur, toto corpore raderetur, quod maximum apud eos luctûs indicium erat. Lactant. de Fals. Sap. lib. V, cap. 20. — *Nemo Dianam.* Comparatio ironica. Canem adorant omnes, *nemo Dianam* canum magistram ac Dominam. In eo sensu, quo Dianam nemorum et montium custodem ac venatorum præsidem accipimus, justa cadit comparatio: nam, nullo tempore, Dianam sub hoc titulo coluerunt Aegyptii: at, si per Dianam Lunam intellexeris, in errorem incidit Juven. Bubasti enim pulcherrimo in templo coli Dianam (sed ut Lunam), ipsamque *Bubastim*, quæ eadem est ac Græcis Ἄρτεμις, Romanis *Diana*, vocatam fuisse minime dubium est. A.

9. *Porrum et cepe.* ] Plin. *Alium*, inquit lib. XIX, cap. 6,

V. 7. *Cæruleos.* Subaudi pisces maris. Ita omnes nostri codd. et Ruptiani. Nic. Heinsius ad Virgil. lib. III, 329, ad Propert. II, 12, et ad Claud. Laud. Stilic. II, 167, emendabat *cæruleum*. Litteram *m* producens, propter hiatum et cæsuram, ut opponeretur piscis marinus pisci fluminis. Brodæus Miscell. VII, 2, emendat *æluros*; quoniam non satis constat marinos pisces ab Aegyptiis cultos fuisse: *felis* contra, quæ Græcis dicitur αἰλουρος, unde *ælurus* Gell. XX, 8, et Hygin. Astron. II, 28, Bubasti Aegyptiorum, seu Lunæ sacra fuit, ejusque viva quædam imago: felem præterea fuisse apud Aegyptios tantum non omnes animal sacrum, vel tironibus notum est. Non male; at vulgatam sine alia auctoritate exagitantam non judicavimus.

O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis 10  
 Numina! Lanatis animalibus abstinet omnis  
 Mensa: nefas illic fetum jugulare capellæ;  
 Carnibus humanis vesci licet. Attonito cùm  
 Tale super cœnam facinus narraret Ulysses  
 Alcinoò, bilem aut risum fortasse quibusdam 15

*cepasque inter Deos in jurejurando  
 habet Aegyptus.*

10. *O sanctas gentes, etc!*] Salsa ironia, et forsàn nimia: nam, Aegyptios, ut Deos revera coluisse allium, cepe, fabas, lentem, aliasque ejus generis plantas, vix crediderim. Aegyptii plantas supra memoratas valetudini (quod verisimile magis est) noxias esse putârunt, et sacras inde fecerunt, ut nemo eas ederet; vel alias ob causas iis abstinerunt. Cur nefas duxerint cepas edere, docent Plut. de Is. et Osir. Opp. T. II, p. 353 E. F. quòd autem per eas jurarent, teste Plin. loc. cit. id forte eandem ob causam fecerunt, ob quam Radamanthus jussisse dicitur, per anserem, vel canem, vel arietem, vel etiam per plantas jurare; ut scilicet, nemo, temere, nomine divino, ad res quascumque abuteretur.

11. *Lanatis animalibus abstinet.*] Ab ovibus abstinebant, si Diodoro, II, 4, fidem adhibeamus, quoniam bis edunt fetus, lanamque præbentes vario accommodatam usui, lac præterea, caseumque suppeditant, vel propter primum Zodiaci signum ovis vel arietis, quem sol ingreditur, figurâ expressum; unde etiam

Saitis et Thebæis aries vel ovis sacra erat, et in templo Jovis Thebæi, seu Amun, tanquam viva Ammonis imago nutriebatur. Herodot. II, 42. Strab. XVII, Lucian. de Astrolog. c. 7, Jablonski Panth. Aegypt. I, 3, II, 2. Al. R.

12. *Nefas... fetum jugulare capellæ.*] Capra, et potissimum caper, hircus, animal Aegyptiis sacrum, præcipue Mendesiis, quorum Deus fuit Mendes, symbolum vis sativæ ac genitivæ, quæ in natura inest; unde hircus, tanquam viva Mendetis imago, colebatur in magnifico templo, quod in honorem Mendetis exstructum erat, in Metropoli Mendesiorum Thmui, quæ etiam, a numine tutelari, Mendes dicebatur. Herodot. II, 46, Suidas, v. Μένδην, Bochart. Hieroz. P. I, lib. II, cap. 43, et Jablonski Panth. Aegypt. Al. Rup.

13. *Carnibus humanis vesci licet.*] Inde justa oritur poëtæ indignatio.

14. *Tale... facinus.*] Ἀνθρωποφαγίαν Polyphemi et Antiphatis Cyclopum, qui socios ejus devoraverant. — *Super cœnam.* Inter cœnandum.

15. *Alcinoò.*] Phæacum regi, a quo exceptus erat hospitio. Hom. Odyss. VI-XIII. — *Bilem.* Iram,

Moverat, ut mendax aretalogus. In mare nemo  
 Hunc abicit, sævâ dignum verâque Charybdi,  
 Fingentem immanes Læstrygonas et Cyclopas?  
 Nam citius Scyllam, vel concurrentia saxa  
 Cyaneis, plenos et tempestatibus utres

20

aut indignationem. — *Quibusdam.* Convivis, Phæacibus discumbentibus.

16. *Aretalogus.*] Qui de virtute sua, ἀρετῆ, rebusque a se gestis magnifice, et mendaciter loquitur. Alii tamen *aretalogum* volunt dici scurrâ, nugatorem, festiva et faceta, ad oblectandos audientium animos, effutientem ab ἀρετὸς, *blandus, gratus.* Turneb. lib. X, cap. 12. — *In mare nemo, etc.* Verba Phæaci cujusdam discumbentis, et fabulosa hæc audientis.

17. *Charybdi.*] Voragine naves absorbente. De Charybdi, vid sat. V, v. 102. — *Abicit.* Ἀρχαϊκῶς, et metri causâ, pro *abjicit.*

18. *Læstrygonas.*] *Formiæ* (Oppidum in finibus Latii et Campaniæ,

hodie *Mola*, in terra *di Lavoro*) antiqua *Læstrygonum* sedes. Plin. lib. III, cap. 5. Ferus autem populus, cujus reges fuere *Lamus* et *Antiphates.* — *Cyclopas.* Fera Siciliæ gens, quæ æque ac *Læstrygones* carne humanâ vesci solebat. Notissimus eorum *Polypemus*, qui socios *Ulyssis* devorâsse dicitur. Vid. sup. IX, 61.

19. *Scyllam.*] Rupes ad littus Italiæ, versus *Scyllæum* oppidum, *Carybdi* adversa, cui humana forte olim forma fuit. Omnibus notum hoc proverbium:

Incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim.

20. *Cyaneis.*] *Cyanes*, vel *Cyaneæ*, Κυανέαι, cautes, duæ insulæ, vel potius cautes sub ingressum Ponti Euxini, seu Bosphori Thracii

V. 18. *Et Cyclopas.* Restitui ex XX codd. nostris, et ex omnibus editionibus priscis: quod mihi, sicuti Schurzfleisch. arrisit, ut exprimeretur res ipsa, scil. grandis Cyclopum vastitas et moles quadrata, versu spondaïco durum sonante. Alii, atque *Cyclopas.*

V. 20. *Cyaneis.* Restitui ex nostris codd. Alexander Ruperti suspicabatur *Cyaneas*, et recepit ex Rob. Stephano, ut sit appositio et interpretatio verborum *concurrentia saxa.* Codd. fere omnes, ut jam dixi, *Cyaneis*: at, inquit Rup. saxa non concurrunt *Cyaneis*: sed *Cyaneæ* rupes sunt ipsa *saxa concurrentia.* Hoc loco, forte, male cepit Al. Rup. verbi significationem. Vetus scriptura Romanorum fuit *patreis* pro *patres*, *sorteis* pro *sortes*: et, in eodem sensu, effingi potuit a Juvenale *Cyaneis* nom. plur. accus. tertiæ declin. pro *Cyanes*, ut passim videre est ap. Plaut. Sall. Lucret. etc. ex hac igitur conjectura, parvi interest, utrum legas *Cyanes* cum quibusdam codd. au *Cyaneis.* Cod. Alexandrinus *Cyaneis.*



Crediderim, aut tenui percussum verbere Circes,  
 Et cum remigibus grunnisse Elpenora porcis:  
 Tam vacui capitis populum Phæaca putavit?  
 Sic aliquis merito nondum ebrius, et minimum qui  
 De Corcyraea temetum duxerat urna: 25

aliquando etiam dictæ Συμπλήγα-  
 δες et Συνδρομάδες, quæ, cum inter  
 se parum distent (XX stad.) navi-  
 gantibus concurrere, et, errore  
 sensûs oculorum, fluctibus inter  
 se in angusto freto pugnantibus,  
 collidi videntur: unde quoque  
 πλαγκταί, vagæ, errantes, et Ovidio  
 Trist. I, eleg. 9, *instabiles* di-  
 cuntur.—*Plenos tempestatibus utres.*  
 Ex Homero, *Odyss.* x, 1—75.  
 nota est fabula de utribus, ubi  
*venti* fuerant inclusi ab Aeolo  
 Ulyssi datis, etc.

21. *Aut tenui percussum verbere.*]  
 Scil. *Elpenora*, quem potius, ut ait  
 Grang. nominavit, quàm quem-  
 quam aliorum, quòd in domo  
 Circesebrius, et lapsus per gradus  
 interierit. De eo vid. Hom. loc.  
 cit. — *Percussum verbere.* Virgæ  
 magicæ cum XXI aliis sociis, et  
 cum iis una in porcum mutatum.  
 Circe enim:

ῥάβδῳ πεπληγυῖα κατὰ σοφοῖσιν  
 εἴργυν·

Οἱ δὲ συῶν μὲν ἔχον κεφαλᾶς, φωνήν  
 τε δέμαρ τε,

καὶ τρίχας· . . . . .

Hom. Od. x. 552, et Il. λ. 51—80.

—*Circes.* Famosa venefica, filia So-

lis ex Perse, Colchorum regis so-  
 ror, in Italiam profuga, apud  
 Citæum promont. habitavit. Cæ-  
 terum satis nota.

22. *Cum remigibus... porcis.*] Hoc  
 est, qui cum eo in porcos mu-  
 tati erant.

23. *Tam vacui capitis.*] Hoc est,  
 adeo nos tam bardos ac stolidos  
 putat iste, qui fabulis ejus fidem  
 adhibeamus?—*Vacui capitis.* Idem  
 ac sine cerebro (κενεγκράνιος, vet.  
 schol.). — *Phæaca.* Phæacium.  
 Phæacia autem insula Ionii ma-  
 ris, eadem ac Corcyra, prope  
 Epirum, hodie *Corfou*. Phæaces  
 autem pro crudelibus et stultis  
 etiam proverbii loco dicebantur:  
 ut, et pro iis qui cutem curant,  
 luxuriaque diffluunt. Horat. Epist.  
 I, 15, 24. Notus quoque *Alcinoi*  
 luxus.

24. *Sic aliquis, etc.*] Merito  
 dixit, qui nondum ebrius erat.

25. *Temetum.*] Idem ac vinum,  
 quia præcipua temulentiae causa  
 est. — *Urna.* Dimidiam continens  
 amphoram, vel quatuor congios,  
 et XXIV sextarios, 14 litres  
 43 c. — *Duxerat.* Hauserat, bi-  
 berat.

V. 25. *Temetum duxerat.* Codd. nostri fere omnes et edd. prisc. habent  
*Temetum deduxerat*, contra usum loquendi et metrum: nam priores  
 syllabæ vocis *Temetum* producantur. Ideo, lectionem vet. schol. secuti  
 sumus.

Solus enim hoc Ithacus nullo sub teste canebat.  
 Nos miranda quidem, sed nuper Consule Junio  
 Gesta super calidæ referemus mœnia Copti;  
 Nos vulgi scelus, et cunctis graviora cothurnis:  
 Nam scelus, a Pyrrha quanquam omnia syrmata volvas,  
 Nullus apud tragicos populus facit. Accipe nostro 31  
 Dira quod exemplum feritas produxerit ævo.  
 Inter finitimos vetus atque antiqua similtas,

26. *Solus enim hoc Ithacus.* ] Ulysses solus, sociis amissis, evaserat, et naufragio, postquam duas noctes ac dies nataverat, in litus Phœaciæ ejectus est.

27. *Consule Junio.* ] Hoc versu, illa videtur scripta satira consule Junio: sed, quis fuerit non satis constat: duo enim hoc nomine consules in fastis referuntur. Alter, *App. Junius Sabinus*, an *V. C. DCCCXXXVI*, consul cum *Domitiano Imperatore*: alter vero *Q. Junius Rusticus* consul cum *Hadriano*, anno Imperii ejus tertio, et *V. C. DCCCLXXII*. Hunc plerique interpp. intelligunt At vid. *Juven. vitam*, T. II, p. 1 et seqq.

28. *Copti.* ] Vide infra, v. 35.—*Super.* Hoc loco, non longe: præterea *Tentyritæ* infra *Coptum* erant.

29. *Nos vulgi scelus.* ] Non enim unius hominis, ut olim *Atrei*, *Thyestis*, *Medeæ*, *Orestis*, sed totius populi crimen infandum profero — *Et... graviora cothurnis.* Hoc est, sceleribus, quæ in tragicædiis solent tractari.

30. *Nam scelus a Pyrrha, etc.* ] Nam, volvas licet omnes tragicædias, nunquam reperies tantum scelus a toto populo communiter patratum. — *A Pyrrha.* A Diluvio. — *Syrmata*, Tragicas vestes, pro tragicis argumentis. VIII, 229.

33. *Inter finitimos.* ] Scil. *Copti-*

V. 27. *Junio.* X codd. habent *Junco*, V et edd. prisçæ multæ *Vinco*, tres *Juno*. Lipsius in *Epist. Quæst. IV*, 20, monuit, neque *Vincum*, neque *Juncum* consulem inveniri in fastis. *Juncus* tamen, aut *Junctus*, *Commodo* regnante consul fuit. *Ulpian. lib. XXVIII Digest. factum est*, inquit, *Senatusconsultum, Aemilio Junco et Julio Severo consulibus.* *Lampriid. in Commodio: in exilium acti sunt Aemilius Junctus et Attitius Severus.* Sed de eo *Junco* hic nequaquam sermo est: nam *Juvenalis* non usque ad tempora *Commodi* vixit. *Vincus* forte fuit consul suffectus sub imperio *Neronis*, et certe auctor conjurationis *Vincinianæ*; de qua vid. *Suet. Ner. cap. 36*: sed iste hoc loco minime potest convenire. Ad primam igitur lectionem redeamus necesse est. Nec nos offendere debet, quod in soluta oratione verbum *Junio* trisyllabum sit, cum, propter συντήρησιν, passim in versibus δισσύλλαβοι reperiantur hujusmodi voces, scil. *στρουθι- mis*, *tennia*, *genua*, etc.

Immortale odium, et nunquam sanabile vulnus

Ardet adhuc Coptos et Tentyra. Summus utrinque 35

tas et Tentyritas populos finitimos.

34. *Vulnus.*] Animi ira, indignatio et odium.

35. *Coptos.*] *Copti*, *Coptorum*, vulgo *Coptus*, *i*, urbs inclyta Aegypti, commune Arabum et Aegyptiorum oppidum et emporium celeberrimum, quo merces Indicae, Arabicae et Aethiopicæ Arabico sinu advectæ deportabantur. Metropolis fuit nomi Coptici, et mediterranea (lat. septent. 25°, 48', longit. merid. de l'île de Fer 30°. 15'), non ad ipsum Nilum sita, sed ad canalem

ex eo fluvio ductum, in quo merces ex Arabico sinu camelis Coptum devectæ navibus in Nilum deferebantur. Alii legunt *Ombos*, ὄμβροι, oppidum, ut Coptus, ad orientalem Nili ripam situm (lat. septent. 24° 31', longit. 30°, 12'), a quo dictus *Ombites nomus*. Vide infr. var. lect. — *Tentyra*. Τῆ Τεντυρα, et ἡ Τεντυρίς, hodie *Dendera*, urbs Thebaidis ad occidentalem Nili ripam sita (lat. sept. 26° 12', longit. 29° 45'), et proxima Diospoli parvæ, unde Τεντύριτις νομὸς dictus. Hujus urbis exstant hodie reliquiæ, cum notis hieroglyphi-

V. 35. *Coptos*. Solus inter alios interpretes hanc lectionem restitui, nec sine causis; quas cum lector perpenderit, quanti sint ponderis ad auctoris nostri locum omnem illustrandum, facile sibi persuadent. Nullus interpretum, ante *M. Dusaulx*, lectione super veteris scholiastæ, quæ est quoque editorum recentiorum, hæserat: ii enim omnes legunt *Ombos*. Primus igitur, propter vocem *finitimos*, quâ utitur sup. v. 33 Juvenalis, quædam in his versibus pugnancia secum, et rationi geographicæ adversa sensit. Ex tribus præcedentis ævi illustrissimis criticis, quos consuluit, scil. *MM. Brottier*, *Barthelemy*, *Larcher*, unus, (*M. Brottier*) veteris schol. lectionem tuitus est, eâ fretus ratione, quòd *Ombitæ* crocodilum Deum còlerent, *Tentyritæ* vero eundem persequerentur et occiderent. (*Aelian. Hist. Anim. lib. X, cap. 21*); nec illum offendit, quòd *Ombitæ* a *Tentyritis* triginta et pluribus leucis Gallicis distarent: nam, inquiebat, *Ptolemæus*, lib. IV, cap. 5, urbem *Ombos* in nomo *Thebite* includit: ergo *Ombitæ*, in hoc sensu, *Tentyritis finitimi* potuerunt dici, quia *Thebites* nomus finitimus erat *Tentyritis*. Præterea, addit idem, locorum distantia nihil erat Aegyptiis, qui se facile cymbis, Nilo ferente, movebant. *MM. Barthélemy* et *Larcher* contra: 1° Ratio petita ab *Aeliano*, de reverentia *Ombitarum* erga crocodilos parum proficit, quandoquidem ex eodem *Aeliano*, lib. X, cap. 24, accipimus similem fuisse cultum *Coptitis*: unde historia a *Juvenale* memorata *Coptitis* sicuti *Ombitis* tribui facile potest. 2° *Ombos*, temporibus *Plinii* (lib. V, 9) nomus erat a *Thebite* nomo distinctus, nec isti nomi fuerunt adunati, nisi sub *Antoninis*, post mortem *Juvenalis*. Si autem, pergit *M. Larcher*, nomis

Inde furor vulgo, quod Numina vicinorum  
Odit uterque locus, cùm solos credat habendos

cis multis, inter rudera et vepres. Distat a *Copto*, a quo separatur Nilo flumine, XII tantum mill. pass. A.

36. Numina vicinorum odit uterque locus.] Diodor. Sic. lib. II, cap. 4, ait: *Apud priscos reges,*

*desciscente frequenter populo, quempiam prudentiâ conspicuum divisisse Aegyptum in varias partes, singulisque edixisse quæ animalia separatim colerent; eo consilio, ut, dùm certa quique animantia pro diis haberent, quæ ab aliis colerentur con-*

duobus in unum adunatis, nomen *Ombites* fuisset datum, tunc, *Ombitæ* Tentyritis finitimi quodam modo dici potuissent: at, contra, *Ombites* nomus nomen suum perdidit, *Thebites* vero servavit; et suum propositum hoc exemplo illustrat: *les Champenois et les Bourguignons sont limitrophes. Si le Lyonnais qui fait actuellement un gouvernement particulier était réuni à celui de Bourgogne sous le nom de Bourgogne, pourrait-on dire que les Lyonnais sont limitrophes des Champenois?* (Certe, non finitimi magis essent isti populi, quàm *Viennæ Austriacæ incolæ* et *Budenses*, *Austriaca* licet regio finitima sit regno *Hungariæ*). 3° Ratio petita e facilitate, quâ se super Nilo movebant *Aegyptii*, vim verbi *finitimos* nequaquam debilitat; neque impedit, quin multo probabilius sit *Coptitas* finitimos reipsa Tentyritis (distant tantum duodecim mill. pass.), iis præterea propter religionem adversos, propter mercaturam, et, certe, propter rixas, quæ inter vicinos frequenter oriuntur, suos hostes legitimos petiisse: satis per se ratio indicat *Ombitas*, qui longe aberant, et cùm Tentyritis parum commercii minoremque rixæ causam habebant, non debuissent inermes a loco tantopere distanti concurrere, et hostes intra Penates subsortes lacessere. Ex his supra memoratis, colligunt, *Juvenalem* scripsisse *Coptos*, non *Ombos*: sic quoque innuit *M. de Paw* (*Recherches philosophiques sur les Égyptiens et les Chinois*, tome II, page 160). His addo levem, fateor, ex nostris codicibus conjecturam arcessitam: sed ea, quæcumque sit, eruditorum supra citatorum sententiam corroborat. *Puteanus* codex, omnium nostrorum antiquissimus, habet *Copos*; cæteri omnes codd. *Combos*, seu *Combus*: error certe fuit in eo nomine scribendo: nam nulla, quod sciam, urbs exstat in *Aegypto* *Combos* nomine. Porro, si ea nomina *Coptos*, *Combos* et *Ombos* attente inspexeris, nonne probabilior tibi videbitur mutatio vocis *Coptos* in *Combos*, quàm *Ombos* in *Combos*: facilius est enim unam alteramve litteram mutare, quàm litteram initialem voci cuilibet addere aut detrahere. Vitioso autem vocis sonò, per sæcula IX et X, littera *m* multa in nomina, verba et adjectivos irrepsit: inde, ex voce *Coptos* erasa forte in cod. archetypo, aut omissa littera *r*, primi librarii scripserunt *Copos*, ut fert *Puteanus* codex, sequentes *Compos*: et, quia *compos* adjectivus est, non nomen urbis, scioli quidam

Esse Deos, quos ipse colit. Sed tempore festo  
 Alterius populi, rapienda occasio cunctis  
 Visa inimicorum primoribus ac ducibus, ne 40  
 Lætum hilaremque diem, ne magnæ gaudia cœnæ  
 Sentirent, positis ad templa et compita mensis,  
 Pervigilique toro, quem nocte ac luce jacentem  
 Septimus interea sol invenit. Horrida sane  
 Aegyptus: sed luxuriâ, quantum ipse notavi, 45

*temptis, alteri alteros perosi nequam simul adversus principes conspirarent: quod et secutum est: nam, etc.*

39. *Alterius populi.*] Tentyritarum scilicet, non Coptitarum, neque *Ombitarum*, ut alii volunt. Vid. var. lect. ad v. 35.

40. *Inimicorum primoribus ac ducibus.*] Coptitarum.

42. *Ad compita.*] Aegyptii *cibos palam, et extra sua tecta capiunt, obscœna intimis ædium reddunt.* Pompon. Mel. I, 9.

43. *Pervigilique toro.*] Lecto discubitorio, quo pervigiles epulas ex more agebant, genioque indulgebant per septem dies, totidemque noctes.

44. *Horrida sane Aegyptus.*] De illâ parte Aegypti, cujus hic sermo est, intellige, scil. de nomis Coptitarum, Tentyritarum, etc.

45. *Quantum ipse notavi.*] Inde facile sibi persuadebit lector Juvenalem in Aegypto mansisse: sed quo tempore, non æque certum est. Vid. Vit. ejus, T. II, p. 1.

correxerunt *Combos*; sed quia paulo sapientiores aliqui noverant urbem *Combos* nullam esse in Aegypto, dempta littera *c*, dixerunt *Ombos*. Ea sunt argumenta, quibus meam opinionem fulsi. Nec me pœnitet tantæ immutationis, cum omnia in meo sensu plana sint et intellectu facillima. *Coptitæ* Tentyritis finitimi atque infensi, religionis causâ, eos die festo, utpote quæ victoria facilis videbatur de madidis et vino sepultis, adoriuntur. Inermis primò uterque populus se ipsum pugnâ saxive defendit. Tentyritæ jam cedunt, et ad templa confugiunt: sed brevi civium suorum subsidiis aucti armis Coptitas depellunt, qui fugere coguntur. Fugiant *supra calidæ mœnia Copti*; forte sub mœnia urbis, quæ ad occidentalem Nili ripam sita, dicitur *contra Copton*. Ibi unus e Coptitis inter fugiendum cadit, atque a Tentyritis captus, in frustra conciditur et devoratur. Nullam unquam novi simpliciore simul et probabiliore loci obscuri interpretandi rationem: propterea etiam ad hanc commentarium meum accommodavi.

V. 44. *Interea.* Restitui ex nostris codd. tribus exceptis et vet. schol. qui habent *interdum*.

Barbara famoso non cedit turba Canopo.  
 Adde, quod et facilis victoria de madidis, et  
 Blæsis, atque mero titubantibus. Inde virorum  
 Saltatus nigro tibicine, qualiacumque  
 Unguenta, et flores, multæque in fronte coronæ: 50  
 Hinc jejunum odium. Sed jurgia prima sonare  
 Incipiunt animis ardentibus: hæc tuba rixæ.  
 Dein clamore pari concurritur, et vice teli  
 Sævit nuda manus: paucæ sine vulnere malæ:  
 Vix cuiquam, aut nulli, toto certamine nasus 55  
 Integer. Aspiceres jam cuncta per agmina vultus  
 Dimidios, alias facies, et hiantia ruptis

46. *Famoso.... Canopo.*] Vid. sat. I, v. 26.

47. *Adde, quod et facilis victoria.*] Victoriæ de Tentyritis tunc ebriis reportandæ facilitas Coptitas movit ad eos impetendos. — *De madidis.* Βεβρηγμένους, ebriis, sic vino madere, dilui, irrigari, etc.

48. *Blæsis.*] Balbutientibus: nam ebriis lingua sicuti corpus totum titubat, eaque non perspicue, neque omnia, quædam vero iterum atque tertium effutit. — *Inde.* Ex unâ parte, scil. Tentyritarum.

49. *Nigro tibicinè.*] Mauro, Aethiope tibiâ ludente, vel potius fusco Aegyptio, adeoque rudi, quod tamen ebrii parum curant. Sic Petron. fragm. II, 1: Memphitides puellæ

Sacris Deum paratæ;  
 Tinctus colore noctis,  
 Manu puer loquaci.

51. *Hinc jejunum odium.*] Contra vero Coptitæ jejuni et infesti. — *Jurgia prima.* Primo convicia, maledicta et probra.

52. *Hæc tuba rixæ.*] Incitamentum rixæ, instar tubæ, quæ dat signum certaminis: hinc illud triviale, a *verbis ad verbera*,

53. *Vice teli.*] Pro armis.

54. *Sævit nuda manus.*] Manus inermis, sine justis armis.

55. *Toto certamine.*] In totâ pugnantium turba. Agrestis autem rixæ, scil. quæ cum pugnis solis committitur, *nudæ pugnæ*, ut hanc vocat Stat. Theb. I, 43, festiva et perjucunda descriptio.

57. *Alias facies.*] Immutatas ac

V. 46. *Turba.* Pars dimidia nostrorum codd. habet *ripa*, id est, ripa orientalis Nili, in qua sita est *Coptus* civitas. Sic forte vet. schol. cujus glossa est, *Latina ripa*, scil. quæ tunc Latinorum sub potestate erat. Lectionem vulgatam secuti sumus.

Ossa genis, plenos oculorum sanguine pugnos.  
 Ludere se credunt ipsi tamen, et pueriles  
 Exercere acies, quòd nulla cadavera calcent. 60  
 Et, sane, quo tot rixantis millia turbæ,  
 Si vivunt omnes? Ergo acrior impetus: et jam  
 Saxa inclinatis per humum quæsita lacertis  
 Incipiunt torquere, domestica seditione  
 Tela; nec hunc lapidem, quales et Turnus et Ajax, 65

deformatas vulneribus et cruore.  
 — *Hiantia*. Detecta.

58. *Oculorum sanguine*.] Quos eruerint, aut cruentarint.

59. *Ludere se credunt*.] Ludicrum, non serium certamen agere putant, nisi quis interimatur, et conculcetur pedibus.

61. *Et, sane, quo tot rixantis, etc.*] Salsa ironia.

62. *Ergo acrior impetus*.] Virg. Aeneid. I, 150.

Jamque faces et saxa volant, furor arma ministrat.

63. *Inclinatis... lacertis*.] Non, ut quidam volunt, lacertis demissis ad saxa tollenda; sed *inclinatis* brachiis et reductis in modum circuli, ad vibrandum. A.

64. *Domestica seditione tela*.] In seditione, saxa telorum vicem subeunt: nam rixantibus saxa presto sunt; et ut ait Helioid. Aethiop. I. Τὸ γὰρ ἀφνίδιον τοῦ κακοῦ τὰς χειρῶν ἐκαινοτόμει καὶ βέλεσι κερῆσαι τοῖς ἐκπώμασιν ἐδίδασκεν.

— *Domestica*. Familiaris, consueta, propria.

65. *Nec hunc lapidem, etc.*] Non tam grandia jaciunt saxa, qualia olim, etc. Hic obiter notat et Homerum, et Virgilium, quòd, præter decorum, aliquando Heroes suos lapidibus concertasse canant; quòdque, præter verisimilitudinem, et hyperbole nimiam, eis saxa immensa tribuant jacienda. — *Quales Turnus, etc.* *Quales* plur. num. pro sing. vel potius, similem iis, quos *Turnus* torquebat in Aeneam, *Ajax* in Hectora, *Tydidēs* (Diomedes), in Aeneam. Virg. Aen. XII, sub finem: . . . . saxum circumspicit ingens, Saxum antiquum, ingens, campo quod forte jacebat

Limes agro positus, litem ut discerneret arvis.

Vix illud lecti bis sex cervice subirent, Qualia nunc hominum producit corpora tellus:

Ille manu raptum trepida torquebat in hostem.

V. 64. *Seditione*. Sic omnes fere codd. nostri. Quidam præeunte vet. schol. *seditioni*.

V. 65. *Quales et Turnus*. Codices XXX habent *quali se Turnus*. Male, inquit Al. Rup. nam hi saxis semet non percussisse dicuntur. Præstitit, *quali vel Turnus Aeneam percussit, vel quo Tydidēs coxam, etc.*

Vel quo Tydides percussit pondere coxam  
 Aeneæ; sed quem valeant emittere dextræ  
 Illis dissimiles, et nostro tempore natæ:  
 Nam genus hoc vivo jam decrescebat Homero.  
 Terra malos homines nunc educat atque pusillos. 70  
 Ergo Deus quicumque aspexit, ridet, et odit.  
 A deverticulo repetatur fabula. Postquam  
 Subsidiis aucti, pars altera promere ferrum  
 Audet, et infestis pugnam instaurare sagittis:

Altior insurgens, et cursu concitus heros.

— *Et Ajax.* Cùm certaret adversus Hectorem, Hectorque prius cepisset manu forti lapidem:

... Ἄϊας πολὺ μείζονα λαῶν ἀείρας  
 Ἡκ' ἐπιδινήσας. . . . .  
 Hom. II. VII, 268.

66. *Vel quo Tydides.*] De quo idem Hom. II. V, 302.

... Ὁ δὲ χερμάδιον λάβε χειρὶ  
 Τυδαίδης, μέγα ἔργον, ὃ οὐ δύο γ'  
 ἄνδρες φέρουσιν,

Οἷσι νῦν βροτοὶ εἰσι. . . . .  
 Ibidem; descriptio pugnae Diomedis cum Aenea.

69. *Nam genus hoc vivo.*] Hæc de humani generis decrescentiâ, non seriose a poëta dici crediderim; sed ironice potius: nam non erat is, qui Græcorum et priscorum commentis ac fabulis facile fidem adhiberet. A.

70. *Terra malos homines, etc.*] *Hoc majores nostri questi sunt, hoc nos querimur, hoc posteri nostri querentur, eversos esse mores, regnare nequitiam, in deterius res humanas*

*et in omne nefas labi.* Seneca de Ben. I, 10.

71. *Ergo Deus, etc.*] Facete poëta dicit: si quis Deorum homines, quos nostra fert ætas, aspiciat; *ridet*, quòd tam *pusilli* sint; *odit*, quòd tam mali.

72. *A deverticulo, etc.*] Poëta retexit telam narrationis a vers. 65, abruptam.—*Deverticulum.* Non diverticulum, ut omnes legunt: nam, *deverticulum* a *devertere*, hoc est, ab uno loco ad alium se convertere, *divertere* autem dicitur de iis duobus qui diversam instituunt viam; unde *diversus*, et alia. Quæ verba male a librariis confunduntur. Vid. Heins. ad Ovid. Am. II, 6, 9. Burman. ad Petron. 10. Bentley. ad Terent. Eun. et Ernest. Clav. Cic. Alex. Ruperti.

73. *Subsidiis aucti.*] Tentyritæ.

74. *Infestis.*] Infesta sagitta, infestum telum; non de telo hostili, vel inimico; sed de telo in aliquem, aut aliquid directo et illato.

V. 72. *Deverticulo.* Vide supra commentariam.



Terga fugâ celeri præstantibus omnibus, instant 75  
 Quî vicina colunt umbrosæ Tentyra palmæ.  
 Labitur hinc quidam, nimia formidine cursum  
 Præcipitans, capiturque: ast illum in plurima sectum  
 Frustra et particulas, ut multis mortuus unus  
 Sufficeret, totum corrosis ossibus edit 80  
 Victrix turba; nec ardenti decoxit aëno,  
 Aut verubus: longum usque adeo, tardumque putavit

75. *Terga fugâ celeri præstantibus.* ] Scil. Coptitis.

76. *Qui vicina colunt.* ] Periphrasis Tentyritarum: ex hoc versu et præcedentibus, Coptitas provocatores, Tentyritas autem propugnatores fuisse non male, etsi Juven. taceat, conjiciendum

est. Vid. ad. vers. 35. — *Tentyra.* Acc. plur.

77. *Quidam.* ] Ex Coptitis.

78. *Ast illum.* ] En horrenda cæna describitur!

80. *Sufficeret.* ] Ut quisque mortui partem aliquam habere possset.

81. *Nec ardenti decoxit aëno.* ]

V. 75. *Præstantibus omnibus, instant.* Ita vet. schol. et nostri codd. fere omnes. Frustra *Dusaulx*, ex fide codicum optimorum et vetustissimorum, nescio quorum, nam nullos consuluit, emendat, *præstantibus, omnes instant.* Scilicet, inquit, quia versus spondaicus auctoris sententiam vividius exprimit. Tanto melius, si hæc ita videt! Jos. Merceras, ex veteri scriptura, forte ejusdem farinae, quâ vet. codd. interpretis nostri, legit: *terga fuga celeri præstant instantibus Ombis.* Ordo et series narrationis satis indicant quàm falsa sit ejus emendatio: nam *Ombitæ*, vel potius *Coptitæ*, ut scripsimus sup. v. 35. Primo pugnis et saxis victores, postquam Tentyritæ subsidiis suorum civium aucti armis coeperunt uti, fugere inermes debuerunt: inde, iis *præstantibus terga fugâ celeri* institerunt, *qui vicina colunt Tentyra*, scil. Tentyritæ. Minime probabile est Tentyritas armatos hostes inermes fugere coactos fuisse. Præterea, si *Coptitæ* in hoc altero certamine victores iterum fuissent, non unum, sed plures *Tentyritas* devoravissent, urbem eorum populavissent, et forte solo æquavissent. Valeant ergo isti, qui aliter ac nos narrationem Juvenalis non adeo obscuram, quàm sibi finxerunt aliqui, emendare et interpretari student. — *Ibid. Terga fuga.* Sic omnes fere codd. nostri. *Quidam, terga fugæ.*

V. 76. *Palmæ.* Ridiculam est, inquit Al. Rup. *umbrosam palmam* pro palmetis intelligere. Inde suspicabatur *Pammæ* pro *Pampæ*, unde *Palmæ* fecerunt. *Pampæ*, addit idem, vicus vicinus Tentyris. Παμπανίς vocatur Ptolemæo. At duæ urbes exstant intra Tentyra et Pampam vicum: rejicienda igitur mihi visa est emendatio Salmasii et Al. Ruperti.

Exspectare focos, contenta cadavere crudo.  
 Hinc gaudere libet, quòd non violaverit ignem,  
 Quem summa cœli raptum de parte Prometheus 85  
 Donavit terris. Elemento gratulor, et te  
 Exsultare reor: sed qui mordere cadaver  
 Sustinuit, nihil unquam hac carne libentius edit.  
 Nam scelere in tanto ne quæras, et dubites, an  
 Prima voluptatem gula senserit: ultimus autem 90  
 Qui stetit absumpto jam toto corpore, ductis  
 Per terram digitis, aliquid de sanguine gustat.  
 Vascones, ut fama est, alimentis talibus usi

Lebete ardenti, aut bullienti.  
 83. *Exspectare focos.*] Hoc est, tempus, quòd ad carnem in foco vel coquendam, vel assandam requiritur.

84. *Quòd non violaverit ignem.*] Quem veluti sacrum gentes innumeræ coluerunt. — *Violari* autem et pollui dicebantur omnia ea quæ vel in alienum, multo magis in nefarium usum adhibebantur; vel a rebus hominibusque scelestis, et, aut physice, aut moraliter impuris contingebantur, imprimis res sacræ, quarum una erat præcipua ignis Vestæ et Vulcano sacer.

85. *Prometheus.*] Vid sat. IV, v. 133.

86. *Elemento gratulor.*] Igni, quòd non violatus sit. — *Et te. Volusi, mecum exsultare reor.*

87. *Sed qui mordere cadaver.*] Homo efferatus, qui naturam in se violavit, vel naturâ repugnante, nihil humanâ carne libentius comedit.

88. *Sustinuit.*] Ausus est. Verbum aptissimum tali facinoræ.

90. *Prima...gula.*] Primus, qui talem cibum gustavit.

91. *Ductis per terram digitis.*] Premens terram digitis, ut ex eâ sanguinem eliceret.

93. *Vascones, ut fama est, etc.*] Per comparisonem, exaggerat immanitatem Aegyptiorum. — *Vascones.* Populus Hispaniæ Terra-

V. 93. *Vascones, ut fama est.* Ita omnes fere codd. nostri. Britannicus tò ut delendum putabat, quòd, alioquin, syllaba secunda vocis *Vascones* hoc loco brevis esset. Eadem corripitur a Prudentio περὶ Στέφαν. I, 93, et a Paulino Nolano ad Auson. carm. X, v. 203, 212, 218. Ptolemæus tamen et Strabo III, scribunt Οὐάσκωνες, et τὸ τῶν Οὐάσκωνων ἔθνος; unde rectius legeretur *Vascones, fama est, vel Vascones, ut fama, alimentis.*

*Ibid. Usi.* Ita XXX codd. et edd. prisc. Quidam, præeunte vet. schol. olim. Illam prætulimus.

Produxere animas : sed res diversa , sed illic  
 Fortunæ invidia est , bellorumque ultima , casus 95  
 Extremi , longæ dira obsidionis egestas.  
 Hujus enim , quod nunc agitur , miserabile debet  
 Exemplum esse cibi ; sicut modo dicta mihi gens  
 Post omnes herbas , post cuncta animalia , quidquid  
 Cogebat vacui ventris furor , hostibus ipsis 100  
 Pallorem , ac maciem , ac tenues miserantibus artus ,  
 Membra aliena fame lacerabant , esse parati  
 Et sua. Quisnam hominum veniam dare , quisve Deorum  
 Urbibus abnuerit dira atque immania passis ;

conensis , ad Pyrenæi radices , in hodierna Cataloniâ , Arragonensi et Navarreo regno , a quibus oriundi Vascones , qui Galliæ Aquitanicæ partem ab ipsis *Gascogne* dictam , occupaverunt. Hujus gentis urbs præcipua erat *Calaguris* , ultra Iberum sita , Quintiliani patria , hodie *Calahorra* in veteri *Castella*.

94. *Animas*. ] Vitam.

95. *Fortunæ invidia est*. ] Quæ piis invidere consuevit : unde Stat. *Invida fata piis , et sors ingentibus ausis*.

96. *Longæ dira obsidionis egestas*. ] *Calaguris* enim *Sertorianas* partes secuta , et a *Pompeio Metello* que obsessa usque ad extrema est redacta. Val. Max. lib. VII , c. 6. *Numantinorum trucem pertinaciam in consimili facinore Calaguritanorum execrabilis impietas supergressa est : qui quo perseve-*

*rantius interempti Sertorii cineribus fidem præstarent , Cn. Pompeii obsidionem frustrantes ; quia nullam jam supererat animal in urbe ipsorum , uxores suas ac natos ad usum nefariæ dapis verterunt , etc.*

97. *Hujus enim*. ] Scilicet *Calaguritanorum*. — *Miserabile*. Misericordiam et veniam apud multos invenire debet.

98. *Cibi*. ] Ἀνθρωποφαγίας *Calaguritanorum*.

100. *Vacui ventris furor*. ] Ut improba ventris rabies , *Virg. Aen. II. 356*.

101. *Pallorem ac maciem*. ] Alimentorum inopia contractum.

102. *Esse*. ] Hoc loco , *mandere*. *Ovid. Metam , VIII , 877* : Ipse suos artus lacero divellere morsu Cæpit , et infelix minuendo corpus alebat.

104. *Urbibus... passis*. ] Hoc est , *Calaguri* , *Numantiæ* , *Sagunto*. Non

V. 104. *Urbibus*. Hanc lectionem revocavi ex optimo inter nostros codice Alexandrino , et tribus aliis , ratione et sensu postulante. Idem ac nos lectionem vulgatam *viribus* interpretantur : *viribus* , hoc est , *viris*

Et quibus illorum poterant ignoscere manes, 105  
 Quorum corporibus vescebantur? Melius nos  
 Zenonis præcepta monent: nec enim omnia, quædam  
 Pro vita facienda putat. Sed Cantaber unde  
 Stoicus, antiqui præsertim ætate Metelli?  
 Nunc totus Graias, nostrasque habet orbis Athenas. 110  
 Gallia causidicos docuit facunda Britannos:  
 De conducendo loquitur jam rhetore Thule.

poterat autem gravius exprimi miseratio, quâ digni videntur Calaguritani, Saguntini, etc.

106. *Melius nos.* ] Nos quidem Romanos meliora docuit Zeno Stoicorum princeps: scil. *quædam*, pro vita tuenda, facienda esse; sed non omnia: præsertim nefanda, et turpia, et impia; quod jam Sat. VIII, 83, noster his expressit verbis:

Summum crede nefas animam præferre pudori,  
 Et propter vitam vivendi perdere causas.

108. *Cantaber.* ] Hispaniæ gens fera et bellicosa, hodie Biscaia Vasconibus finitima.

109. *Antiqui... Metelli.* ] Hoc est, qui ævo veteri vixit. L. Cæcilius Metellus Pius Numidici filius, qui contra Sertorium cum Cn. Pompeio bellum in Hispaniâ gessit.

110. *Graias nostrasque... Athenas.* ] Scil. nunc in universo orbe vigent litteræ tum Græcæ, tum Romanæ. — *Athenas* autem vocat

litteras; quoniam in illâ urbe potissimum florere; unde Thucydidi ea urbs dicitur παιδευσι; τῆς Ἑλλάδος, Diodoro, κοινὸν παιδευτήριον πάντων ἀνθρώπων, et Ciceroni, pro Flacco, c. 26, *urbs, unde humanitas, doctrina, religio, fruges, jura, leges ortæ, atque in omnes terras distributæ putantur.*

111. *Gallia... facunda.* ] E Gallia transierunt in Britanniam disciplinæ liberales, et philosophiæ documenta. — *Facunda.* Vid. sat. I, v. 161.

112. *De conducendo, etc.* ] Hæc facete, et ὑπερβολικῶς dicta. — *Thule.* Insula Oceani Septentrionalis, nunc Islandia. De illa autem insulâ non satis constat inter recentiores. Multi enim Shetlandicas, Britannicæ insulas volunt, inter quos doctissimus *Danville* (*geographie ancienne*), et Eques *Keralio* in commentariolo, cujus mentio fuit in *Academia litterarum*, 12 Jan. 1781, et alios. Hi quippe, quodam Ta-

fortibus horrenda passis. At quàm contorta, et parum apta est eorum interpretatio! Nostra lectio satis auctoritate codd. Alexandrini firmatur.

V. 112. *Thule.* Fere omnes nostri codd. habent *Thyle*, seu *Thile*.

Nobilis ille tamen populus, quem diximus, et par  
Virtute atque fide; sed major clade Saguntus  
Tale quid excusat. Mæotide sævior arâ  
Aegyptus: quippe illa nefandi Taurica sacri

115

citi loco freti contendunt Romanos nec vidisse Islandiam, nec potuisse. Attamen, de hac insula loquitur Plin. Secund. lib. IV, cap. 16, his verbis: *ultima omnium quæ memorantur Thule, in quâ solstitio nullas esse noctes indicavimus, Cancris signum Sole transeunte: nullosque contra per Brumam dies. Hoc quidam senis mensibus continuis feri arbitrantur.* Quæ sane descriptio Shetlandicis insulis minime potest convenire. De eadem Thule Isidorus lib. XIV Etymologiarum ait: *Thile ultima insula Oceani, inter septentrionalem et occidentalem plagam, ultra Britanniam, a Sole nomen habens, quia in eâ æstivum solstitium facit.* Priscianus de eadem in Periegesi, manifestius quàm Isidorus:

Oceani tranans hic navibus æquor apertum,  
Ad Thilen veniens, quæ nocte dieque relucet  
Titanis radiis, eum curru scandit ad axes  
Signiferi, Boreas succendens lampade terras.

De eadem denique Julius Solinus, in collectaneis ita scripsit: *Thile ultima in qua æstivo solstitio, Sole de Cancris sidere faciente transitum, nox nulla; brumali solstitio, perinde nullus dies.* His autem, adde quam dedit descriptionem ampliore *Dicuil monachus, ex Theodosii Missis in libro, cui titulus:*

*De mensurâ orbis terræ, nunc primum in lucem edito, ab Athanasio Walckenaer, Parisiis, Typis F. Didot, MDCCCVII, pag. 29.* Ex his igitur testimoniis e variis etsi auctoribus, et diversis temporibus; attamen, in hoc concordantibus, a Plinio Secundo usque ad Caroli Magni tempora, ut nostram offerrent insulam qualem descriperunt recentiores navigatores, quod ad distantiam et solstitiorum effectus spectat; luce clarius apparebit nullam aliam fuisse unquam insulam, cui Thile, seu Thule nomen fuerit datum quàm Islandiam, ab antiquis tamen parum cognitam, et tantummodo leviter inspectam. A.

113. *Nobilis ille... populus.]* Vascones, Calaguritani.

114. *Sed major clade Saguntus]* Nam *Saguntus* expugnata ab Hannibale et excisa, postquam incolæ ex desperatione in rabiem versi, se conjecerant in rogam, vel invicem jugulaverant; Calaguritani autem obsidione liberati sunt.

115. *Mæotide sævior arâ.]* Ad quam homines mactabantur.

116. *Aegyptus.]* Scil. Tentyritæ. — *Taurica.* Chersonesus, hodie *Krim*, peninsula quam formant *Pontus Euxinus, la mer noire, et Palus Mæotis, la mer de Zabache ou d'Asoph.* Poëtæ hæc est sententia, his versibus et seqq. breviter expressa: *Aegyptiorum sævitia et*

Inventrix homines (ut jam quæ carmina tradunt  
 Digna fide credas) tantum immolat, ulterius nil  
 Aut gravius cultro timet hostia. Quis modo casus  
 Impulit hos? quæ tanta fames, infestaque vallo 120  
 Arma coëgerunt tam detestabile monstrum  
 Audere? Anne aliam, terrâ Memphitide siccâ,

feritas major, quàm quæ in Tauricâ Chersoneso exercebatur.

117. *Ut jam, etc.*] Iterum notantur a Juvenale commenta poëtarum. — *Ut jam.* Fac ut, si vel credas. — *Quæ carmina tradunt.* Poëtæ de Thoante, Iphigenia, Oreste, etc.

119. *Hostia.*] Homo immolatus. — *Quis modo casus.* Quæ calamitas et necessitas.

120. *Infestaque vallo arma.*] Hostiles copiæ circumvallatione, obsidione impulerunt, etc.

121. *Monstrum.*] Monstruosum scelus. Ἀνθρωποφαγίαν.

122. *Anne aliam, etc.*] Horum versuum hæc mihi videtur sententia, quam nullus interpretum, opinor, penitus intellexit: si Nilus iratus Aegyptiis nollet surgere, hoc est, Aegyptum inundatione secundare; numquid ad eum placandum, possent aliquid crudelius facere, quàm hominem immolare, et ejus membris vesci. Hoc loco, τὸ *invidia* non in eodem, quo vulgo sumitur, sensu, poëtam accepisse reor. Quivis Deus populo iratus pestes, famem, aliave mala in eum immittebat; tunc populus omnis, ad eum placandum, maxima sacrificia, atque etiam humana parabat; et, quo major hostia erat,

eo acrius, respectu tanti muneris, *invidia*, æmulatio Deo crescere putabatur: nam, beneficia non sine *invidia* quadam accipiuntur: inde, ad se beneficio liberandum, æmulatio *invidiæ* filia oritur in animo recipientis, cui nihil satis est, donec tale munus munere majore rependerit. Sic, *invidiam facere Nilo*, in sensu quidem abstrusiore, idem ac cogere eum maximis hostiis et muneribus, ut, etc. vel excitare ejus segnitiam. Fere pariter Ovid. de Art. Am. I, 648:

Dicitur Aegyptus carnisse juvantibus  
 arva

Imbribus, atque annos sicca fuisse  
 novem.

Cùm Thrasius Busirin adit, monstratque piari

Hospitis effuso sanguine posse Jovem.

Illi Busiris: fies Jovis hostia primus,  
 Inquit, et Aegypto tu dabis hospes  
 aquam.

Interpretes plerique sic: potuissentne Nilum majore scelere ita ad iram incitare, ut ille cresceret, et super stagnaret: sed ingrata est illa explicatio: nam irati Dii non bona, sed mala hominibus immittunt. Porro, Nili exundatio exoptatissima erat Aegyptiis. Quorundam sententiam malle

Invidiam facerent nolenti surgere Nilo?  
 Quà nec terribiles Gimbri, nec Britones unquam,  
 Sauromatæve truces, aut immanes Agathyrsi, 125  
 Hæc sævit rabie imbelle et inutile vulgus,  
 Parvula fictilibus solitum dare vela phaselis,

quæ ita est: potuissentne majore scelere Nilo iram et indignationem movere. Sed, tandem iram ejus movere, quâ de causa, nisi ut Nili segnitiam ulciscerentur? Ad meam igitur explicationem redeo. — *Memphitide terrâ.* Memphis urbs clarissima Aegypti, et caput regni ad Delta et sinistram Nili ripam sita, cujus rudera etiam nunc e regione urbis Cairo reperiuntur. A.

123. *Nolenti surgere Nilo.*] Varias incrementi Nili causas tradunt Herodotus II, 17. Diod. I, p. 53. Senec. Natur. Quæst. IV, 2, et alii.

124. *Cimbri.*] De his vid: sat. VII, v. 249. — *Britones.* Britannia populi, quos nunc Anglos vocamus. Sic dicti a voce *Brit*, quod proprie versicolore, depictum et coloratum denotat: nam fuit moris, ut Britannorum nurus cutem cæruleo colore inficerent: de quibus vid. Plin. XXII, 1.

125. *Sauromatæ.*] Vid. sup. ad II, 1. — *Agathyrsi.* Scythica gens

in Sarmatiâ Europæ, Gelonis contermina, ambiens Mæotidis paludis flexum.

127. *Fictilibus....phaselis.*] Strabo lib. XVII, p. 801, de mollitie Alexandrinorum Canopum in Nilo navigantium: Ἀντὶ πάντων δ' ἐστὶν ὁ τῶν πανηγυριστῶν ὄχλος τῶν ἐκ τῆς Ἀλεξανδρείας κατιόντων τῆ διώρυγι· πᾶσα γὰρ ἡμέρα καὶ νύξ πληθύνει τῶν ἐν ταῖς πλοιαρίοις καταλουμένων καὶ κατορχυμένων ἀνάσθησιν μετὰ τῆς ἐσχάτης ἀπολασίας καὶ ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν. Ibidem dicit tantâ facilitate navigari, ut scaphis etiam incolæ uterentur testaceis, quæ hoc loco *fictiles*, *phaseli* et *picta testa*. Vulgo hæ naviculæ *phaseli* dictæ, a forma leguminis cujusdam ex genere fabarum, Græcè φάσιλον. Papyraceæ aliæ erant, quibus erat nomen *Baris*. Sed quomodo, inquit, Grang. Testaceæ, vel fictiles cymbæ aquis sustinebantur? Minime physici est talis quæstio. Omne vas concavum, quælibet sit ejus materia, omnis cymba aquas super natat, dummodo sit illi

V. 124. *Britones.* Contra codices omnes et editt. Marklandus (Stat. Sylv. IV, 2, 38) reposuit *Teutones*, scil. dolens maculam suæ genti inustam. At futilis est ista emendatio: nam, his temporibus, *Cimbri*, *Teutones*, *Britones*, *Sauromatæ*, *Sycambri*, cæterique omnes Europæ septentrionalis populi truces et feri erant; nec inde sequitur Britannos hodiernos, *Francos*, *Germanos*, qui ab iis ortum ceperunt, ejusdem feritatis esse participes.

Et brevibus pictæ remis incumbere testæ.  
 Nec pœnam sceleri invenies, nec digna parabis  
 Supplicia his populis, in quorum mente pares sunt 130  
 Et similes ira atque fames. Mollissima corda  
 Humano generi dare se natura fatetur,  
 Quæ lacrymas dedit: hæc nostri pars optima sensûs.  
 Plorare ergo jubet causam dicentis amici  
 Squaloremque rei, pupillum ad jura vocantem 135  
 Circumscriptorem, cujus manantia fletu  
 Ora puellares faciunt incerta capilli.  
 Naturæ imperio gemimus, cùm funus adultæ  
 Virginis occurrit, vel terrâ clauditur infans,  
 Et minor igne rogi: quis enim bonus, et face dignus 140

pondus minus et superficies æqua aquæ columnæ ipsam sustentanti. A.

130. *In quorum mente pares sunt... ira atque fames.* ] Qui per iram ea committunt scelera, quæ sola fames quodammodo excusat.

131. *Mollissima corda, etc.* ] A v. 131, usque ad 158, pulcherrima misericordiæ et commiserationis adumbratio aureis sententiis undequaque expressa.

133. *Hæc nostri pars optima sensûs.* ] Optima indoles propria nostri animi est miseratio.

134. *Plorare jubet.* ] Ipsa humanitas lacrymas e nostris elicit oculis ad casum amici causam dicentis et ad squalorem rei. Solebant rei vestium affectare sordes et squalorem.

136. *Circumscriptorem.* ] Tuto-

rem, qui bonis eum fraudavit. De hoc verbo, vid. sup. sat. I, 46, et X, 22.

137. *Ora puellares, etc.* ] Cujus capilli puellares longi et fluentes, quales esse solent puellis puerisque delicatis, atque ora manantia fletu et lacrymis, incertum faciunt aspicientem, sitne puer, an puella. Venustæ idææ eleganter expressæ.

140. *Et minor igne rogi.* ] Junior, quàm ut fas esset cremari corpusculum. Plin. lib. VII, cap. 16: *editis infantibus primores septimo mense gigni dentes haud dubium.... priusquàm genito dente cremari mortuorum non est.* — *Et face dignus arcanâ.* Hoc est, vir probus, dignus qui mysteriis, sive sacris Cereris initiaretur. Quinto autem mysteriorum, et quidem

V. 134. *Dicentis.* XV codd. et edd. priscæ permultæ, inter quas Romana princeps, habent *lugentis*. At, in hoc sensu, legendum foret *casum*,



Arcanâ , qualem Cereris vult esse sacerdos ,  
 Ulla aliena sibi credat mala ? Separat hoc nos  
 A grege mutorum : atque ideo venerabile soli  
 Sortiti ingenium , divinorumque capaces ,  
 Atque exercendis capiendisque artibus apti , 145  
 Sensum a cœlesti demissum traximus arce ,  
 Cujus egent prona et terram spectantiâ. Mundi  
 Principio indulsit communis conditor illis  
 Tantum animas , nobis animum quoque , mutuus ut nos

magnorum die , qui dicebatur ἡ τῶν λαμπάδων ἡμέρα , in memoriam Cereris Proserpinam filiam accensis facibus quærentis , faces ardentes cum ante fores ponebantur , tum a viris feminisque gestabantur , unde δαδούχοι , et δαδουχεῖν τὰ μυστήρια. Hi itaque δαδούχοι non amplius μύσαι erant , vel ad mysteria parva tantum admissi , sed jam ἔφοροι sive ἐπόπται , quibus sacerdos Cereris ἱεροφάντης , ἱεροφύλαξ , mysteria magna et arcanas eorum ceremonias revelaverat , habitâ ante severâ quæstione de vitâ potissimum pure , et sancte acta : hinc vis verborum , qualem initiandum Cereris vult esse sacerdos. Alex. Rup.

142. *Ulla aliena sibi credat mala.* ] Hoc loco , venit in mentem ille Terentii Heautont. I , 1 , 25 versus :

Homo sum , humani nihil a me alienum puto.

143. *A grege mutorum.* ] Animalium. — *Venerabile* , . . . inge-

nium. Rationem et intelligentiam.

144. *Divinorumque capaces.* ] Rerum divinarum intelligentes.

146. *Sensum a cœlesti demissum traximus arce.* ] Cic. Tusc. I , n. 27 : *animorum nulla in terris origo inveniri potest. . . . ita quidquid est , illud quod sentit , quod sapit , quod vult , quod viget , cœleste et divinum est , ideoque æternum , etc.* Et Virg. Aeneid. VI , 730.

Igneus est ollis vigor , et cœlestis origo.

147. *Prona et terram spectantiâ.* ] Ovid. Met. I , 84:

Pronaque cum spectent animalia cætera terram ,

Os homini sublime dedit . . . . .

149. *Animas.* ] Anima , Græce ψυχή , vis vitalis , vegetalis ac sensitiva. Hanc solam animantibus tribuit conditor orbis. — *Nobis animum.* Animus Græce νοῦς , et φρήν. mens , vel id quod in nobis cogitat , intelligit , ac vult , et quo sapimus. En , hoc uno versu , ostenditur differentia inter voces anima et animus. A.

ut tres ferunt codd. non causam : nam lugemus casum amici , non causam. Qua propter , lectionem vulgatam retinuimus.

Affectus petere auxilium, et præstare juberet, 150  
 Dispersos trahere in populum, migrare vetusto  
 De nemore, et proavis habitatas linquere sylvas;  
 Aedificare domos, Laribus conjungere nostris  
 Tectum aliud, tutos vicino limine somnos  
 Ut collata daret fiducia; protegere armis 155  
 Lapsum, aut ingenti nutantem vulnere civem;  
 Communi dare signa tubâ, defendier iisdem  
 Turribus, atque una portarum clave teneri.  
 Sed jam serpentùm major concordia: parcit

150. *Affectus mutuus.*] Benevolentia atque amoris dulce commercium et communis utilitas sunt vincula societatis humanæ.

151. *Dispersos.*] Homines persylvas et deserta errantes.—*Trahere.* Congregare in populum.

153. *Laribus.*] Aedibus.

155. *Collata fiducia.*] Fiducia, et spes auxilii mutui, etiam noctu, nos præstaret tutos.—*Vicino limine.* Junctis ædibus, et vicino opem ferente vicinis.

156. *Nutantem.*] Labantem. Egregie autem his præcedentibus et infra, societatis commoda adumbrantur.

158. *Una portarum clave teneri.*] Vid. Athen. lib. XIV, cap. 23, ubi lepide Athenionis coquus arti coquinariæ tribuit ea omnia, quæ Juvenalis, hoc loco, humanæ rationi et philosophiæ tribuit.

159. *Sed jam serpentùm, etc.*] Magna orationis vi et gravitate increpatur odium, quo se invi-

cem homines consequuntur. At, quisquis es, Galle, vel Gallicam linguam edocte, confer illa Juvenalis, cum his *N. Boileau*, sat. VIII :

Voit-on les loups brigands comme nous inhumains,

Pour détrousser les loups, courir les grands chemins ?

Jamais pour s'agrandir, vit-on dans sa manie,

Un tigre en faction partager l'Hircanie ?

L'ours a-t-il dans les bois la guerre avec les ours ?

Le vautour dans les airs fond-il sur les vautours ?

A-t-on vu quelquefois dans les plaines d'Afrique,

Déchirant à l'envi leur propre république,

Lions contre lions, parents contre parents,

Combattre follement pour le choix des tyrans.

.....  
 L'homme seul, l'homme seul, en sa fureur extrême,

V. 154. *Limine.* Ita XX codd. et omnes fere edd. priscæ. Vet. schol. et recentiores quidam *limite*.

Cognatis maculis similis fera. Quando leoni 160  
 Fortior eripuit vitam leo? quo nemore unquam  
 Exspiravit aper majoris dentibus apri?  
 Indica tigris agit rabida cum tigride pacem  
 Perpetuam: sævis inter se convenit ursis.  
 Ast homini ferrum letale incude nefandâ 165  
 Procudisse parum est; cùm rastrâ et sarcula tantum  
 Assueti coquere, et marris ac vomere lassii  
 Nescierint primi gladios extundere fabri.  
 Aspicimus populos, quorum non sufficit iræ  
 Occidisse aliquem: sed pectora, brachia, vultum 170  
 Crediderint genus esse cibi. Quid diceret ergo,  
 Vel quo non fugeret, si nunc hæc monstra videret  
 Pythagoras, cunctis animalibus abstinuit qui  
 Tanquam homine, et ventri indulsit non omne legumen?

Met un brutal honneur à s'égorger soi-même, etc. A.

160. *Maculis similis fera.*] Feræ easdem maculas habentes, ut pardus, lynx, tigris, etc.

168. *Gladios extundere.*] Primi fabri ex ferro instrumenta tantum rustica parabant, non gladios.

169. *Populos.*] Ut Tentyritas, ad quos revertitur.

171. *Quid diceret ergo.*] Similis orationis color, sup. sat. II, 1,

seq. et 153.

173. *Pythagoras.*] Recte opponitur antropophagis Pythagoras, qui a cunctis animalibus, atque etiam a quibusdam leguminibus abstinebat.

174. *Tanquam homine.*] Tanquam animalia non differrent ab hominibus, quia animæ illis essent, quæ in corpora eorum transmigrassent e corporibus humanis. de Pyth. vid. sup. XIV, 98.

V. 163. *Rabida.* Codd. quidam habent *rapida*. At perfacilis simul ac solemnis hujusmodi error.

V. 168. *Extundere.* Codd. pars una ita habet, pars secunda *extendere*, et tertia *excudere*. Non facilis est delectus. At in codd. per *compend.* script. fuit *extndere*. Unde prima et secunda pars consentiunt. Præterea, aptius hoc loco *extundere* videtur.

---

# SATIRAE DECIMAE SEXTAE

## ARGUMENTUM.

### MILITIAE MORES ET COMMODA MAGNA VIDETE.

Hâc satirâ Juvenalis militiæ commoda recenset, aut potius sibi recensenda proponit. Et, primo, orditur ab immunitate huic conditioni propria, quæ ea erat, ut impune lædi non posset miles, et ipsi tuto quem vellet offendere liceret, propter illud privilegium a Camillo legionibus concessum, ac deinde tum Consulibus, tum Imperatoribus confirmatum, scilicet, ne quis arma tractans extra vallum litigare cogeretur: quo fiebat, ut nemo togatus a milite male habitus ausus esset eum in jus vocare, cùm apud judicem centurionem, *Bardaicum*, et commilitones assessores, certe reo faventes, dicturus, non justitiam, sed injuriam inde ferret majorem (7 — 34). Opponit deinde quòd, contra, militibus confestim, et quoties lubeat, jus dicatur, et neque initium, neque finis litium in longinquum differatur tempus (35 — 50); quòd proprium sit eis peculium castrense, et potestatem extra paternam, unde ipsi facultatem testandi, vivo adhuc patre, habeant (51 — 56); quòdque phaleras, torques, aliaque virtutis bellicæ ornamenta consequantur, cùm ducis intersit milites suos honorare et locupletari (57 — 60).

Ea autem satira longe stylo cæteris inferior, mutila potius quàm numeris absoluta omnibus, uno verbo, tanti satirici, ac præsertim auctoris *Rhombi*, *Nobilitatis*, *Votorum*, indigna videtur; etsi, tamen, in priore parte, sub specie militiæ commoda recensendi, nimiam militum insolentiam tectâ ironiâ, et fictis laudibus perstringit; unde criticis quibusdam venit in mentem, aut illud opus non esse Juvenalis, sed tironis cujusdam in satirico genere, non invitâ quidem Minervâ, se exercitis, aut ab auctore nostro jam sene, imperfectum fuisse

#### 558 SATIRAE DECIMAE SEXTAE ARGUM.

relictum. Hanc litem provocare facilius est quàm dirimere, cum potissimum eadem in vetustissimis codd. aut penultima aut ultima legatur, et a quibusdam ex antiquis, scilicet, a Servio in Virgil. Aeneid. I, II, et Prisciano lib. VIII, cap. 9 et 14 laudetur atque citetur. De tempore quo scripta fuerit, non constat: sed, ut conjiciunt critici, eo ipso tempore quo in Aegyptum relegatus fuit, hoc argumentum auctor tractasse videtur.



---

---

## SATIRA XVI.

### MILITIAE COMMODA.

QUIS numerare queat felicitis præmia, Galle,  
Militiæ? Nam si subeantur prospera castra,  
Me pavidum excipiet tironem porta secundo  
Sidere: plus etenim fati valet hora benigni,  
Quam si nos Veneris commendet epistola Marti, 5  
Et Samiâ genitrix quæ delectatur arenâ.  
Commoda tractemus primum communia, quorum  
Haud minimum illud erit, ne te pulsare togatus  
Audeat: immo et, si pulsetur, dissimulet, nec

1. *Galle.*] Amicus Juvenalis, cujus passim meminit Martialis.

2. *Nam si subeantur, etc.*] Ego certe, si qua daretur occasio militandi fortunatis in castris, licet tiro plane sim, ac pavidus; non dubitem, fato annuente, faustisque ominibus, portam castrorum ingredi.

3. *Porta.*] Portam signanter dici putabat Grang. quia castrorum aggerem subire capitale fuit.

4. *Plus fati valet hora benigni.*] Felix genesis, ac fatum plus valet, quam favor Martis præsidis bellorum nobis, per litteras, et preces Veneris, ac Junonis conciliatus.

5. *Veneris.*] Amasiæ Martis.

6. *Genitrix.*] Juno Martis mater. — *Samiâ.... arenâ.* Hoc est, Samo insulâ arenosâ et sterili in mari Icario, nunc *Sussam Adassi* dicta. Ibi celeberrimum Junoni templum erat ac festum.

7. *Commoda.... communia.*] Omnibus militibus. Plaut. in *Milite*: An quia latrocinamini, arbitramini Quidvis licere facere vobis, verbero?

8. *Togatus.*] Civis, Quiris, Gall. *un bourgeois*, opponitur sagato.

9. *Immo et, si pulsetur.*] Alludit ad hæc, quæ supra sat. III, 289: Si rixa est, ubi tu pulsas, ego vapulo tantum.

Primum igitur militiæ commodum, ne quis impune militem lædat, nec ipse pulsatus a milite

V. 2. *Subeantur.* Ita XXVIII ex nostris codd. et edit. Rom. princeps: X fere *subeuntur*.

V. 3. *Excipiet.* Pars maxima codd. habet *excipiat*. At, priorem prætuli, propter verbum *subeantur*, versu præcedenti.

Audeat excussos Prætori ostendere dentes, 10  
 Et nigram in facie tumidis livoribus offam,  
 Atque oculos, medico nil promittente, relictos.  
 Bardaicus judex datur hæc punire volenti,

ad Prætozem eat : nam, Prætor judex militis non est, sed Centurio. De commodis militum, vid. Tit. ff. de re milit. et Salmas. obs. ad. jus Att. c. 21.

10. *Prætori.* ] Judici.

11. *Offam.* ] Cicatricem, vibicem in vultu, carnis tumorem ac livorem ex percussione, proprie massam carnis aliarumve rerum rotundam et in tumorem crescentem, imprim. globum farinæ conspersæ, μάζα, ὄμπνη, Acol. ὄπνη, unde Lat. *offa*.

12. *Atque oculos... relictos.* ] Adeo deformatos. — *Medico nil promittente.* Ut nil opis salutisque medicus promittat.

13. *Bardaicus judex etc.* ] Poëtæ mentem penitus hoc loco cepisse solus mihi videtur Henninius; cujus hæc est nota : « vulgo, « inquit, non perspiciunt hujus « loci argutiam et acrimoniam. « Militarem licentiam et petulan-

« tiam, quâ insultabatur Roma-  
 « nis civibus imperatoris sæculis,  
 « traducit : hinc exandescit,  
 « notanter ita loquitur, a milite  
 « pulsatos excussos dentes, faciem  
 « lividam, extusum oculum, non  
 « audere Prætori deferre, sed dissi-  
 « mulare hanc contumeliam; aut  
 « si omnino hanc puniri velint,  
 « quid tum? adeundi sunt Cen-  
 « turiones, quorum de milite est co-  
 « gnitio : ex instituto enim Camilli  
 « non licebat militi extra vallum li-  
 « tigare. Quid ulterius? Dabitur  
 « tibi togato, civi Romano, libero,  
 « Bardaicus judex, id est, Centu-  
 « rio miles ex servili illâ tradu-  
 « ce, qui a suis dominis fugitivi  
 « Cinnanæ Marianæque sævitiae  
 « quondam satellites fuerant, ut  
 « ex Plut. Mario constat. At qui-  
 « nam hi Bardæi, vel Bardicæi Ma-  
 « rii? Glossæ Latino-Græcæ :  
 « *Bardei* Ἰλλυριοὶ δοῦλοι, οἱ καὶ ἀγῶ-  
 « νισάμενοι ὑπὲρ τῆς Ἰταλίας, κατὰ

V. 12. *Oculos... relictos.* Ita omnes nostri codd. vet. schol. excepto, et tribus, qui legunt *oculum... relictum*.

V. 13. *Bardaicus.* Codd. dimidia pars scribit *Bardiacus*, ut et edd. permultæ. Qui ita legunt, interpretantur de cucullis quos e Gallis, Santonibus, et Lingonibus Romam mitti solitos, ex eodem poëta sat. VIII, v. 145, constat; alii, de sagulo militari, e pilis caprorum; alii, hoc verbum volunt esse epitheton calcei, ut ex habitu designet centurionem, qui et calcæis ciliceis utatur, et tibialibus, quales calcei apud Martial. XIV, 140 inscribuntur. Hæ porro variæ explicationes quid faciunt ad rem? Nisi ut illud solum demonstrent, Juvenalem ad contemptum eo verbo fuisse usum. Nobis vero Henninii interpretatio cæteris præstare videtur. Vid. sup.

Calceus, et grandes magna ad subsellia suræ,  
 Legibus antiquis castrorum, et more Camilli 15  
 Servato, miles ne vallum litiget extra,  
 Et procul a signis. Justissima Centurionum  
 Cognitio est igitur de milite; nec mihi deerit  
 Ultio, si justæ defertur causa querelæ.  
 Tota cohors tamen est inimica, omnesque manipuli 20  
 Consensu magno efficiunt. Curabitis ut sit

« Κίννου καὶ Μαρτίου στρατησάμενοι·  
 « καὶ ἐκ τούτου τυραννῆσαι, κατὰ  
 « τῶν δεσποτῶν. Consentire hisce  
 « glossis videtur Plinius III,  
 « 22. Hinc apparet, subtilissime  
 « *Bardaicum judicem* introduci,  
 « qui de causâ inter togatum et  
 « militem cognoscat, eumque ju-  
 « dicem non ab ingenio, aut ju-  
 « dicio censendum, quàm potius  
 « *calceis*, et *grandibus* crassisque  
 « *suris*, quibus ad iniquum tribu-  
 « *nalservilis* propago, de homine  
 « libero judicatura accedat. Latet  
 « et aculeus in recessu, quo pun-  
 « git inertiam suorum civium,  
 « qui a peregrinis e sterquilinio  
 « effossis patiebantur sibi milita-  
 « res dignitates præripi. Qui ali-  
 « ter explicant, nugantur. » Cæ-  
 « terum in eodem sensu hunc lo-  
 « cum cepisse videtur, ac supra  
 sat. VII, 17, *bubulco judice*. A.

14. *Calceus*.] Scil. militis, cali-  
 gula, phæcasium, de quo vid. sup.  
 III, 218. Hæc, *Calceus*, *grandes*  
*suræ*, intellige de judice Centurio-  
 ne bardaico et caligato, atque de  
 assessoribus ejus, ut ipse judex,

militaribus. — *Subsellia*. Non ju-  
 dices tribunal, sed sedes assessorum,  
 patronorum, quæ erant  
 satis magnæ, ut alios honestiores  
 viros reciperent.

15. *Et more Camilli*.] M. Furius  
 Camillus in obsidione Veiorum,  
 edixit, ne quis miles in jus voca-  
 retur extra castra; sed apud judi-  
 ces militares causam diceret, sci-  
 licet, ut præsto essent ad nutum  
 ducis: qui mos et stante repu-  
 blicâ, et postea viguit.

17. *Justissima Centurionum*.] Ob-  
 jectio supposititia, quam statim  
 diluit. — *Centuriones* autem de  
 levibus causis, præside Tribuno  
 militum, cognoscebant; et primi-  
 pili etiam in magnis Imperatori  
 aderant cum tribunis.

20. *Tota cohors*.] Responsio  
 poëtæ. Tota legio obstrepit in ju-  
 dicio, ne damnetur commilito.  
 — *Omnesque manipuli*. In legione X  
 sunt cohortes, et XXX manipu-  
 li. Manipulus habebat CC mili-  
 tes, scil. duas centurias.

21. *Efficiunt*.] Impediunt, et  
 ipsi te ut hostem aspiciunt, at-

V. 21. *Efficiunt*. Ita plerique ex nostris codd. Vet. schol. et quidam alii  
 habent, *efficiunt*, quod verbum sequentibus sic aptant: *consensu magno*



Vindicta gravior quàm injuria? Dignum erit ergo  
 Declamatoris Mutinensis corde Vagellî,  
 Cùm duo crura habeas, offendere tot caligas, tot  
 Millia clavorum. Quis tam procul absit ab Urbe? 25  
 Præterea, quis tam Pylades, molem aggeris ultra  
 Ut veniat? Lacrymæ siccentur protinus, et se

que exagitant. — *Curabitur ut sit.*  
 An esses sanæ mentis, si graviori  
 etiam injuriæ occurreres? Verba  
 poëtæ ad amicum.

22. *Vindicta gravior, etc.*] Ul-  
 tio quam ex te petent, propter ac-  
 cusatum commilitonem erit gra-  
 vior, etc.

23. *Mutinensis corde Vagellî.*] Hunc  
 oratorem, seu potius declama-  
 torem eandem ob causam memo-  
 rat, scil., ob stoliditatem, et  
 stultitiam, sat. XIII, 119.

24. *Cùm duo crura habeas.*] Face-  
 te, cùm crura habeas, quæ clavis  
 undique pungi possent, stultum  
 est offendere tot milites caligatos,  
 quorum caligis tot millia clavo-  
 rum suffixa sunt. De *clavis cal-  
 ceamentorum*, vid. sup. III, 248.

25. *Quis tam procul absit ab Ur-  
 be.*] Quis rerum urbanarum tam  
 imperitus, tamque militum inso-  
 lentia ignarus, etc. Sic omnes  
 interpretes: melior tamen Alex.  
 Rup. interpretatio. « Quis tam  
 « procul ab Urbe abesse susti-  
 « neat, ut milites accusandi cau-  
 « sâ, ad castra et exercitum  
 « longe Roma remotum profi-  
 « ciscatur? Ita, melius cohærent  
 « sequentia, v. 26. »

26. *Præterea, quis tam Pyla-  
 des, etc.*] Quis tam amicus ali-  
 cui est, ut tot periculis, amici  
 causâ, sponte velit occurrere,  
 et tam longinquum iter ingredi,  
 ut ei succurrat, qualis Pylades,  
 qui ubique Oresti adfuit.

27. *Lacrymæ siccentur protinus.*]

*efficiunt, curabilis (pro curabitur) ut sit vindicta, et gravior quàm injuria.*

*Ibidem. Curabitur.* Ita quoque plerique ex nostris codd. Alii, *curabilis.*  
 Non male quoque, neque absurdum: sed, potior lectio nostra videtur.

V. 22. *Vindicta gravior.* Ea est lectio plerorumque codd. et edd.  
 Perperam interpp. quidam inserunt τὸ et, propter metrum laborantem:  
 nam, per Græcam positionem, syllaba utique finalis natura brevis, ob  
 cæsuram, aut sequentibus duabus consonantibus, modo producitur,  
 modo corripitur. Vid. sup. ad VIII, v. 107, et Virg. in multis locis.

V. 23. *Mutinensis.* Ita XXXVI tum ex nostris codd. tum ex Rupertianis.  
 Alii, nescio quâ ratione, habent, *mulino*, quod quidam interpretantur,  
*mulino corde*, id est, ignavo. Eadem varietas lectionis erat temporibus  
 vet. schol. id enim commemorat.

V. 24. *Tot caligas, tot millia clavorum.* Omnes fere nostri codd. habent,  
*tot caligatos, millia clavorum.* IV tantum, et cod. MS. Dempsteri, *tot ca-*

Excusaturos non sollicitemus amicos.  
 Da testem, judex quem dixerit: audeat ille  
 Nescio quis, pugnos vidit qui, dicere, vidi, 30  
 Et credam dignum barbâ, dignumque capillis  
 Majorum. Citius falsum producere testem  
 Contra paganum possis, quàm vera loquentem  
 Contra fortunam armati, contraque pudorem.  
 Præmia nunc alia, atque alia emolumenta notemus 35  
 Sacramentorum. Convallem ruris aviti  
 Improbus, aut campum mihi si vicinus ademit,  
 Aut sacrum effodit medio de limite saxum,

Ergo melius acceptam a milite injuriam dissimulare.

28. *Excusaturos (se).*] Detrectaturos officium tam periculosum.

29. *Da testem, etc.*] Esto, sit tibi dandus testis tuorum verberum. — *Quem judex dixerit.* Scilicet acceperit, vel potius, quem addixerit ad testimonium.

30. *Vidi.*] Vid. sup. sat. VII, 13.

31. *Dignum barbâ.*] Antiquæ virum fidei, et virilis constantiæ, quales erant majores nostri, cum mos nondum esset barbam tondere, et capillos alere.

33. *Paganum.*] Togatum. Vid. sup. ad vers. 8.

34. *Fortunam.*] Bona et libertatem. — *Pudorem.* Bonam famam et honorem.

35. *Præmia nunc alia, etc.*] In

judiciis urbanis lente omnia procedunt: at lites militum sine mora dirimuntur; quod est emolumentum præcipuum.

36. *Sacramentorum.*] *Sacramentum*, proprie jusjurandum militare: hic, pro militibus ipsis ponitur. Post habitum delectum, milites in manu ducis jurabant; alioquin, hostes nec lacessere, nec ferire fas erat. — *Convallem.* Agrum vallis septum, ab avis majoribusque jure hereditario transmissum.

38. *Sacrum effodit de limite saxum.*] Protulit limitem agri, suo adjuncturus, quod de meo derasisset. — *Sacrum... saxum.* Lapidem terminalem inter duos agros, et in eorum confinio positum, qui tam sacer erat, ut Dei loco coleretur, *Jovi Terminali* dicatus;

*ligas, tot millia clavorum, quam lectionem recepimus, veluti priori anteponendam.*

V. 29. *Judex quem dixerit.* Ita omnes nostri MSS. et EDD. antiquiores libri. Recentiores quidam interpp. suâ auctoritate, reposuerunt, *judex eum dixerit*: at, illud non adeo erat necesse.

Quod mea cum vetulo coluit puls annua libo ;  
 Debitor aut sumptos pergit non reddere nummos, 40  
 Vana supervacui dicens chirographa ligni :  
 Exspectandus erit, qui lites inchoet, annus  
 Totius populi : sed tunc quoque mille ferenda  
 Tædia, mille moræ, toties subsellia tantum  
 Sternentur, jam facundo ponente lacernas 45  
 Cædicio, et Fusco jam micturiente, parati

utque eum violare, et fraude mala loco movere summum nefas esset, jam inde a Numæ temporibus, atque hæc lex lata exstat :  
 QVI. TERMINOM. EXARASIT. IPSVS. ET BOVEIS. SACREL. SVNTO.

Vid. Gothofred. ad l. 1. D. de termino moto. — *Effodit*. Docte pro *evellit*, *convellit*, *transtulit*. Antec. pro conseq. ponitur.

39. *Quod mea cum vetulo*.] Cujus agri cum sim vetus possessor, ex more, Jovi ac Termino dudum, quotannis sacrifico, pulstem ac liba ponens super saxum. Vid. sup. ad III, 187 : id ex instituto Numæ, qui frugum primitias *Termino Deo* sacrificari jussit : Dionys. Hal. lib. II, 9 : postea vero, agni etiam et sues eidem sacrificabantur.

40. *Sumptos. . . nummos*.] Acceptos vel fenore, vel mutuo.

41. *Vana supervacui*.] Idem versus legitur ad XIII, 137.

42. *Exspectandus erit. . . annus*.]

Annum, vel longinquum tempus. In eodem sensu quo ap. Terent. *Dum comuntur, dum ornantur, annus est*. — *Qui inchoet*. Dum lites mea incipiat, nedum finiat. — *Totius populi*. Dum lites totius populi incipiant, annus exspectandus est ; tanta est multitudo litium totius populi, ut spes meæ lites inchoandæ diu differenda sit.

43. *Tunc quoque*.] Lite jam inchoatâ.

44. *Toties subsellia . . . sternentur*.] Parabuntur et ornabuntur.

45. *Jam facundo . . . Cædicio*.] Judice, forte eodem, de quo sup. sat. XIII, v. 197. — *Ponente lacernas*. Ut æstum vitet, et frigus captet, vel potius : *lacernam* (Gall. *surtout*, *manteau*.) deponit, ut vestem judicialem sumat.

46. *Fusco jam micturiente*.] De eo Fusco jam sermo fuit sat. IV, v. 112. Idem quoque Aurelius Fuscus, apud Martial. VII, 28,

V. 39. *Vetulo*. Ita omnes, VI exceptis, qui habent *patulo*. At nostra lectio haud dubie exquisitior. Vid. sup. comment.

V. 45. *Sternentur*. Tres vel quatuor codd. habent *sternuntur*.

*Ibidem*. *Lacernas*. Quidam codd. et edd. priscae, inter quas Romana princeps, *Lucernas*. Non male quoque, dummodo reponatur *poscente*

Digredimur, lentâque fori pugnamus arenâ.  
 Ast illis quos arma tegunt, et balteus ambit,  
 Quod placitum est ipsis, præstatur tempus agendi,  
 Nec res atteritur longo sufflamine litis. 50  
 Solis præterea testandi militibus jus  
 Vivo patre datur: nam, quæ sunt parta labore

ob bibacitatem notatur. — *Micturiente.* Locum hunc explicat id quod de ejusmodi iudiciis habet Macrobius lib. III, cap. 16. *Ludunt aleâ studiose unguentis delibuti...* Ubi horæ decem sunt, jubent puerum vocari, ut comitium eat percunctatum, quid in foro gestum sit, qui suaserint, qui dissuaserint: quot tribus jusserint, quot vetuerint. Inde ad comitium vadunt, ne litem faciant suam. Dum eunt, nulla est in angiporto amphora, quam non impleant; quippe qui vesicam plenam vini habeant. Veniunt in comitium tristes, jubent dicere, quorum negotium est, narrant: iudex testes poscit: ipse it minctum. Ubi redit, ait se audivisse omnia, tabulas poscit, litteras inspicit, vix præ vino sustinet palpebras. — *Parati.* Ad dicendum.

47. *Digredimur.* ] Re infectâ. — *Lentâque fori pugnamus arenâ.* Vix litis nostræ finem videmus. Metaphora, petita a Circo, et gladiatoribus.

*Lucernas,* ut sententia hujus loci sit: « Cum tantum temporis expectaveris, quantum loquacissimos causidicos diem dicendo eximere suetos, in Urbe lassare possit, ut alter ad indicandum serum diei tempus lucernam poscat; alter urinæ injuriâ vix morari sustineat; abibis tamen non solum non expedito negotio, sed nec propositâ actione. » Barth Advers. XIV, 16.

48. *Ast illis quos... Balteus ambit.* ] Militibus.

50. *Nec res atteritur.* ] Res, causa, actio ejus non atteritur, deterior, vel pejor fit dilatione. — *Atterere,* ut Græc. τριβεῖν et ἐπιτριβεῖν, comminuere, imminuere, infirmare. — *Longo sufflamine.* Longâ morâ. Vid. sup. ad VIII, 148.

51. *Solis præterea militibus, etc.* ] Justinian. de militari testamento. Ulpian. in lege 1. Digest. de testam. milit. sic habet: *militibus liberam testandi factionem primus quidem D. Julius Cæsar concessit: sed ea concessio temporalis erat. Postea vero D. Titus dedit: post hunc Domitianus: postea D. Nerva plenissimam indulgentiam in milites contulit: eamque et D. Trajanus secutus est.*

52. *Nam, quæ.* ] Id igitur militibus privilegii concessum est, ut ea, quæ a se parta essent, labore militiæ, hoc est, stipendium, præmia, prædas, aliaque in bello ac-

Militiæ, placuit non esse in corpore censûs,  
 Omne tenet cujus regimen pater. Ergo Coranum  
 Signorum comitem, castrorumque æra merentem, 55  
 Quamvis jam tremulus, captat pater: hunc labor æquus  
 Provehit, et pulchro reddit sua dona labori.  
 Ipsius certe ducis hoc referre videtur,  
 Ut, qui fortis erit, sit felicissimus idem,

quisita, quidquid, uno verbo, *peculium castrense* dicitur, possent ad voluntatem suam gerere et legare. A.

53. *Non esse in corpore censûs.*] Non esse in summa honorum filii, quorum dominium per leges habebat pater; hoc est, non paternæ potestati obnoxia esse.

54. *Ergo Coranum.*] Quæ cum ita sint, pater Corani jam *tremulus* capite, hoc est, senio confectus filium suum militem captat, ut heres ab eo scribatur bonorum suorum. Jam, satirâ XII, versu 93, captatorum artes perstrinxerat; hoc loco, nobis ostendit patrem ipsum filii sui testamenti captatorem; quo rei indignitas augetur.

55. *Signorum comitem.*] Ad bella proficiscentem. — *Castrorumque æra merentem.* Stipendium merentem, accipientem, hoc est, militem.

56. *Hunc labor æquus.*] Cora-

num, militem labor æquus provehit. *Aequus* autem appellatur *labor*, quia æquum est unicuique, pro patriâ laborare.

57. *Pulchro... labori.*] Hoc loco, quàm insulsa esset hæc phrasis, *labor æquus reddit sua dona labori*, jam pridem animadvertit Britannicus, deinde interpret Gall. *Dusaulx*, et post hunc Alex. Rup. qui, ex Britannico, sic corrigendum proponit:

..... hunc labor æquus  
 Provehit: et pulchro reddi sua dona  
 labori,

Ipsius certe ducis hoc referre videtur.

Ita ut, ea sit interpretatio: « mi-  
 « litem *labor æquus provehit* ad ho-  
 « nores et præmia, coronas; et,  
 « reipsa, *videtur hoc referre ducis*,  
 « scil. sua præmia *reddi labori pul-  
 « chro.* » non male sic oratio fluit,  
 et ingrata lectio rejicitur. A.

58. *Ut qui fortis erit.*] Aequè ducis interest, ut et fortissimus, et felicissimus idem sit.

V. 56. *Hunc labor æquus, etc.* Vid. sup. comment.

V. 59. *Ut qui fortis erit.* Ita fere omnes codd. nostri. Quidam habent *quis*, minus bene. IV, *ut, qui sit fortis, sit felicissimus idem*, forte rectius.

Ut læti phaleris omnes, et torquibus omnes.

60

60. *Phaleris et torquibus.*] Ornamenta militaria. Differunt autem *torques* a *phaleris*, qua ratione Dionys. distinguit *ερεπτοὺς καὶ τὰ φάλαρα*. Et Lipsius de Milit. Rom. Dial V. putat *torques* stringere magis, et ambire etiam collum; *phaleras* vero demissas ad pectus pendere. In formâ etiam eandem esse diversitatem putant inter *phaleras* et *torques*, quòd *phalera* planæ et magis jacentes, *torques* autem contorti, ut ex etymologia patet. Vide præterea de *phaleris* Marci. ad Pers. sat. III, et Sil. XV, 254 seqq.

V. 60. *Ut.* Quidam codd. habent *et*, male.

**MENSURAE ROMANORUM.**  
**LINEARES. (1)**

**PAUCTONIVS.**

(Tabula I.)

**IN MENSURAS  
GALLICAS  
CONVERGIO.**

	Metres. Mill. m.
Scrupulum . . . . .	0—001.073
6   Sicilicus . . . . .	0—006.438
8   1 1/3   Duella . . . . .	0—008.583
12   2   1 1/2   Semi uncia . . . . .	0—012.875
18   3   2 1/4   1 1/2   Digitus . . . . .	0—019.310
24   4   3   2   1 1/3   Uncia . . . . .	0—025.750
72   12   9   6   4   3   Palmus . . . . .	0—077.250
288   48   36   24   16   12   4   Pes, as . . . . .	0—309.0018
432   72   54   36   24   18   6   1 1/2   Cubitus . . . . .	0—463.503

(1) Hi autem numeri et sequentes ad eos, qui ex computatione eruditi viri Romé de Lisle oriuntur, veniunt in ratione perfecta veluti 1 ad  $\frac{65110}{8839} = 1:0,953$ , exceptis  $\frac{4}{10000}$ .

N. B. Ex metro ita constituto, 1 m. = 3 pieds 11 lig. 296, dicimus 1 pouce = 0 m. 027,0698 mill. m.

De iisdem mensuris, vide notam ad vers. 126, sat. XIV.

Has tabulas conficiebat Jo-  
hannes Franciscus Grangæus,  
mathematicarum scientiarum  
professor, Academiæ Celticæ  
sodalis, et Notitiæ Temporum  
ratiocinator alter. Paris. 1809.

**MENSURAE ROMANORUM.  
ITINERARIAE.**

ПАУКТОМ.

(*Tabula II.*)

IN MENSURAS  
GALLICAS  
CONVERSI O.

Pes, AS . . . . .					Metres. 0—309.0018
2½	Gradus, gressus . . . . .				0—772.544
5	2	Passus . . . . .			1—545.088
10	4	2	Decempeda . . . . .		
5000	2000	1000	500	Milliarium (mille passus) . . . . .	1545—088.250
360000	144000	72000	36000	72	Gradus terrestris . . . . . 111246—354.000 (a)

(a) Quaequidem longitudo gradus terrestris, ex mensuris Romanorum deducta, metris 11146,354 mensuram superat, quae nunc sphaericae terrae convenit.



MENSURAE ROMANORUM.

PAUCIOT. GROMATICAЕ. (Tabula III.)

Pes quadratus	.....											
100	Scrupulum terrestre (Decempeda quadrata) .....											
400	4	Sextula terrestris .....										
480	4 $\frac{4}{5}$	1 $\frac{1}{5}$	Actus simplex (a), porca, sulcus .....									
600	6	1 $\frac{1}{2}$	1 $\frac{1}{4}$	Sicilius terrestris .....								
2400	24	6	5	4	Uncia terrestris .....							
14400	144	36	30	24	6	Actus quadratus .....						
28800	288	72	60	48	12	2	Jugerum, as (b) .....					
57600	576	144	120	96	24	4	2	Hereditas .....				
			9600	2400	400	200	100	Centuria .....				
					9600	1600	800	400	4	Saltus .....		

(a) Actus simplex. Tabula seu sulcus, quatuor pedibus latus, 120 pedibus longus.

(b) As. Est unitas, ut in aliis mensuris, et, hoc loco, vocatur jugerum.

IN MENSURAS GALLICAS CONVERGIO.

Metres quarrés.	Ares.	Hectares.
0—09548		
9—549	0—095.488	
38—195	0—381.954	
45—834	0—458.345	
57—293	0—572.931	
	2—291.724	
	13—738.368	0—137.384
	27—476.736	0—274.674
	54—953.472	0—549.535
		54—953.472
		109—906.948

MENSURAE ROMANORUM.  
CAPACITATIS AD SOLIDA PERTINENTES.

PAUCTON.

(*Tabula IV.*)

IN MENSURAS  
GALLICAS  
CONVERSIO.

										Litres.	
	Ligula, seu cochlear	.....	.....	.....	.....	.....	.....	.....	.....	.....	0—0125.20
4	Cyathus, seu uncia sextarii	.....	.....	.....	.....	.....	.....	.....	.....	.....	0—0500.82
6	$1\frac{1}{2}$ Acetabulum	.....	.....	.....	.....	.....	.....	.....	.....	.....	0—0751.22
24	6 4 Hemina, seu trulla	.....	.....	.....	.....	.....	.....	.....	.....	.....	0—3004.90
48	12 8 2 Sextarius, as (a)	.....	.....	.....	.....	.....	.....	.....	.....	.....	0—6009.7950
72	18 12 3 $1\frac{1}{2}$ Chœnix	.....	.....	.....	.....	.....	.....	.....	.....	.....	0—9014.69
384	96 64 16 8 $5\frac{1}{3}$ Semimodius	.....	.....	.....	.....	.....	.....	.....	.....	.....	4—8078.36
768	192 128 32 16 $10\frac{2}{3}$ 2 Modius	.....	.....	.....	.....	.....	.....	.....	.....	.....	9—6156.72

(a) In mensuris autem omnibus a s, ut jam diximus, erat unitas; ita in monetis: et, præter divisiones supra dictas, in duodecim partes distribuebatur; scilicet, *uncia*, pars duodecima; *sextans*, sexta pars; *quadrans*, quarta pars; *triens*, tertia pars; *quincunx*, quinque unciae; *semis*, dimidia pars assis; *septunx*, septem unciae; *dodrans*, dempto quadrante; *besis*, dempto triente; *tertians*, sextante dempto; et *denunx*, demptâ tantum uncia, ita, undecim partes assis.

MENSURAE ROMANORUM.

CAPACITATIS AD LIQUIDA PERTINENTES.

(Tabula V.)

PAUCTON.

IN MENSURAS  
GALLICAS  
CONVERSO.

		Litres.	
Ligula, seu Cochlear	.....	0—0125.20	
4 Cyathus, sextarii uncia	.....	0—0500.82	
6 1½ Acetabulum	.....	0—0751.22	
12 3 2 Quartarius	.....	0—1502.45	
24 6 4 2 Hemina, seu trulla (olei libra)	.....	0—3004.90	
48 12 8 4 2 Sextarius, as (a)	.....	0—6009.7950	
288 72 48 24 12 6 Congius	.....	3—6058.77	
1152 288 192 96 48 24 4 Urna	.....	14—4235.08	
2304 576 384 192 96 48 8 2 Amphora, diota (b)	.....	28—8470.16	
7680 3840 1920 960 160 40 20 Dolium, culeus	.....	576—9403.20	

(a) Sextarius, ex erudito viro Romé de Lisle, æquat  $\frac{5.2}{7.7}$  sextarii Pauctonii.

(b) Amphora, ex eodem, æquat  $\frac{1.1}{1.7}$  amphoræ Pauctonii.

**MENSURAE ROMANORUM.**  
**ПОНКОН.**  
**PONDERA. (1)** (Tabula VI.)

		IN MENSURAS GALLICAS CONVERSIO.	
		Grammes.	Kilogramm.
Siliqua, Keration .....		0—193	
3   Simplium .....		0—579	
3 $\frac{1}{2}$   1 $\frac{1}{2}$   Sextans Celsi .....		0—662	
6   2   1 $\frac{3}{4}$   Scrupulum, gramma .....		1—158	
18   6   5 $\frac{1}{2}$   3   Denarius Neronis .....		3—474	
20 $\frac{1}{2}$   6 $\frac{2}{3}$   6   3 $\frac{1}{2}$   1 $\frac{1}{2}$   Denarius Papirii .....		3—970	
24   8   7   4   1 $\frac{1}{2}$   1 $\frac{1}{2}$   Sextula .....		4—632	
36   12   10 $\frac{1}{2}$   6   2   1 $\frac{1}{4}$   1 $\frac{1}{2}$   Siciliens .....		6—948	
48   16   14   8   2 $\frac{1}{2}$   2 $\frac{1}{2}$   2   1 $\frac{1}{2}$   Duella .....		9—294	
144   48   42   24   8   7   6   4   3   Uncia .....		27—792	2—7792
1728   576   504   288   96   84   72   48   36   12   Medicinus Italicus, pondo, libra, as. . . . .		333—503	33—3503
		33350—3055	3335—03055 33—3503

(1) Hi autem numeri ad eos, qui ex computatione eruditi viri Romé de Liste oriuntur, veniunt in ratione perfecta, veluti ad  $\frac{255}{1000}$  = 1:0,958, exceptis  $\frac{2}{1000}$ .

De monetis, vid. sat. IV, v. 29.

# EMENDANDA

## IN COMMENTARIO.

P. 28, col. 1, lin. 27, *maledictis*; lege *maledicis*.—P. 34, col. 2, lin. 7, *Mantinensi*; lege *Maronensi*, et infra, *cinædia*; lege *cinædica*.—P. 65, var. lect. lin. 1, *cod. Thuanus*; lege *cod. Thuanus*, et alibi passim.—P. 79, col. 1, lin. 23, *obsonia*; lege *opsonia*, et alibi passim.—P. 81, col. 1, lin. 20, *quas*; lege *quam*.—P. 94, col. 1, lin. 16, *circuitu libero ac tuto*; lege *circulatione libera ac tuta*.—P. 95, col. 1, lin. 18, *quo*; lege *quibus*.—P. 112, col. 2, lin. 9, *mutato*: *imperitia librariorum τῶ i in t. quod sæpe accidit*; sic interpunge, *mutato, imperitia librariorum, τῶ i in t; quod sæpe accidit*.—P. 117, var. lect. lin. 2, *idem*; lege *eundem*.—P. 125, col. 2, lin. 10, *Hyppolito*; lege *Hippolyto*.—P. 147, col. 2, lin. 9, *Macrob.* lege *Nonnius*.—P. 160, col. 1, lin. ult. *ac*; lege *at*.—P. 173, col. 1, lin. 19, *Pharon*; lege *Pharos*.—P. 179, var. lect. 126, lin. 2, *e*; lege *a*.—P. 206, col. 1, lin. 6, *Tullia*; lege *Maura*.—P. 221, col. 1, lin. 17, *contractat*; lege *contrectat*.—P. 224, col. 2, lin. 6, *de qua*; lege *cujus*.—P. 239, col. 1, lin. 32, *quam*; lege *quem*.—P. 272, col. 1, lin. 20, *hoc*; lege *hunc*.—P. 277, col. 1, lin. ult. *genus*; supple *quod*; et ibid. col. 2, lin. 16, *magis probata*; lege *probator*.—P. 324, col. 2, lin. 22, *quem*; lege *quod*.—P. 358, col. 2, lin. 26, *hyperboles Virgilianæ*; supple *transcendentia (ex Rigaltio)*.—P. 380, col. 2, lin. 10 et 13, *Folsiniensium*; lege *Volsiniensium*.—P. 429, col. 2, lin. 23, *deleatur insulae*.—P. 443, col. 1, lin. 18, *solebant*; lege *solebat*.—P. 465, col. 1, lin. 2, *Bæotiarum*; lege *Bæotiorum*.—P. 477, var. lect. 140, lin. 2, *dixit*; lege *dicit*; et lin. 3, *ejus*; lege *suis*.—P. 480, col. 1, lin. 23; *deleatur adhuc*.



---

01

10

100-  
101-  
102-  
103-  
104-  
105-  
106-  
107-  
108-  
109-  
110-  
111-  
112-  
113-  
114-  
115-  
116-  
117-  
118-  
119-  
120-







